MICH. ARCHANGELI LVPOLI

ACADEMICI HERCVLANENSIS

(NVNC ARCHIEPISCOPI COMPSANI)

IN MVTILAM VETEREM CORFINIENSEM INSCRIPTIONEM COMMENTARIUS

EDITIO ALTERA

SECVNDIS CVRIS AB AVCTORE EX INTEGRO AVCTA, ET EMENDATA.

NEAPOLI,

EX REGIO TYPOGRAPHIO

Difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis suspicari licet.

TULLIUS *in Brut.*

PRAEFATIO AVCTORIS.

Vetustae antiquitatis memorias perscrutari, atque ab oblivione, et interitu vindicare, hominum doctissimorum curis dignum semper habitum est. Nam decoris, et incrementi quantum rei litterariae publicae abs inscriptis potissimum monumentis accesserit, satis superque testati sunt ipsi lapidum Oedipi triumviri clarissimi Mazochius, Maffeius, Muratorius, qui immortali certe beneficio nostrum hoc aevum, nedum postfuturas aetates novo poenitioris eruditionis gustu, arduo molimine invecto, nobilitarunt. Equidem quum ita sit humani ingenii ratio comparata, ut per nova quaeque, nec alias trita, famae ac doctrinae viam sibi munire putet, hinc factum reor, ut in remotae antiquitatis cimeliis, quae identidem terra foras emittit, quamplurium paene omnis adquieverit sollicitudo. Neque enim uberius aliunde, quam ex litteratis hisce lapidibus singula eruditionis, scientiarumve capita illustrantur, quibus et novitas gratiam,

*

tiam, et varietas delectationem, et vetustas auctoritatem conciliat. Hinc profecto se nobis offerunt, quae in libris scriptis vel incassum quaerimus, vel luxata, confusa, ac perperam accepta invenimus: Numinum spississima nubes, et veteres Sacrorum ritus, tum Magistratuum scita, Foederum tabulae, Domus Augustae ministeria, Collegiorum, Corporumque genera, et officia, Manium iura, civilia et militaria instituta, Urbium denique incunabula, incrementa, conditiones. Porro inter exquisita huiusmodi cimelia, quae nostra hac aetate eruperunt, non ultimum certe locum obtinere litteratum Corfiniense saxum videtur, quod in colle Sancti Pancratii (is est in citeriore Aprutio, ac proprie in Radiani, et Pratularum finibus) rusticorum ope ante hos paucos annos ex imis terrae latebris in lucem emersit. Marmorea tabula supra palmos Neapolitanos quatuordecim, uncias novem in sua habet latitudine, in longum vero palmos septem. Elementa prorsus sibi omnia aequalia sunt; alta quidem uncia 1 $\frac{1}{2}$ praeter octavam lineam, cuius elementa praestant unciis 11 $\frac{1}{2}$. Sed quod sane primo obtutu fuit, atque est dolendum, mutilum, laeva invidente Lucina, in lucem venit marmor, nec praefractum caput repetitis usque et usque curis, et tentaminibus invenire est datum. Ita porro detruncata superior visitur marmoreae tabulae pars, ut in priori linea nonnisi unicae tantum vocis CORFINIENSIUM vestigia internoscantur, alterius vero primam vocem vix ex suboscuro quodam litterarum ductu intelligas. Huic nempe malo subsunt veterum memoriae. Solent enim rustici

stici homines, quum forte ligo solidum quid offendit, ictus iterum iterumque geminare, donec vel ligo, vel lapis cedat. Quod vero videre visum est nonnullis, nimirum lapideo inniti tabulam sepulcro non sine pulvere, et ossibus, id omnino somnium est, quod vel refellere insanum esset. Nam terra undique versum mota aggestaque, lapis deiectus, frusta capitis dispersa, ut cetera mittam, quidquid aliud praeter sepulcrum innuunt. At vero detecto vix lapide rumor usquequaque pervasit; mox plura hinc extracta exemplaria, atque philologis subactissimis tum Romam, tum Neapolim transmissa; datumque plurimis negotium inscriptionem commentandi. Res tamen contra omnium exspectationem cecidit: Romae enim id nullius incaluit pectori; Neapoli vero cunctorum erat in votis id Martorellium praestiturum, qui de ea re ne cogitavit quidem. Interea rumor ut passim evenire solet, evanuit, nec ullus de Corfiniensi marmore per ferme septennium sermo intercessit. Demum quum superiori anno MDCCLXXXV. Sulmonem in aedes suas Hannibal Corvus patritius Sulmonensis, ac Fontechianorum Baro adsportandum curasset, revixit ex longa intercapedine fama. Accessit ei primum epigraphe hujusmodi : Cenotaphium hoc In extremo Radiani ac Pratularum oppidorum Confinio E clivo divi Pancratii In prisco Corfiniensium Polyandrio Anno CIϽIϽCCLXXVII. effossum Huinsce Sulmonensium Patriae Decori Aere hic perennius Civis Bonus M. P. Anno Domini CICIϽCCLXXXV.

His

His ita se habentibus, vix dicere est, quot mihi ab amicis impulsus, quot studia ut id marmoris commentariolo ornarem. Sed nunc meam caussatus adolescentiam, nunc me aliis mancipatum studiis (utrique enim iuri addiscendo operam navabam), atque in hisce rebus paene novitium, ne dicam prorsus hospitem protestatus, nolui id pensum in me recipere. Saepenumero attamen me litteris tentarunt clarissimi Sulmonenses Amicus Philippus Guerrerius Cathedralis Sulmonensis Canonicus, et Franciscus Gasparrus eiusdem urbis Parochus, quibus iterum iterumque rescribens, sensi me, vel nolentem, in eam provinciam coniectum; maxime ubi per P. Bonaventuram Pelinum familiae Minorum Conventualium domo Fracta Maiore, communi Patria in agro Aversano, addita mihi calcaria. Atque haec quidem est huiusce Commentarii occasio. De ordine vero vel obiter aliquid praefari supervacaneum duco. Potius pauca adtingam, quae ad orthographiam, pretium, et aetatem marmoris pertinent.

Sane vero si ex characterum forma, lapidis palaeographia, ceteroque monumenti habitu marmoris aetatem liceat divinare, profecto nihil dubito quidquam, quin sub Antoninis sit inscriptum. Litterae enim sunt adfabre scalptae, nitidae, elegantissimae, ac prope σπιθαμιαιοι, *ita uti adamussim politiore illo Antoninorum saeculo consuevere inscriptiones sculpi. Accedit quod Curatores Kalendarii Reipublicae (vide loco suo) non multo ante in inscriptis lapidibus audiuntur, ut cetera mittam, quae nonnisi istius aevi sunt propria.*

Mar-

Marmoris attamen scriptionem miram latini sermonis puritatem praeseferre, atque ad rectam prope illam aureamque scribendi rationem exactam esse, nemo est, qui non videt. Atque ut a voce KALENDAR, cuius paullo ante memini, ordiar, eccui non compertum, ita prorsus aureo florente aevo fuisse scriptitatum? Testantur id innumera Augusteae aetatis marmora, in quibus KALENDARIVM nonnisi cum K visitur. De qua re consulas fastos Capitolinos, tum Diomedem lib. II. Cap. 1. Terentium Scaurum, et Victorinum Afrum. Hinc marmor Narbone. vivo adhuc Augusto positum ap. Grut. p. CCXXIX. 1. PLEBS. NARBONENSIVM. ARAM. NARBONE. IN. FORO. POSVIT. AD. QVAM. QVOT. ANNIS. VIIII. K. OCTOBR. QVA. DIE. EVM. SAECVLI. FELICITAS. ORBI. TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT. TRES. EQVITES. ROMANI. A. PLEBE. ET. TRES. LIBERTINI. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. COLONIS. ET. INCOLIS. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS. THVS. ET. VINVM. DE. SVO. EA. DIE. PRAESTENT. ET. VIII. K. OCTOB. THVS. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. ITEM. PRAESTENT. K. QVOQVE. IANVAR. THVS. ET. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. PRAESTENT.

Id quod passim in huiuscemodi titulis occurrit, quorum haud exiguam Aldus collegit copiam. Idem dicas de voce CONDICIONI, quae XIII. vers. legitur: nam scitissimum prope est nonnisi cum C. Augustea aetate scriptam fuisse, ut potissimum videre est in Virgilio

gilio Carpensi, ubi sic ille versus legitur Aeneid. lib. XII.

cur mortis adempta est
Condicio.

et in inscriptione in hortis Carpensibus apud Aldum p. 216. M. VLPIVS. AVG. LIB. SYMPHORVS FLATVRARIVS AVRI ET ARGENTI SIBI ET VLPIAE HELPIDII *ec. monumentum* fecit *EA CONDICIONE* ne fiducient ne vendant *cet. Quin etiam ita hanc vocem Tiberii tempore adhibitam, eademmet Tiberii inscriptio docet apud Grut. pag. CCXXXV.* 5. TI . CLAVDIVS . DRVSI . F. CAES . AVG . GERM . PONT . MAX . TRIB . POT . II. COS . DESIG . III . P . P . DEDIT . OB . MEMORIAM . PATRIS . SVI . DEC . VII . COLLEGII . FABR . M . R . II . S . 8 N . LIBERALITATE . DONAVIT . SVB . HAC . CONDICIONE . VT . QVOTANNIS . ROSAS . AD . MONVMENTVM . EIVS . DEFERANT . ET . IBI . EPVLENTVR . DVMTAXAT . IN . V . ID. IVLIAS . QVOD . SI . NEGLEXERINT . TVNC . AD. VIII . EIVSDEM . COLLEGII . PERTINERE . DEBEBIT . CONDICIONE . SVPRADICTA. *Alias etiam heic producere possem, sed longum, et incommodum.*

Remanet modo, ut ad postremam marmoris lineam descendam, ubi PLEBEI sculptum est. At nihil in vetustis lapidibus frequentius, quam ut diphthongus EI pro longo I ponatur. Sic apud Gruterum in lapide Urbinati p. CCCXCII. LOCVS . PLEBEI . DATVS . DECRET . DECVR *et p. D.* SCRIPTEI . SVNT *et* VSEI . FRVCTEIVE . SVNT *pro scripti, usi, fructi sunt. Neque*

que sub Augusto tantum, sed sub proxime sequentium Caesarum principatu, hanc diphthongum EI in usu fuisse indicat inscriptio apud Gruterum p. CXCIX. 1. et Gualtherium in tab. Bruttior. p. 78. quae ad Traiani tempora pertinet, ubi VIAM . TRAIANAM . APP . PER . BRVTTIOS . SALENTINOS . PEC . PVB . CONTVLERE . BRVTTIEI . SALENTINEI . OPPIDATIM . NAPETINEI . HIPPONIATEI . MAMERTINEI . RHEGINEI . SCYLLA EI . CAVLONIATAI . LAOMETICEI . TERINAEI . TEMSANAEI *cet. Accedit Nervae numus apud Vaillantium tom. I. p. 46. cum inscriptione:*

PLEBEI . VRBANAE
FRVMENTO . CONSTITVTO
S . C .

Huc facit illud Varronis lib. 5. Lat. Ling. A quibus iisdem principiis, antepositeis praeverbiis pauceis, immanis verborum accedit numerus, quod praeverbiis additeis atque commutateis, aliud atque aliud sit. *Quid, quod et in fastis etiam Capitolinis leguntur triumphi* de Latineis. Sabineis. Etrusceis. Poenis. Sacerdeis. *cet.? Accedit Priscianus* lib. 1. I quoque apud antiquos post E ponebatur, et EI diphthongum faciebat, quam pro omni I longa scribebant more antiquo Graecorum. *Quintilianus etiam* lib. 1. cap. 7. p. 88. *hos Lucilii versus refert:*

Iam pueri venere: e postremum facito, atque I
Ut pueri fiant.

quibus inter cetera innotescit, Lucilianum praeceptum

 de

de hac diphthongo pluralis tantum numeri voces respexisse. Alios etiam Velius Longus, et Victorinus adferunt:

Hoc illi factum uni: tenue hoc facies I.
Hoc illei fecere: addes e ut pinguius fiat.

Quibus addas Nigidii illud apud Gellium lib. XIII. cap. 24. Si huius, *inquit*, amici, vel huius magni scribas, unum I facito extremum. Si vero hi magnei, hi amicei casu multitudinis recto, tum ante I scribendum erit E; atque idipsum facies in similibus.

At quamvis Luciliana haec scribendi methodus Quintiliano inutilis, ac incommoda visa, tamen illud pro indubitato est, nec eam (1), *nec Quintilianeam* (2) *obtinuisse. Quid, quod nec Priscianea etiam praecepta constantia semper fuerunt* (3)? *Id ex quadratariorum incuria, seu potius imperitia factum. Nam quum media quadam enunciatione diphthongum hanc, ut ceteras,*

(1) *Mortuus est Lucilius, ut testatur S. Hieronymus in Chronic. Olympiad. 169. an. 2. Romae an. DCLI. ut Vossius advertit. Et tamen in Fragmentis legis Thoriae, quae ni hoc tempore, paulla post fusa a cordatioribus viris creditur, eius praecepta negliguntur, ubi:* quod eius agrei; locei post. H. L. rog. publicum. populei. Romanei. erit. *Et in lege Servilia* darei *occurrit: ex quibus aperte patet Luciliana praecepta non diu viguisse.*

(2) *Fabium institutiones suas sub Domitiano elucubrasse testatur Dowwellus in Annalib. Quintilian.* cap. 19. et seq. *At quid? In inscriptione, Traiani tempore sculpta apud Grut. p. CXCIX. 1. quam retuli, diphthongus EI in pluribus nominandi casibus saepe legitur.*

(3) *In tabula apud Sigonium de antiq. Iur. Civ. Rom.* lib. II. cap. 15. Quasei *occurrit; et in legis Serviliae fragmento* Nisei, *et* Eiei; *tum in S. C de Bacchanalibus, ubi* Nisei, Ibei, Ubei: *quod videre est etiam in tabulis Heracleensibus apud Cl. Mazochium, et in columna Duillii, quae omnia cum Prisciani regula haud quidquam conveniunt.*

ras, pronunciare veteres consueverint, facilis inde fuit illius in I breve etiam inreptio apud vulgus, ex quo factum, ut, quoquo modo efferebatur, eodem scalpta fuerit ac incisa; quemadmodum et huiusmodi diphthongum in E evasisse apud rusticos testatur Cicero de Orator. lib. III. cap. 46. *ubi Crassus Sulpicium, et Cottam sic rodit:* quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut iotam litteram tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari. *Hinc rusticanos* Vellam *pro* Villam *fortasse ab* Veilla *contractum pronunciare advertit Varro* Rer. Rust. lib. 1. cap. 2. *At quorsum haec tam longa oratio? ut ostenderem passim in usu fuisse id diphthongi genus. Quin ipso etiam Augusti aevo saepissime usurpatum innumera testantur Augustea monumenta, quorum vel soli tantum Augusti nummi instar sint, qui cum epigraphe CIVIBVS SERVATEIS visuntur; quibus accedunt fasti triumphales a Verrio Flacco, imperante Augusto, concinnati, in quibus Ventidii triumphus DE MONTE TAVRO ET PARTHEIS ponitur. Sed alio me vertam, ut nonnulla etiam de marmoris nostri sphalmatibus dicam.*

At cuinam quaeso, qui vetusta litterata saxa vel ex limine saltem salutaverit, nota non est marmorariorum in incidendis lapidibus incuria? Id in privatis potissimum inscriptionibus passim videmus, quae barbara quandoque manu descriptae, atque ignara aeque marmorarii dextera insculptae, in orthographiam turpissime quantum peccant! Rude enim ac sane impo-

 litum

litum hoc hominum genus, non secus ac typographi hodie solent, qui ab proposito iterum iterumque desciscunt exemplo, latina saepe vocabula deturpata adeo marmoribus consignarunt, ut quid sonent, quidve sibi potius velint, neque Oedipus divinaret. Quam rem Augusteo item aevo haud infrequenter accidisse, vel ex eo pronum est cuique coniicere, quod ubi publica in Coloniis condebantur decreta, quae essent ad Augustum transmittenda, a doctissimis civibus, quemadmodum ab Suetonio accepimus in Aug. Cap. XLVI. *praeformabantur, ne illius, quem severum verborum censorem norant, oculos offenderent.*

Attamen, caveat quisquis, ne lapicidae oscitantia id commisum credat, quod in marmore nostro bis prima linea insculptum sit IIII. VIR. IIII. VIR. I. D. Id enim adamussim ibi sedere, fusius infra ostendam; ac tam nihil eam obstare repetitionem, quam nihil obstat huiusmodi repetitio apud Gruterum p. CCCCXVII. 6. C. HEDIO. C. F. CLVS. VERO. $\overline{\text{II}}$. VIR. II. VIR. QVINQ. QVAESTORI. PATRONO. MVNICIPI. *Nisi quod illud miror maxime, quod nono versu ebriosus homo adeo ab exemplo defecerit, ut particulam AD ante vocem REMVNERANDAM praetermiserit. Quod ipsum et de voce QVEM post ADFECTIONEM dicas. Ceterum quod ad postremum hoc adtinet, nihil hac litterarum mutatione spissius in vetustis inscriptionibus. Sic apud Grut.* p. DCLXXXVIII. 2. QVEM. DI. AMAVERVNT. HAEC. MORITVR. INFAS. ANNORVM. III. MENS. SEX. D. XIIII. ISIATI.

TI . FILIAE . B . N . M . ANTINOVS . ET . PANTHIA . *Fortasse hic dormitasse lapicidam dices. Attamen habes* *DELMATICO pro* Dalmatico *in antiquo lapide Patavino ap. Grut. p. XCVI.* 1. IANO . PATRI . AVG . SACRVM . C . IVLIVS . C . F . SER . AETOR . AED . DONATVS . AB . TI . CAES . AVG . F . AVGVSTO . TORQ . MAIORE . BELLO . DELMATICO. *Eodem modo CAESERIS pro* Caesaris *apud Gorium* Inscr. ant. Tom. I. p. 136. T . CLODIO . NARCISSO . LANARIO . DE . VICO . CAESERIS. *Sed sufficit, ut cetera mittam, vetus marmor apud Vignolium* Inscr. select. p. 321. *ex quo Muratorius exscripsit p. DCCCXXXVI.* 3. *ubi vers.* 5. *legitur : LEG. III. CYRENEICAE pro* Cyrenaicae. *Ac tametsi editores ambo vers.* 14. *OB BELLVM IVDAICVM habeant; adfirmavit tamen mihi acutissimus antiquitatis perscrutator eques Michael Arditus, marmor a se non vice simplici observatum in oppido* Calvitiani *prope Aversam (ibi enim lapis exstat, non vero* Duratiani, *ut Vignolius, et Muratorius adnotarunt) nonnisi ob BELLVM IVDEICVM habere. Sane inscriptionem egomet ex ipso marmore ante hos paucos annos excepi, quae talis est :*

C .

C . NVMMIO . C . FIL . FAL .
CONSTANTI . P . P
(sic)
LEG . II . TRAIANE
CENTVRIONI . II . LEGION . III.
(sic)
CYRENEICAE . ET . VII . CLA
EVOCATO . IN . FORO . AB . ACTIS
MILITI . COH . III . PRAET
II . ET . X . VRB . DONIS . DONATO . AB
IMP . TRAIANO . TORQVIBVS
ARMILLIS . PHALERIS . OB
BELLVM . PARTHICVM . III . M . AB
IMP . HADRIANO . CORONA
AVREA . TORQVIBVS . ARMILLIS
(sic)
PHALERIS . OB . BELLVM . IVDEICVM
HEREDES . EX . TESTAMENTO (1)

Praeterea et illa mihi Corfiniensis inscriptionis expendenda est dictio : IN SINGVLOS VNIVERSOSQVE, quae ad infimam potius latinitatem nonnemini fortasse pertinere videbitur. Quotas autem quisque est, quem lateat, locutionem istam nonnisi ab purissimi saeculi latinitate, veluti ab origine profectam, atque nullo non tempore rectissime usurpatam? Sane in actis potis-

(1) *Lega :* Falerina (*tribu*) Constanti Praeposito legionis secundae Traianae. Centurioni bis legionis tertiae Cyrenaicae, et septimae Claudiae. Evocato in foro ab actis, militi cohortis tertiaa Praetoriae, secundae, et decimae urbanae.

potissimum legalibus, *tum passim in re quavis obtinuisse*, *documento sunt innumera prope marmora*; *atque id in primis recens detectum Domitiae Augustae*, *quod integrum suo loco dabimus*, *ubi*: *SINGVLIS VNIVERSISQVE PRODESSE FESTINET*, *AD QVOS EX REDITV EIVS PECVNIAE FRVCTVM SEMPER DESIDERET PERVENIRE.* *Eodem modo in tabula aenea Romae in Aventino effossa an. MDCCLXXVI. atque in museum Vaticanum importata*: Imp. Caes. M. Aur. Severo Alexandro Cos. Eidib. Aprilibus Concilium Conventus Cluniens. C. Marium Pudentem Cornelianum Leg. Leg. C. V. Patronum sibi liberis posterisque suis cooptavit ob multa et egregia eius IN SINGVLOS VNIVERSOSQVE merita cet. *Accedit Inscriptio Acerrana*, *quam primus ego protuli in* Itinere Venusin. *p.* 12. CVIVS DEDICATIONE SINGVLIS VNIVERSISQVE EORVM SS. CENTENOS N. DEDIT. *Tum tabula aenea Variae Peltuinatium patronae*, *quam infra producemus*; VT HVNC HONOREM A NOBIS OBLATVM LIBENTI ET PRONO ANIMO SVSCIPERE ET SINGVLOS VNIVERSOSQVE NOS REMQVE PVBLICAM NOSTRAM IN CLIENTELAM DOMVS SVAE RECIPERE DIGNETVR. *Itemque apud Gruter. p.* MCI. 1. SINGVLI ET VNIVERSI SENTIMVS PETENDVM AB EO LIBENTER SVSCIPIAT COLLEGI N. PATRONALEM HONOREM; *et apud Donium CL. IV. n.* 21. SEX. CLASSENO ALLIANO OB AMOREM EIVS ERGA SINGVLOS VNIVERSOSQVE. *Et apud Murat. p. MCVIII.* 4. OB INSIGNEM ERGA SIN-

SINGVLOS VNIVERSOSQVE CIVES INNOCENTIAM AC FIDEM. *Et ap. Grut. p. CCCCVIII.* 1. VNIVERSORVM SINGVLORVMQVE. *Et rursus p. MCI.* 1. ET SINGVLI ET VNIVERSI. *Atque percommode quidem mecum actum video, quod dum in hoc essem, ecce vir amicissimus, idemque huiusmodi cupediarum amantissimus eques Dominicus Venuti Campani marmoris exemplar mihi exhibuit, quod ipse recens in effossione quadam ad Lirim amnem detexit, atque hoc est:*

P . BAEBIO . P . F .
TER . IVSTO . HVIC
SPLEDIDISS . ORDO
STAT . PONEND . CENS . OMNIB .
HONORIB . IN . REPVBL . FVNCT
QVOD . ET . IN . SING . ET . VNIVERS
AEQVAL . SEMP . REVERENTIAM
PRAEBVIT . ET . QVOD . MVNVS . GLAD . POST
HONOR . II . VIR . EDIDISS . POSTVL . POPVLO . Q
PROCES . EDITIO . CELEBRATA . EST
EX . INDVLG . PARIA . TRIA . CVM . VRSIS . II
(sic)
HERBAN . LIVENTER . SVSCEPERINT . IS . OB
DEDIC . STATVAE . DEC . SING . X TERN . DED
D . D . D

Et ex altero latere

DED . KAL . AVG . AEMILIANO . II . ET
AQUILIO . COS .

His

His porro et vox FEBRAR. *pro* Februar *succedit, quam scio plerorumque etiam aures oculosque offendisse. Ego attamen neque heinc detractum quidquam ab aurea eiusdem latinitate vellem, quippe memini in Augusteo quodam Campano lapide ita adamussim scalptam vocem eamdem legisse, qui ex mente paene nunc excidit. Atque in hunc modum haud infrequenter ad posteriorem usque aetatem scriptam, testantur tum tabula vetus, in qua Caesarum Natales describuntur, quarto saeculo fabricata (Vid. Dissert. de Natali veter.) ubi:* MENS. FEBRAR. DIVI. CONSTANTINI. III. K. MAR. *tum vero Gabinum marmor, cuius paullo ante memini, quodque omnem politissimi Antoninorum saeculi sapit venustatem. In eo:* TALIS CONDICIO DECERNERETUR UT EX REDITU EIUS PECUNIAE III. IDUS FEBRAR. NATALE DOMITIAE *cet.*

Vide igitur, vix unum, aut alterum in nostram inscriptionem incurrisse σφάλμα, quod nil mirum. Plura enim observasse marmora memini, in quibus ne verbum quidem extat, quod marmorarii incuria corruptum non videatur.

Quaeret quis fortasse, ut postremo loco de lapidis pereleganti interpunctione aliquid ponam. Sed non est cur hac etiam in re immorer. Quisquis enim, modo veterum litterata marmora aliquantisper salutaverit, profecto novit, quadratarios luxuriante ingenio miris interpunctionibus titulos adornasse. Unde in sexcentis prope cordis formam pro puncto sculptam videmus, quam fru-

frustra ad tristitiam indicandam Grasserus in saxis Nemaus. *p.* 236. *et Boldonius* Epigraph. lib. IV. Cap. 4. *vel* ad animi sinceritatis signum *Iacobonius* Comment. de prisca Caesarior. Gente *Cap. XXVI. vel* in lapicidae tesseram *Abbas Damadenus in* Explic. Tab. Canusin. Cap. X. *Burmannus* ad Inscr. Dorvill. tom. II. Sicul. p. 573. *positam autumarunt; quum merus marmorariorum lusus is sit. Conferas si lubet et hac de re Reinesium* Praef. ad Syntagm. Inscript. p. 7. *Fabrettum* Inscr. Dom. p. 118. *Montfauconium* Palaeogr. Graec. p. 167. *Boldettum* Osservaz. su de' Cimiterj lib. I. Cap. 52. *Lupium* ad Monum. S. Sever. p. 53. *et Zachariam* Excurs. litter. per Ital. p. 20.

Ut autem omnia puncto definita lapicidis, ita punctum varie vario lapicidarum ingenio scalptum. Ad circuli formam exactum habes in inscriptione Fannii Primitivi apud Placentinium in Dissert. de recta Graec. serm. pronunciat. cap. 1. p. 121. *quam Zacharias etiam adfert* Excurs. Litter. p. 58. *Modo circuli instar sed veru traiecti, ut apud Grut. p.* 11. 4. D⌀D⌀SAC⌀ *id est* diis deabus omnibus sacrum. *Modo vero dimidiatum* ♆ *refert ut apud eumd. p. DXCI.* 7. *alias quadratum, ut ibid. p. CL.* 7. *vel in trianguli formam veluti graecum* Δ *ut p. DCCCXXIIX.* 4. *Non raro etiam* Y *Graecorum repraesentat, ut ibid. p. CCCLII. 5. ANICIAE* Y *FALTONIAE PROBAE* Y *AMNIOS* Y *PINCIOS ANICIOSQUE* Y *DECORANTI CONSULIS* Y *UXORI CONSULIS* Y *FILIAE CONSULUM* Y *MATRI cet. quod iterum iterumque n.* 1. *et* 6. *occurrit.* *Nec*

Nec vero, ut ad rem nostram propius accedam, nisi purum putum elementum id ego habeo, quod in nostro lapide est interpunctum. Formam, in charta cavae marmoris interpunctioni adplicita, mihi Franciscus Gasparrus humaniter transmisit. Atque hanc quis non videt ✢ Graecorum esse? Nec contra facere videtur, quod media secans linea in obliquum decurrat; id enim facillime ex Marmorarii gustu quisquis repetere, vel me invito, poterit, ut maiorem interpunctioni conciliaret pulchritudinem. Ceterum vel recta, vel obliqua ea sit, nihil impedit, quominus eam ✢ Graecorum praefracte credam. Nullibi at frequentius, quam in Florentinis Inscriptionibus elegantissimum hoc interpunctionis genus exhibetur, ut apud Gorium cum alibi, tum expressissime, ut in nostro Corfiniensi, Tom. I. p. 85. D✢M L✢ CELADIVS ✢ SENIOR ✢ ET ✢ CELADIVS ✢ IVNIOR ✢ cet. Quisquis vero inscriptionem nostram cum Muratoriana conferat p. MXLVI. 7. quam Ferentinates Antonino Caracallae posuerunt, profecto ab uno fere lapicida scalptam arbitretur. Haec praelusisse iam satis, superque. Quamplura enim suo loco pro re nata fusius edisseram.

Basis

...no MDCCLXXVII.



Scala palmor: N...

MICH. ARCHANGELI LVPOLI

IN

MVTILAM CORFINIENSEM INSCRIPTIONEM

COMMENTARIVS.

CAPVT I.

Deperdita prioris lineae pars ſuppletur. Supplementi ratio. Ecquid nominis illi, cui poſita inſcriptio. Mammia gens cum Herculanei, tum apud Corfinienſes frequentiſſima. Bina litterata Corfinii marmora producuntur.

SVperiorem Corfinienſis Inſcriptionis partem, eamque potiſſimam, qua cuinam poſitum monumentum continebatur, temporum iniuria exciſam, haud in lucem cum reliquo marmore emerſiſſe, nemo fortaſſe non aegro animo feret. Atque ex eo fato nimirum, id mihi video in primis improbum penſum incumbere, ut veteri trunco, non novum ſagaci recuſum excogitatione, ſed vetus omnino ſuum audendo reſtituam caput.

Primum vero quum in ſupplendis acciſis huiuſmodi lapidibus ea potiſſimum ſit adhibenda induſtria, ut ſpatio vacuo dimenſo, totidem adpingantur litterae, quot

 inter-

intercidisse verisimile videtur ; illa mihi initio cura insedit , ut explorata diligenter integra prioris lineae longitudine , quotae litterae in marmore deperiissent , ex superstitis priori versu vocis CORFINIENSIVM tametsi obscuro vestigio, sedulo animadverterem. Quod ex symmetriae legibus amussim exigere adnisus [a], illud equidem constanti observatione sum adsequutus, non plus minusve elementorum sex supra quadraginta prima illa marmoris linea excidisse . Quorum tamen nonnisi viginti quatuor dextero lateri restituenda , laevo contra viginti tria , ex eo amplius conieci , quod quae superest CORFINIENSIVM vocis , ut ita dicam , umbra , non in ipso basis medio , sed paullo ad laevum angulum inclinatior videatur : quare omnino oportuit , ut laevum latus uno minus elemento , quam dexterum suppleretur . Atque huic dumtaxat viae mihi fuit insistendum , ut litterarum abscissi marmoris aliquam , neque frustraneam caperem coniecturam . Ex ceterarum enim linearum comparatione nihil profecto mihi datum extricare , utpote quae modo laxio-

(a) Vix dici potest, quanta veterum fuerit , politiori aevo potissimum , in delineandis inscriptionibus *πολυπραγμοσυνη curiosa sedulitas*. Nec enim nisi capta prius proportione, litteras in marmore ordinabant, mox scalpro mordendas , fodiendasque . Rem totam pronum cuivis erit ex veteri Panormitano programmate intelligere Inscr. Pan. n. XXXVII., cuius priores saltem versus huc adsuere non piget :

ΣΤΗΛΑΙ
ΕΝΘΑΔΕ
ΓΥΠΟΤΝΤΑΙ ΚΑΙ
ΧΑΡΑΣΣΟΝΤΑΙ

TITVLI
HEIC
ORDINANTVR ET
SCVLPVNTVR

Quod graece , et latine eo fortasse consilio sculptum , ut in utraque se exercitum lingua ostentaret lapidarius artifex.

laxiores, modo ſpiſſiores ſunt, ac proinde modo plus, modo minus continentes elementorum: ex quo quiſque advertat velim, quam plena difficultatis res ſit, fracto marmori manus admovere, eiuſque intermortuas partes reſtituere. At haec de calculo litterarum ſatis; veniam nunc ad ipſum, quod caput eſt, ſupplementi opus.

Equidem non alibi, quam prima hac monumenti fronte nomen honorati viri conſtituendum, cui poſitus eſt titulus, conſtantiſſime teneo. Atque Quatuorviro illi, quem ſibi Ordo Populusque Corſinienſium patronum adſciverat, nonniſi MAMMII nomen fuiſſe, quovis depoſito pignore, cum obſtinatiſſimo quantumvis contendam. Nec enim vel phaleratis verbis, vel mobili divinatione molem ego ſuperſtruam, brevi ruituram; ſed perſpicuo quodam ex ipſa inſcriptione mihi interlucente indicio, rem fortaſſe omnium periculoſiſſimam, ex integro firmam fundatiſſimamque reſtituam. Atque opportunitatem eam percommodum mihi fuit ex verſu marmoris decimo adripere, ubi *ob* monumenti *dedicationem* hic *obtulit Decurionibus, et univerſo populo ſeſtertiûm L. MIL. nummum, quae MAMMIANA vocentur*. Re enim vera, unde potius eam nomenclationem ſeſtertia haec arceſſere poterant, niſi ex illiusmet nomine, qui ſummam illam ad ſua inſtauranda quotannis natalitia erat elargitus? Quam ego ſententiam vel ex eo probatiſſimam habeo, quod egregie Maelioris pietatem a Martiali commendatam video, qui, quae donaverat ad revocandum quoto anno Blaeſi natalem, non ex ſuo, ſed ex Blaeſi nomine BLAESIANA faciebat Lib. VIII. Epigr. XXXVIII.

Qui sollemnibus anxius sepulti
Nomen non finis interire BLAESI,
Et de munifica profusus arca,
Quod donas facis ipse BLAESIANVM.

Accedit quod largitorum nomen haud raro elargitionibus ipsis inditum offendimus apud veteres [a], ut praeter innumera cetera FRVMENTVM MAELIANVM apud Livium *Lib.* IV. *Cap.* XII. a Sp. Maelio nimirum dictum, qui in summa annonae caritate plebe per immoderatas largitiones sibi devincta, regni capessendi clandestina consilia domi agitabat; quique ab Ahala Servilio est occisus: *Augurinus* (inquit Livius) *frumentum Maelianum assibus in modios aestimatum plebi divisit*. Demum et grave pondus his omnibus ex eo accedit, quod MAMMIA gens haud insolens sit in veterum memoriis. Romanum lapidem ex

(a) Non opera publica tantum; sed quidlibet passim vel auctorum, vel dominorum nomine insignire veteres solebant. Longum esset, ac fortasse fastidiosum singula heic percurrere. De operum sive publicorum, sive privatorum nomenclationibus nihil prorsus dicam, quarum nempe crebrior est in antiquis inscriptionibus mentio. Ac de vicis etiam, quibus haud raro ipsa possessorum indita nomina, multa collegit Mazochius *Diatriba* de Castr. Lucullan. Cap. IV. *Ei vero vico* (Lucullano) *nomen a domino villae inditum non tantum verisimile est, ac res ipsa loquitur, sed etiam plurima id marmorum monumenta declarant*. De aquis, ut innumeros alios mittam, expresse lapis apud Gudium *p.* LXXXII. 7. AQVA . MARCIA . DIONDYPHORIA . CN. DOMITII . DIONDYPHORI . Quid de fundis, ac praediis, et vineis? VINEAM CAEDICIANAM habes in marmore ap. Fabret. *Cap.* V. *n.* 306. PRAEDIA HELVIDIANA ib. *Cap.* X. *n.* 150. FVNDOS FANGONIANOS *ibid.* FVNDum CASSIANVM STATILIANVM in Museo Veronensi apud Maffeium *p.* CCDLIX. Quid si et FVNDVM MAMIANVM? en inscriptio lapidis Ferentinatis apud Gruter. *p.* CCCCLXI. ubi A . QVINTILIO . A . F . PRISCO . IIII.VIR. AED . POTEST . IIIIVIR. IVRE . DIC . cet. CVIVS. OB. EXIMIAM. MVNIFICENT. QVAM. IN. MVNIC. SVOS. CONTVLIT. SENAT. STATVAM. PVBLICE. PONEND. IN . FORO. VBI . IPSE. VELLET. CENSVERE . H. A. I. R. HIC. EX. S . C . FVNDOS. CEPONIAN. ET. ROIANVM . ET . MAMIAN. ET. PRATVM . EX . OSCO . AB . R . P . REDEM . cet.

ex Museo Card. Albani Muratorius exhibet *p.* MCLXXXVII. C . MAMMIVS . ECHIO . ET . MAMMIA . ROME . PARENTES SCELERATISSIMI . TITVLVM . POSVERVNT . MAMMIO . ROMVLO . F . SVO . VIXIT . ANN . IIX . Sed nullibi profecto Mammia gens frequentior, quam Herculanei, quemadmodum plura argumento sunt marmora, ex nuperis priscae urbis effossionibus eruta, quae percommodum reor in medium adferre:

L . MAMMIVS . MAXIMVS . MACELLVM
CVM . ORNAMENTIS . ET . MERITOR . *s.p.f.*
EIDEMQ . DEDICATIONE ||||||||||||||||||||

cuius postremum versum sic restituendum arbitror EP . MVNIC . DED, ut millies alibi, i.e. *epulum municipibus dedit* (a). Porro de hoc ipso Mammio Maximo extat et lamina aerea ibidem:

MAMMIO . MAXIMO
AVGVSTALI
MVNICIPES . ET . INCOLAE
AERE . CONLATO

Tum et qui sequuntur lapides:

DIVAE . AVGVSTAE
L . MAMMIVS . MAXIMVS . P . S

ANTONIAE . AVGVSTAE . MATRI . TI . CLAVDI
CAESARIS . AVGVSTI . GERMANICI . PONTIF . MAX
L . MAMMIVS . MAXIMVS . P . S

L.

(a) Passim huiusmodi titulis vel epulum, aut cenam, vel pecuniae divisionem Decurionibus, Augustalibus, et Populo inscriptam videmus. Quominus vero hoc alterum adpingas spatii iniquitas prohibet.

L . MAMMI
MEN . PATRI
DECVR . MVN
MV .... ERAI

Praeterea et in fragmentis catalogi municipum Herculanenſium, quae item in Regio Neapolitano Muſeo adſervantur, plures recenſentur Mammii: L. MAMMIVS CILIVS; L. MAMMIVS FESTVS; L. MAMMIVS VRBANVS; L. MAMMIVS SYNETVS; L. MAMMIVS ... REPLVS; L. MAMMIVS EVPODVS; L. MAMMIVS THIASVS. Quibus addas L. ANNIVM RVFVM, qui adoptionis cauſſa fortaſſe MAMMIANVS dicitur in Herculanenſi lapide:

L . ANNIVS . MAMMIANVS . RVFVS . II . VIR
QVINQ . THEATH . ORCHESTR
DE . SVO

Itaque, ut eo redeam, unde ſum digreſſus, probe ego ex MAMMIANIS ſeſtertiis, MAMMIO cuidam id monumentum poſitum rebar. Quam in rem eo libentius inclinavit animus, quo pronius mihi fuit ex veteri cippo in agro Corfinienſi deprehendere, Mammiam gentem adprime Corfinii floruiſſe. Lapis vero talis eſt:

D . M . S
T . ALLIO . T . AL . FI . COR ....
MAMMIA . SECVNDILLIA
CON . INCOMPARABILI
CVM . QVO . VIXIT . ANN . XVIII
B . M . P

At

At vero, quum in eo totus verſarer, nihilque reliquum prope eſſe viderem, quo ratum id apud omnes haberetur, ecce mihi neſcio qua ſecunda fortuna alterum in Muratoriano Theſauro Corfinienſe monumentum occurrit, quo vindice locupletiſſimo omnis prorſus, ſi quae ulla umquam erat, evanuit dubitatio. Quin immo hinc felici datum mihi auſpicio, Corfinienſis IIII.VIRI non tantum nomen, ſed et praenomen, ac cognomina pulcherrimo noſtro marmori reſtituere. Atque id Corfinii item eſt eruderatum, intraque turrim S. Alexandri e ſchedis ſuis refert Muratorius (a):

MAMMIAE
AVFIDIAE . P . F . P . NEP.
P . PRON . TITECIAE . MA
RIAE . HONESTAE . PVEL
LAE . FILIAE . P . MAMMI.
AVFIDI . PRISCINI . EQ . R.
HVIC . OB . BENIGNITATEM
PATRIS . QVEM . CIRCA . VR
BICVLI . SECVNDI . SEVIRVM.
AVGVSTALIVM . HONOREM (b)
EGERIT . STATVAM . EX . SVA
PECVNIA . POSVERVNT
L . D . D . D.

Hem quanta hinc nobis in fracto marmore ſanando lux praefulget! An non hic ille idem MAMMIVS, cuius detrun-

(a) Murator. p. DCCXVII. n. 2.

(b) Inſcriptionis verba, CIRCA VRBICVLI SECVNDI SEVIRVM AVGVSTALIVM HONOREM EGERIT, corruptiſſima ſunt, nec quid ſibi velint, video.

detruncatum nomen in noſtra deſideratur inſcriptione? Ευρηκα ſcilicet; ſatisque rem momenta evincunt potiſſima, quod I. utrumque Corfinii effoſſum marmor. II. omnino alterum alteri ſynchronum, ut ab imo ad ſummum patet. III. una utrumque ſcalptum manu, ex ſingulari eiuſdem lapicidae dialecto, abſque ulla haeſitatione arguitur, cui nempe A in E mutatio familiaris erat. Quod enim in noſtra legitur inſcriptione: REMVNERANDAM ADFECTIONEM QVEM pro QVAM, item et in Muratoriana invenitur, ubi OB BENIGNITATEM PATRIS QVEM (a). IV. accedit, quod P. MAMMIVS *Eques Romanus* in Muratoriano epigrammate audit, quum et hunc etiam noſtrum equeſtris ordinis fuiſſe ex eo quiſque intelliget, quod verſu decimo eius liberi EQVESTRIS DIGNITATIS PVERI dicuntur. Habes igitur in noſtra Inſcriptione *P. Mammium P. F. Auſidium Priſcinum*, quem invita temporis edacitate marmori reſtituiſſe iure meritoque mihi gratulor. Sic igitur meo quidem periculo ſupple dexteram (b) prioris lineae partem: P. MAMMIO. P. F. AVFIDIO. PRISCINO.

(a) Conferas quae ſunt a nobis ſuperius animadverſa in DIATRIBA paraſeevaſtiea de marmoris aetate.

(b) Exeuntis primi verſus iacturam infra ſuae integritati reſtituam.

CAPUT II.

CORFINIENSIUM.

Corfinium Pelignorum Metropolis. Qui Pelignorum fines. A Strabone ignorantur. Cluverius laudatur. Plura de eorum fortitudine.

Corfinium longe ante sociale bellum Pelignorum [a] metropolim fuisse ex Strabonis adprime constat auctoritate; siquidem Valeriam viam describens, haec expresse habet *Lib.* v. Η *Οιαλερια δε οδος αρχεται μεν απο* Τιβερων, *αγει δε επι* Μαρσες, *ϗ* Κορφινιον *την των* Πελιγνων *μητροπολιν*. *Valeria via incipit a Tibure, ducitque in Marsos, et Corfinium Pelignorum caput* [b]. Nec nisi ex eo factum profecto, ut quae fortissimorum populorum caput erat Corfinium, Romanae arci opposuerint Italici populi, eamque prae caeteris frequentissimam, munitissimamque veluti communem sibi urbem elegerint. *Κορφινιον*, subdit Strabo idem, *των* Πελιγνων *μητροπολιν, κοινην απασι τοις* Ιταλιωταις *αποδειξαντες πολιν απο της* Ρωμης, *ορμητηριον τε πολεμε μετονομασθεισαν* Ιταλικην. *Corfinium Pelignorum metropolim, communem omnibus Italis urbem, loco Romae designantes, tamquam belli propugnaculum,*

Ita-

(*a*) Pelignis Corfinium, et Sulmonem adsignat Ptolemaeus: Πελιγνων Κορφινιον, Σουλμων, *Pelignorum Corfinium, Sulmo*. Plinius Superequum addit: *Pelignorum Corfinienses, Superequani, Sulmonenses*.

(*b*) Adprime consentit Antonini Itinerarium:

TYBVR	M.P.XX.
CARSEOLOS	M.P.XXII.
ALBAM FVCENTIAM.	M.P.XXV
CERFENNIAM	M.P.XXIII.
CORFINIVM	M.P.XVII.

Italicam vocaverunt. Quae heic offuciae? An vero alieno vel interpretamento, vel fulcro res indigebit, quae ſuo tam firmo ſtat pede? Pelignos porro per Sagrum fluvium a Frentanis diviſos idem Strabo teſtatur *loc. cit.* Μεταξυ δε Ορτωνος, *και Ατερνȣ ὁ Σαγρος ποταμος οριζων τȣς Φρεντανȣς απο των Πελιγνων*, *inter Ortonam et Aternum Sagrus fluvius labens Frentanos a Pelignis dividit*. At ex eo mihi nihil tutius adfirmandi facultas praebetur, quam quod Pelignorum fines inexplorati fuerint Straboni. Quid enim hoc, quod inter Aternum, et Ortonam Sagrus tranſeat, quum ad duodecim paene Pas. Mil. ab Ortona is amnis in mare effundatur? Sigonius vero *de Antiq. Iure Ital. Lib.* I. *Cap.* XIX. ſuſpicatus eſt, *num Sangro terminati fuerint Marrucini, ut ad mare primi fuerint Frentani, Marrucini ſub Frentanis inter Aternum, et Sangrum amnes, ſub Marrucinis Peligni iisdem utrinque fluminibus cincti*. At nemo rem prae Cluverio adcuratius explicaſſe mihi videtur, cuius integrum locum *Ital. antiq. Lib.* II. *Cap.* XIV. recitare haud gravabor: *Fines igitur ipſis* (Pelignis) *circumſcribo iſtos; ab occaſu aeſtivo, qua Veſtinis erant contermini, Aternum amnem ad oppidum uſque, cui vulgare vocabulum* Diberi *prope dextram ripam ſito: inde ab occaſu aequinoctiali, qua Marſis iungebantur, Apenninum montem, ad fontem uſque Sagri amnis, vulgo nunc* Sangro, *et* Sanguine *dicti: ab Auſtro, qua Samnitibus continuabantur, montium iugum, quod a Sagrifonte laevam amnis ripam proſequitur ad oppidum uſque vulgo* Pizzoferrato *dictum. Hinc ipſo Sagro ad Raſini uſque confluentem a Frentanis dirimebantur.*

Iam

Iam vero si quis Pelignae gentis animum paullo adcuratius pervestigaverit, omnino coecutisse credendus, nisi ex antiquis scriptoribus, qui prorsa versaque oratione scripserunt, adverterit, tametsi non admodum numerosam, ac exiguam immo, fortitudine in primis maxime omnium claruisse [a]. Hinc Silius *Lib.* VIII.

. . . . . coniungitur acer
Pelignus; gelidoque rapit Sulmone cohorteis.

Et Tullius *Orat. in Vatin.*: *Ob hasce omnes res*, *scias*, *te severissimorum hominum Sabinorum*, *fortissimorum virorum Marsorum et Pelignorum*, *tribulium tuorum*, *iudicio notatum*. Nec leve videtur, quod hi ex primis numerentur, qui Italici belli facem excitaverunt. Quid quod Samnitibus per Pelignorum regionem fugientibus (tunc enim Romanorum bellum in Samnites fervebat) eam Pelignos cladem intulisse testatur Livius *Lib.* X. *Cap.* XXI., ut ex millibus quinque ad mille caesi sint: *Samnitium*, ait, *agmen*, *quum per Pelignorum agrum fugerent*, *circumventum a Pelignis est*: *ex millibus quinque ad mille caesi*. Nec vero arbitror fore quemquam, qui Pelignorum partem maximam potissimamque Corfinienses constituisse, in explorato non habeat; Corfiniumque

(a) Id adprime ex Strabone palam fit *Lib. V. p.* 369. *edit. Amstel.* Ουηςινοι τε, και Μαρσοι, και Πελιγνοι, και Μαρρουκινοι, και Φρεντανοι, Σαυνιτικον εθνος, την ορεινην κατεχουσιν, εφαπτομενοι μικρα της θαλαττης. εςι δε τα εθνη ταυτα μικρα μεν, ανδρικωτατα δε, και πολλακις την αρετην ταυτην επιδεδειγμενα Ρωμαιοις. *Vestini*, *Marsi*, *Peligni*, *Marrucini*, *Frentani*, *Samnitica gens*, *montana tenent*, *neque fere mare attingunt*. *Populi ipsi exigui sunt*, *sed fortissimi*, *&* *qui suam fortitudinem Romanis saepe demonstraverint*. Et Plinius *Lib. III. c.* 12. de quarta hac Italiae regione, qua Marsi, Peligni, Marrucini, Frentani continentur, haec ait: *sequitur regio quarta gentium vel fortissimarum Italiae*.

que five ipſa ſua magnitudine, ac loci natura, five arcibus munitionibusque, ac populi frequentia unam ceterarum omnium urbem, five Pelignorum, five etiam Veſtinorum, Marſorum, Marrucinorum, Frentanorum, qui contermini erant, fortiſſimam. Quo factum, ut An. V. DCCIV. in civili Caeſaris, et Pompeii bello aptius nullibi Domitius Ahenobarbus, cui Gallia, ut Caeſari ſuccederet, Senatusconſulto decreta erat, ſe cum magno Senatorum, equitumque Romanorum numero munire exiſtimaverit (a). Quam in rem Tullius *Epiſt.* III. *ad Attic.*

(a) Ecce tibi ipſiſſimos antiquitatis teſtes. Dio Lib. XLI. *Και επι Κορφινιον, επειδη υπο Λευκιου Δομιτιου κατεχομενον, ου ομαλον προσεχωρει, ωρμησε· και τινας απαντησαντας μαχη κρατησας, εις πολιορκιαν τους λοιπους κατεκλεισεν. Et Cerfinium, quod oppidum L. Domitio tenebatur, necdum deditionem fecerat, profectus eſt Caeſar: obviaque ſibi manu praelio ſuperata, reliquos obſidione cinxit.* Fuſius Dioni adſtipulatur Appiaous Lib. II. *Εμφυλ.* Ο δε Καισαρ εν Κορφινιω Λευκιον Δομιτιον, επιπεμφθεντα οι της αρχης ειναι διαδοχον, καταλαβων, ου παντας αμφ' αυτον εχοντα τους τετρακισχιλιους, επολιορκει· και οι το Κορφινιον οικουντες φευγοντα τον Δομιτιον αμφι ταις πυλαις καταλαβοντες, τω Καισαρι προσηγαγον. Ο δε την μεν στρατιαν αυτω προστιθεμενην οι προθυμως εδεχετο ες ερεθισμα των αλλων. Δομιτιον δ' αυτον απαθη μετα των εαυτου χρηματων μεθηκεν, οποι βουλοιτο, απιεναι. *Caeſar L. Domitium imperii eius ſucceſſorem a Senatu deſtinatum, ceterosque qui una cum illo venerant, ad quatuor millium numerum Corfinii obſedit. Qua re moti qui urbem incolebant Domitium fugam praeparantem ad portas urbis conſequuntur, atque ad Caeſarem adducunt, qui exercitum eius ad ſe deficientem benigne accepit, quo magis ceteros alliceret, ac Domitium cum omni pecunia, & rebus ſuis, quocumque libuiſſet, abire permiſit.* Tum L. Florus Lib. IV. Cap. I. *Prima civilis belli arena Italia fuit, cuius arces levibus praeſidiis Pompeius inſederat; ſed omnia ſubita Caeſaris impetu oppreſſa ſunt. Prima Arimina ſigna ceciderunt. Tum pulſus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio.* Poſtremo Caeſar Bel. Civ. Lib. I. *Recepto Aſculo, expulſoque Lentulo, Caeſar conquiri milites, qui ab eo diſceſſerant, delectumque inſtitui iubet. Ipſe unum diem ibi rei frumentariae cauſa moratus CORFINIVM contendit. Eo quum veniſſet, cohortes quinque praemiſſae a Domitio ex oppido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia paſſuum circiter tria. Ibi cum antecurſoribus Caeſaris praelio commiſſo celeriter Domitiani a ponte repulſi, ſe in oppidum receperunt. Caeſar legionibus traductis ad oppidum conſtitit; iuxtaque murum caſtra poſuit.* Paria habet Paterculus *Lib. II.*

Attic. Lib. VIII. : *Navis et in Caieta est parata nobis, et Brundusii. Sed ecce nuncii, scribente me haec, ipsa nocte in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu, et pugnare cupiente*. Vrbs enim validis quaqua versus cingebatur muris, ut expresse Lucanus *Lib.* II.

At te CORFINI VALIDIS *circumdata* MVRIS
Tecta tenent pugnax Domiti . . . .

Quorum et meminit Plutarchus *in Caes.* Δομιτιῳ δε ηγουμενῳ σπειρων τριακοντα, και κατεχοντι Κορφινιον, επελθων παρεστρατοπεδευσεν: *Caesar castra posuit sub muris Corfinii, quod Domitius cum triginta cohortibus tenebat*. Ac vero totius rei summam ex uno iam Corfinio pendere, locupletissime Tullius idem testatur *Ep.* v. *ad Attic. Lib.* VIII. *Pendeo animi expectatione Corfiniensi*, IN QVA DE TOTIVS REIPVBLICAE SALVTE DECERNITVR. At haec obiter, ac υϛερον προτερον.

SECTIO I.

Foederatae urbes an municipiorum loco habitae. Mazochius defenditur. Corfinium ante legem Iuliam numquam municipium Romanum extitisse evincitur. Quotuplicis generis foedera obtinuerint.

QVascumque per Italiam foederatas, sociasque Romanorum urbes tantumdem, ac Municipia fuisse arbitratus est clarissimus Mazochius ad *Tabulas Heracleenses*. At id nonnisi post legem tantum Iuliam adfirmari tuto posse, faci-

facile per se quisquis intelliget [a]. In Italia enim ante fociale bellum, civitatemque cum Italis omnibus communicatam, praeter Colonias, Municipia, ac Praefecturas, quamplurima quoque oppida extitiffe, quae nec Coloniae, nec Municipia, nec Praefecturae erant, fed cum populo Romano alicuius tantum iuris focietate devinctae [b], nemo fane reclamante antiquitate erit inficiaturus. Id quod egregie eft ab Sigonio animadverfum *de Antiq. Iur. Ital. Lib.* II. *Cap.* XIV.: *Etenim fi verum quaerimus, foederata civitas aliquid ex foedere populo Romano debuit, in ceteris libera fuit;* et paullo poft: *Caruiffe autem foederata oppida omnia iure civitatis Romanae, illud argumento eft, quod multas ex foederatis civitatibus nominatim civitate donatas legimus* [c]. Enimvero

(a) Poftquam potiores Italiae urbes belli Marfici aetate in civitatem fuerunt receptae, provincialiumque ftatus immutatus, prout de populo Romano militiae meruerat, obfcurata adeo fuit Municipiorum notio, ut obliterato foederatorum, colonorumque nomine, quaecumque urbs, atque cuiusvis oppidi cives, municipium, municipesque adpellati fint. Hinc recte Mazochius *loc. cit.* foederatas fociasque per Italiam orbes, continuo municipiorum loco habitas fuiffe exiftimavit. In eo enim totus verfabatur Cl. Vir, ut evinceret in latina Heracleenfi tabula, tametfi I. *Municipia*, II. *Coloniae*, III. *Praefecturae*, IV. *Fora*, V. *Conciliabula* tantum recenfeantur, haud tamen foederatas civitates praetermiffas, fiquidem municipiorum vocabulo comprehenfas. Tabulam porro iftam eodem ferme anno, quo lata lex Iulia eft (nempe anno DCLXIII.), vel paullo poft fufam, perfpicuum eft. Nifi quod id heic dumtaxat monitum volo, *τo munipiorum loco habitas fuiffe*, nonnifi de municipiis accipiendum abfque iure fuffragii.

(b) Talis erat Capua (& quidem iniquo foedere, iam enim A. V. CDX. metu Samnitium adacti Campani fe Romanis dediderant, ut ex Livio *Lib.* VII. 31. Atque fub haec ubi illis focietas facta cum latinis, fecuta inde deterior illa conditio A. V. CCCCXIV., de qua Livius *Lib.* VIII. 11., ubi accifas adeo res latinorum refert, ut eorum deditionem confuli factam *Campani fequerentur: Latium, Capuaque agro mulctari*); item Tarentum, Tibur, Praenefte, aliaeque, quae nonnifi foedere tantum Romanis erant obftrictae.

(c) Praeftat hic et ad diverfam foederatarum civitatum conditionem digno-

vero ecquem fugit, Neapolim ante legem Iuliam foederatam civitatem fuisse, atque dein per eam ex foedere ad municipium Romanum evasisse [a]? Atque omnium, quotquot adferri possunt, apertissimum, meo quidem iudicio, est Livii testimonium *Lib.* XXV. *Cap.* XVI., apud quem ita Regis Antiochi legatus legatum Romanorum adloquitur: *Qui enim magis Smyrnaei, Lampsacenique Graeci sunt, quam Neapolitani, et Regini, et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves* EX FOEDERE *exigitis?* Qua calumnia se purgans Romanus: *ab Reginis*, inquit, *et Neapolitanis, et Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore iuris semper usurpato, numquam intermisso, quae* EX FOEDERE *debent, exigimus*. Quod item disertis verbis abs Tullio edocemur Orat. *pro Balbo Cap.* XXIV. *Has sacerdotes*

dignoscendam Proculi Iurisconsulti verba subiicere ex *L.* 7. *de Captiv. & Postlim. revers.*, quamvis sub Caesaribus, nec amplius libera Romanorum Republica scripserit: *Non dubito quin foederati, et liberi nobis externi non sint, neque inter nos, atque eos postliminium esse. Etenim quid inter nos atque eos postliminia opus est, quum et illi apud nos, et libertatem suam, et dominium rerum suarum, aeque atque apud se retineant, et eadem nobis apud eos contingant? Liber autem populus is est, sive is foederatus est, item sive aequo foedere in amicitiam venit, sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservaret. Hoc enim adiicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur alterum non esse liberum.*

(a) *Egregie rem persequutus est cl. Nicolaus Ignarra, vir amicissimus; in Regio Archigymnasio Neapolitano Sacrae Scripturae interpres in* de Palaestra Neap. pag. 161. *Neapolim ad Municipii Rom. ius evasisse absque Cicerone foret plane ignoraremus, is enim unus, quamdiu in foedere perseveraris, quave porro lege veneris ad civitatem Romanam, edocuit*. Ciceronis locum pro Cornel. Balb. 24. heic recitat, ac statim subdit: *Duplex Neapoli, ac Veliae Status in Tullii verbis designatur. Primus quum foederatae ambae erant, ex iisque sacerdotes Cereris quibus privatim Civitas Rom. dabatur, avocebantur, alter, quum utraque urbs universe ad Civitatem Rom. pervenit. Sic enim de ambabus loquitur, ut utramque simul foederatam esse desiisse, non obscure significet.*

dotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, foederatarum sine dubio Civitatum. Camertes pariter foederatos fuisse Tullius testatur in Corneliana, et tamen Italico bello Camertium cohortes duas a P. Crasso civitate donatas scimus. Ex his igitur, aliisque hoc genus exemplis, illud potissimum innotescit, foederatas civitates ante Iuliam legem non continuo municipiorum loco habitas fuisse. Quorsum at tam multa, inquies? Scilicet ne municipium extitisse Corfinium ex eo foedere arbitreris, quod anno V. C. CDXLVIIII. cum Pelignis iniisse Romanos, gravissimus scriptor Diodorus Siculus prodit. *Των δε* (inquit *Lib.* xx.) *υπατων Ποπλιος Σεμπρωνιος μετα δυναμεως εμβαλλων εις την των Αικλων χωραν, εχειρωσατο τεσσαρακοντα πολεις εν ημεραις ταις πασαις πεντηκοντα· αναγκασας δε παν το εθνος υποταττεσθαι Ρωμαιοις, επανηλθε· και θριαμβον κατηγαγεν επευχουμενον. ο δε δημος ο Ρωμαιων προς τε Μαρσους, και Παλληνους, ετι δε Μαρυκινους συμμαχιαν εποιησατο: Consulum vero alter P. Sempronius in Aequorum regionem irruptione facta, quadraginta oppida intra dies ad summum quinquaginta subegit; totaque gente in ditionem Romanorum coacta, domum reversus, triumphum egit laudatissimum. Populus autem Romanus cum Marsis, Pelignis, et Marrucinis societatis foedus iniit.* Porro triplex foederum genus obtinuisse apud veteres exploratum est: vel enim inter victores et victos feriebatur, quod iniquum erat, quum nempe a victoribus arbitratu suo leges victis imponebantur; vel inter pares, quod aequum, quum scilicet pares et imponebant et accipiebant leges; vel denique inter eos, qui numquam

sibi

ſibi hoſtes fuiſſent, quod aequiſſimum, quum pari iure ſocietas utrinque et amicitia inſtituebatur. His tamen et quartum adiici poteſt, quod iniquiſſimum, idque nonniſi cum dediticiis percutiebatur, qui tamen non in foedere, ſed in ditione eſſe dicebantur. Hinc illud Samnitium de Sidicinis fluxit: *Sidicinos nec in ſide nec in ditione populi Romani eſſe, ideſt, neque aequo foedere, ut ſe, neque deditione, ideſt, iniquiſſimo foedere, ut Campanos, in amicitiam populi Romani eſſe ſuſceptos*.

At cuiusmodi hoc Corſinienſium foedus fuerit, plane in obſcuro eſt. Tamen ſi quid ex Liviana narratione [a] coniicere mihi liberum foret, eo inclinaret animus, ut nonniſi iniquum illud crederem, quale Carthaginienſium foedus in epitome Liviana XIX. iisdem ferme verbis conceptum: *petentibus Carthaginienſibus pax eſt a Romanis data*. Id vero mihi primum Pelignorum defectio ſuadet, eorumque metus, eo quod unum et quadraginta Aequorum oppida a P. Sempronio Sopho Cons.

 iam

(a) Corſinienſis foederis meminit Livius *Lib.* IX. *c.* 41. *Fabio ob egregie perdomitam Hetruriam continuatur* (hic certe memoria labitur Livius; nam toto anno CCCCXLIV. Papirium Curſorem dictatorem fuiſſe ex faſtis Capitolinis patet; vide Pighium ad hunc annum. Quare anno ſequenti nimirum CCCCXLV. non continuatus Fabio conſulatus, ſiquidem Papirianae dictaturae annus interceſſerat, ſed vere Fabio tertium Conſuli collega eſt datus P. Decius ſecundum) *Conſulatus. Decius collega datur. Valerius Praetor quartum creatur. Coſs. partiti provincias: Hetruria Decio, Samnium Fabio evenit*. cet. *Cum Samnitibus acie dimicatum: haud magno certamine hoſtes victi, neque eius pugnae memoria tradita foret, ni Marſi eo primum praelio cum Romanis bellaſſent. Secuti Marſorum defectionem PELIGNI, eamdem fortunam habuerunt*. Et mox *ibid. Cap.* 45. ad annum V. CCCCXLIX.: *Nomenque Aequorum ad internecionem deletum. De Aequis triumphatum, exemploque eorum clades fuit ut Marrucini, Marſi, PELIGNI, Frentani mitterent Romam oratores pacis petendae, amicitiaeque: IIS POPVLIS FOEDVS PETENTIBVS DATVM*.

iam expugnata, eorumdemque nomen ad internecionem deletum animadverterant. Profecto enim oratores pacem petituros Romam non miſiſſent, niſi de Aequis triumphatum, eorumque clades eos experrexiſſet, uti ex Livio vidimus.

SECTIO II.

Quae Corſinienſis agri metatio. Plura in Ti. Sempr. Gracchi legem de agris dividundis inquiruntur. Piſaurenſis inſcriptio explicatur. Oliverius Mazochium vellicans emendatur. Reapſe colonia per Gracchana tempora Capuae conlocata, Mazochio diſſentiente, evincitur. Corſinium a C. Sempronio Graccho colonia deducitur.

Videamus modo quae conſtituta primum fuerit agri Corſinienſis pertica; *Solum quodcumque* (inquit enim Frontinus *de agror. limit.*) *coloniae eſt adſignatum, id univerſum pertica adpellatur*. Atque abſque Frontino foret, vix eſſet unde primam Corſinium deductam coloniam edoceremur. *Corſinius ager*, ait *Lib. de Colon.* p. 122., *lege Sempronia eſt aſſignatus. Iter populo debetur pedibus LXXX. Ager eius in tetragonon eſt aſſignatus, et ſilicei termini ſunt appoſiti, qui diſtant a ſe in pedes CXX. uſque in pedes DCCCLX., & alia ſigna ſecundum auctorum doctrinam* (a). Verum porro quum non agri laciniam,

(a) Hic auctores non ſunt metatores, ſed diviſionis adſignationisque auctores, quorum erat et limites conſtituere. Hinc quisquis ille ſit agrarius ſcriptor *de caſis litterar.* apud Goëſium p. 226. Caſ. per T. *ſuper limites orientales proximum venientes terminos rariores conſtituimus, SICVT AVCTORES CONSTITVERVNT*. Et alibi : *ſecundum conſtitutionem quam*

ciniam, sed universum agrum Corfiniensem iis limitibus, quos lex Sempronia praescripserat, divisum atque adsignatum diserte Agrarius Scriptor prodat, quotusquisque erit, qui non hinc luculentissime intelliget, ea lege primum Corfinium deductam coloniam? Neminem enim fore existimo, quem fortasse praetereat, numquam nisi in novae coloniae fundatione id obtinuisse, ut universus civitatis ager divisus adsignatusque fuerit; quod si ex adverso factum aliquando, ea certe una opportunitate dumtaxat, sicubi colonicum territorium aliquod ad vicinam coloniam adiudicari opus fuisset. Id quod profecto ubi raro exequutum, numquam non conceptis verbis expressum in Frontinianis collectaneis; uti de Caudio: *Cuius oppidum a Caesare coloniae Beneventanae cum territorio suo est adiudicatum*, itemque de Calatia coloniae Capuensi a Sulla felice adtributa [a].

Scilicet igitur, ut eo redeam, quo cardo rei vertitur, *agrum adsignare*, et *coloniam deducere* unum idemque Agrariis est, nec nisi unum pro altero ab antiquis Romanarum rerum scriptoribus indiscriminatim ad utraque designanda usurpatum. Livius *Lib. III.* Antium coloniam deductam tradit, quum contra Dionysius Halicarnasseus agrum Antiatem divisum adfirmet. Praeterea Suetonius agri Campani civibus Romanis divisi meminit,

 quum

quam *CONSTITVERVNT AVCTORES de aliis partibus*. Caius, et Theodosius: *si termini uno colore positi sint, reverti ad auctorum sublimitatem iubemus, et quod iusserint observetur. Nec enim verecundum sit frequenter AD AVCTORVM DOCTRINAM reverti*.

(a) Plinius etiam *Lib.* XIV. *Cap.* VI. de Colonia Vrbana, quae ab Sulla deducta fuerat haec ait: *Falernus ager, a ponte Campano laeva petentibus Vrbanam coloniam Syllanam NVPER CAPVAE CONTRIBVTAM*, incipit.

quum Dionis auctoritate, coloniam eodemmet tempore Capuam importatam constet. Accedit quod Frontinus idem de Fanestre scribit: *Ager eius limitibus maritimis et montanis est assignatus, et per ea signa, quibus Falerionensis ager*; quo tamen coloniam traductam cum Plinius, tum veteres inscriptiones produnt. Mitto dicere de Carseolis, Calibus, Casino, Venusia, Siponto, Luceria, in quas omnes extra quamcumque dubitationis aleam est conlocatas fuisse colonias, ex Livio, Paterculo, Plinio; quarum tamen nonnisi adsignatus ac divisus ager in coloniarum libello exprimitur [a]. Sed nolo amplius in re satis explorata immorari. Nisi quod diutius haec disputasse non poenitet. Nolim enim quis, ubi de agro Corsiniensi Sempronia lege adsignato audiat, fortasse digitum in eam intendat legem, qua Ti. Sempronius Gracchus Tribunus plebis A. V. DCXX. P. Mutio Scaevola, L. Calpurnio Pisone Coss. populi egestati occurrens cavit: *Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera possideret* [b]. Nam ea lege non utique novae deductae coloniae, sed divisione instituta, agris contra legem occupatis cedere tantum iussi possessores. *Quidquid supra modum*

(a) Nullibi certe disertius ipse se Frontinus explicat, quam ubi de Colonia Capua: *AGER EIVS*, inquit, *LEGE SVLLANA fuerat ADSIGNATVS*; mox vero de Calatia: *Oppidum COLONIAE CAPVENSI A SVLLA FELICE adiudicatum*. Nimirum ager Capuanus adsignatus, et Colonia Capuensis, unum idemque Frontino est.

(b) Iam vero ante Ti. Sempr. Gracchum C. Licinius Stolo Trib. Pl. an. V. CCCLXXVII. lege cavit: *ne quis plus quam quingenta agri iugera, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris possideret*. (vide de hac lege Varronem *Lib. I.* A. Gellium *Noct. Att. Lib. X. Cap. I.*, et Columel. *Lib. I.*) Sed Licinia lex quum optimatum praepotentia iam paene esset obliterata, Tib. Sempronius Gracchus Tr. Pl. Semproniam legem, quae vix dici potest quantas exciverit turbas, promulgavit.

modum praescriptum quis cessum, mancipatum, usucaptum, possessum habuerit, restituto pretio ei aufertor, pauperibusque, qui agrum non habent, dividitor. Atque certe nonnisi ad huiusmodi divisionem, discretionemque Triumviros creatos locupletissime Plutarchus testatur *in Gracch.* Εκ τουτου κυρουται μεν ο περι της χωρας νομος· αιρουνται δε τρεις ανδρες επι την διακρισιν, και την διανομην, αυτος Τιβεριος, και Κλαυδιος Αππιος ο πενθερος, και Γαϊος ο Γρακχος ο αδελφος, ου παρων ουτος· αλλα υπο. Σκιπιωνι προς Νουμαντιαν στρατευομενος. *Legem deinde Agrariam populus iussit, et ad discernendos dividendosque agros Triumviri delecti sunt, ipse Ti. Gracchus, Ap. Claudius socer, et Caius Gracchus frater absens, qui tum sub Scipione ad Numantiam militabat*; tum et Appianus Εμφυλ. Lib. I. p. 357.: Ο νομος ο περι της γης εκυρουτο· διανομειν τε αυτην εκεχειροτονηντο πρωτοι, Γρακχος αυτος ο νομοθετης, και ο αδελφος ομωνυμος εκεινου, και ος εκηδευε τω νομοθετη Κλαυδιος Αππιος. *Lex agraria perlata est, triumvirique agris dividendis creati Gracchus ipse, C. frater eius, et socer Ap. Claudius.* Quin Ti. Sempronio Graccho occiso, in illius locum P. Licinium Crassum suffectum C. Gracchi soccrum, idem Plutarchus auctor est ibid. Η δε βουλη, θεραπευουσα τον δημον, ουτε προς την διανομην ετι της χωρας ηναντιουτο, και Τιτον αυτι του Τιβεριου προυθηκε τοις πολλοις οριστην ελεσθαι. Λαβοντες δε τας ψηφους ειλοντο Ποπλιον Κρασσον οικειον οντα Γρακχω, θυγατηρ γαρ αυτου Λικινια Γαϊω Γρακχω συνωκει. *Senatus quidem ut animos populi placaret, cum aliis usus est rationibus, tum ne agrorum quidem divisionem porro negavit, concessitque, ut in Ti.*

Grac-

Gracchi locum alius, qui praeesset ei negotio, deligeretur. Populi suffragiis P. Crassus est constitutus, cuius filiam Liciniam C. Gracchus in matrimonio habebat (a). Remque adprime Pisaurensi marmore firmatam videmus (b):

A . TERENTIVS M . F.
VARRO LVCVL
PRO . PR . TERMINOS
RESTITVENDOS
EX S . C . COERAVIT
QVA P . LICINIVS
AP . CLAVDIVS
C . GRACCVS III VIR
A . D . A . I . STATVERVNT

Cuius inscriptionis notas III.VIR.A.D.A.I. minus proprie equidem mihi certus sum explicasse virum clarissimum Hannibalem ex Abbatibus Oliveriis in hunc modum: *III Viri assi-*

(a) Apud Hannib. Oliverium Marm. Pisaurens. n. XIII.

(b) Quin et post Appii Claudii mortem adhuc divisionem ex Sempronia lege agraria continuatam fusissime Appianus testatur p. 360. *Post Gracchi necem, Appio Claudio quoque vita functo, Fulvius Flaccus, & Papirius Carbo, cum minore Graccho, legis agrariae susceperunt patrocinium. Quumque veteres possessores agros recenseri tergiversarentur, iudices ad accusandos eos per praeconiam invitaverunt: ac mox enatae sunt lites difficiles plurimae; quidquid enim conterminorum agrorum aut divenditum fuerat, aut divisum sociis, totum in controversia veniebat disceptando, quo pacto venditum esset, aut divisum: quum nec instrumenta extarent omnia, & nonnulli excidissent e suarum portionum possessionibus; quod si quae extabant, & ipsa erant iuris ambigui; quod, dum agri de integro ad mensuram dividerentur, colonorum alii ex consitis, et suis villis, instructis fundis, transferebantur in terram nudam, alii a cultis in incultam, aut coenosam, palustremve: quia iam inde ab initio ager de hoste captus negligenter divisus fuerat: et quoniam edictum fuerat, ut coleretur id agri, quod dividendum erat, dum multi inter colendum evehuntur etiam in contigua, confundebatur locorum facies, aetate quoque multa mutante, ut difficile esset iniurias, quamvis magnas, deprehendere.*

assignari dari agri iura statuerunt. Nam constanti positu cum alibi, tum in lege Mamilia *Cap. IV.*, et Thoria, ubi de agris, *το dare* video *adsignandi* verbo praemitti. Nec *iura* porro heic ullum habent locum; atque certe meminisse summus vir poterat quae de agris *iudicandis* multa sunt apud scriptores. Tullius Orat. I. Agr. *Licebit quod videbitur publicum IVDICARE, quod IVDICAVERINT vendere*. Et in Epitome Liviana *Lib.* LVIII. de ipsa Ti. Sempronii lege: *Promulgavit et aliam legem agrariam, qua si quis latius agrum patefaceret, ut iidem III Viri IVDICARENT, qua publicus ager, qua privatus esset*. Quibus animadversis pronum est Pisaurensis tituli notas legere: *III Viri agris dandis adtribuendis iudicandis* terminos statuerunt. Nec est cur pluribus hanc suadeam interpretationem, opportune enim atque expressissimis verbis in veteri marmore occurrit apud Grut. p. CDXXI. C. IVLIVS L. F. CAESAR STRABO AED. CVR. Q. TR. MIL. BIS. X. VIR. AGR. DAND. ADTR. IVD. PONTIF.

Sed fortasse quidem dicet aliquis, cui bono tam multa? Nimirum ut ex ipsis radicibus magnum revera evellam obstaculum. Video enim clarissimum Oliverium, Pisaurensis marmoris opportunitate adrepta, limites Gracchanos agri Campani apud Frontinum, nonnisi ex Semproniana hac divisione explicare maluisse. *Hinc*, inquit, *intelligimus quid sint in Frontino limites Gracchani, in quibus explicandis frustra se exercet doctissimus Mazochius*. Vtinam autem dum Mazochium relevare studet, ipse non caderet! Sed quoad Mazochium pertinet, aliud erit quaestionis caput, num revera Capuam Gracchus colo-

coloniam deduxerit, nec ne; quam rem ne diutius hic lectori incommodem, in subiacente nota disquiram [a]. Nunc

(a) *Prima Capuam deducta colonia ab Graccho, reclamante Mazochio evincitur.*

Clarissimus Mazochius ad Frontini locum: *Ager Campanus limitibus Gracchanis in iugera N. CC. Kardo in orientem, Decimanus in meridianum* haec adsuit in de Amphith. Campano p. 45. *Age vero qui sunt in Frontino limites Gracchani? an Gracchus omnium primus Capuae coloniam collocavit? Lauredanum quidem ita sentientem supra refutavimus.* Et paucis interiectis: *Quum de constituta colonia hic a Graccho nemo alius testis adstipuletur, quidvis potius de limitibus Gracchanis cogitandum puto. Satis fortasse fuerit nonnullam nostri agri laciniam fuisse per Gracchana tempora praecisam; iustam vero coloniam ab eo hic constitutam, id vero nego.* Atque haec Mazochius, cui Oliverius intercedit, uti si ibi limites Gracchani nonnisi divisionem, iudicationemque agri Campani per Semproniam legem designent. Sed Oliverium (cuius auctoritati nihil detractum volo) frustra hac in re esse mox demonstrabo. Neque tamen minus sublestae mihi iudicasse videtur Mazochius, nullam a Graccho Capuam constitutam coloniam contendens. Mitto viri profundissimi argumentum, quod de ea Gracchana colonia nemo alius testis adstipuletur; nam et de Sullana colonia praeter Frontinum, ipsemet viderat neminem ex antiquis scriptoribus locutum, et tamen firmam ratamque illam ex amphitheatri Campani inscriptione, post multam aetatem eruderata, constitisse. Mitto et id praeterea, quod Frontinianus locus omnino interpretationem illam excludit, laciniam agri Campani fuisse per Gracchana tempora praecisam. Qui enim laciniam putes, ubi exertis verbis AGER CAMPANVS dicitur; iam si *ager*, utique *universus ager*, quemadmodum ex Tullii auctoritate *Agrar.* II. mox videmus. Vtinam vero acutissimi viri diligentiam non praetersugisset Plutarchi locus patentissimus in Gracch., ubi de C. Graccho inquit: *Institit aliis de integro legibus devincire sibi plebem, legem promulgans de COLONIIS Tarentum et CAPVAM DEDVCENDIS.* Profecto rem totam hinc comprehendisset Mazochius, neque opus ei ad laciniam recurrere fuisset. Quamvis vero a Plutarcho plane id taceatur, an vim suam Gracchana ista lex de coloniis Tarentum, et Capuam deducendis sortita fuerit, patet tamen locupletissime ex Frontino tum de Capua: *Ager Campanus limitibus Gracchanis in iugera N. CC.*, tum de Tarento: *Territorium Tarentinum, Lypiense, Austranum, Varium, in iugera N. CC. Limitibus Gracchanis.* Sed et absque Frontino foret, satis mihi et auctoritas Velleii Paterculi fuisset Lib. I. *Cassio autem Longino, et Sext. Calvino Cos. Fabrateria deducta est abhinc annos CLVII. et post annum Scyllacium, Minervium, Tarentum.* At Consulatus Cassii, et Longini in an. V. DCXXIX. incidit, quumque post eum annum, nempe DCXXX. Tarentum deductam coloniam Velleius doceat, quis non videt deductionem eam ex Gracchana lege factam? cuius rei vel ipse testis

Nunc cum ipſo Oliverio, viro certe profundae eruditionis, ac in omni antiquitatum genere conſummatiſſimo eſt mihi in re praeſenti concertandum. Ac cedam id primum ſummo viro, quod iure cedendum illi intelligo; nimirum lapide quem recitavimus vindice, Piſaurenſem agrum ab Triumviris P. Licinio, Ap. Claudio, C. Graccho ex Sempronia lege diviſos ac iudicatos. Cedam et id amplius, quod uti Piſauri, ita in aliis quoque quam pluribus locis eadem ſit exequuta diviſio. Quid lucri vero tandem hinc? An ubi ex Frontino auditur: *Ager Corſinius lege Sempronia eſt aſſignatus*, fortaſſe de ea diviſione rem ibi eſſe ſuſpicetur aliquis, qua quingenta iugera poſſeſſoribus relicta, reliquum plebi adiudicatum, nulla interim colonia in urbem deducta? Nugae, et ſi quid nugis nugacius eſt! Mitto quod ſi res ita ſe haberet, iam ante Semproniam legem coloniam Corſinium deductam ſequeretur, nullamque mox ex ea lege novam formam in urbem inductam. Quis vero ante Gracchana tempora coloniam Corſinium conſtituerit? Porro lex iſta conceptis verbis in Epitome Liviana ſignatur: *Ne quis EX PVBLICO AGRO plus quam quingenta iugera poſſideret*; atque non ſecus de agro publico eam legem latam cum Appianus, tum Plutarchus perſpicue adſtipulantur. Quid igitur legi huic agris dividundis adtribuendisque cum Frontino commune, cui de univerſo agro adſignato res eſt [a]?

D Igitur

teſtis eſt Plutarchus, qui an. V. DCXXX. C. *Gracchum aliquid rei agrariae in Tribunatu attigiſſe* ſcribit. Quare ſi vim ſuam in Tarentinae coloniae deductione Gracchi lex obtinuit, vel me tacente quisquis intelliget, et Campanam coloniam ab eo deductam. Nolo plura.

(a) Quum Civitatis *ager* memoratur, non de parte aliqua, ſed de toto accipitur. Opportune Tullius Orat. Agr. II. *Ager Irpinus, totum enim poſſidet*.

Igitur omnino diversam esse Semproniam legem auctor sum, qua colonia Corfinium est deducta [a]. Atque coniecturam in primis non levem mihi Plutarchus facit in Gracch. *Εγραψε δε και πολεις αποικιδας εκπεμπεσθαι*; *scripsitque etiam* (leges) *ad civitates coloniales deducendas*. Et rursum: *Αυθις ετεροις νομοις απηρτησε το πληθος αποικιας μεν εις Ταραντα , και Καπυην πεμπεσθαι γραφων* : *Institit et aliis legibus devincire sibi plebem , legem promulgans de coloniis Tarentum et Capuam deducendis* . Nec vellem quis hac in re mihi obsistat , velut si praeter hasce urbes nulla amplius per Semproniam legem deducta fuerit colonia. Nam reducto sipario, iam res largius explicatiusque in Epitome Liviana narratur Lib. LX. *Gracchus Tiberii frater Tribunus Plebis eloquentior , quam frater , continuato in alterum annum tribunatu* (is est annus urbis DCXXXI.) *legibus agrariis latis , effecit , VT COMPLVRES COLONIAE IN ITALIA* [b] *DEDVCERENTVR*. Quid hoc clarius , potentiusque , quo robur suum his quae adhuc disputavimus maneat? Atque in hunc censum non modo Corfinium habes , sed et Suessam Auruncam , de qua Frontinus *ibid.*

(a) Iam vero et ipse Tib. Sempronius Gracchus lege sua caverat: *Triumviri colonos non modo intra Italiam , verum etiam si res postularit , extra Italiam colonias deducendi ius potestatemque habento . Auspicii coloniarum deducendarum causa Tresviri pullarios habento*. Quo et spectat lex agraria , quam P. Servilius Rullus Tr.Plebis proposuit, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss. *Auspicii coloniarum deducendarum causa EODEM IVRE QVO LEGE SEMPRONIA, Decemviri pullarios habento.*

(b) Atque Italiam quidem usque ad Alpes extendebat , teste Velleio Lib. II. de eodem C. Sempr. *Dabat Civitatem omnibus Italicis, extendebat eam pene usque ad Alpes , dividebat agros , vetabat quemquam plus quingentis iugeribus habere , quod aliquando lege Licinia cautum erat*. Vide et Appian. Alexandr. Εμφυλ. Lib. I.

ibid. p. 107. *Suessa Aurunca, muro ducta, colonia lege Sempronia est deducta*; itemque Abellinum, Ferentinum, Velitrae, Tarquinium, quae sigillatim in Frontinianis collectaneis COLONIAE LEGE SEMPRONIA deductae enarrantur. At manum de tabula.

SECTIO III.

Agri colonici terminis finiebantur. Quibus terminis in hac prima coloniae deductione Corfiniensis ager finitus. Frontini locus exponitur, et illustratur.

Agrum colonicum termini finiebant (a). Hi porro variis ex caussis varia sortiebantur nomina. Alii enim ex auctoribus nomen arcessebant, ut ex C. Caesare, Augu-

 sto,

(a) Terminorum, seu lapidum terminalium usum apud latinos, nedum apud Hebraeos obtinuisse ex *Deuteronom. XIX.* 14. patet: *Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.* Atque ii ingentes quidem, ut recte monuit Mazochius *Spicil. Bibl. tom. II. pag.* 108. in hunc locum: *Ne transferri possent, praegrandes lapides, et plusquam molares in eum usum primitus adhibebantur.* Porro apud Graecos eumdem etiam fuisse morem, nempe terminos in possessionibus figendi, locupletissimus auctor est Homerus *Iliad.* Φ. *v.* 403. de Minerva, quae Martis cervicem saxo percussit, quod arvi terminus erat:

Η δ' αναχασσαμενη, λιθον ειλετο χειρι παχειη
Κειμενον εν πεδιω, μελανα τρηχυντε μεγαντε
Τον ῥ ανδρες προτεροι θεσαν εμμεναι ουρον αρουρης
Τῳ βαλεθουρον Αρηα κατ' αυχενα, λυσε δε γυια.

Abstitit illa, simul vulsum destraque molarem
Nigrum, asprum, ingentem (campo qui forte iacebat
Limes agro, ut positus litem dispesceret arvis)
Vi iaculans, Marti cervicem et genua resolvit.

Quem imitatus est Virgilius Aeneid. XII. v. 896.

Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,

Qua-

ſto, Tiberio, Claudio, Veſpaſiano, Traiano, et interdum ex menſoribus, ut Cilicio: alii vero vel a materia, ut teſtacei, ſaxei, ſilicei, molares, marmorei: vel ex colore, uti virides, palumbacei, albi: vel demum ex forma, hinc cubi, longi, tornatiles, et rotundi dicebantur. Praeterea vel litterati erant (a), vel ſecus (b).

Corſi-

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Vbi Turnus ingentiori, quam ut a duodenis viris baiularetur, ſaxo adrepto hoſtem adoritur. Nihil vero ea vocis origine ineptius quam ſuadere Varro videtur *Lib. IV.* de L.L. a *terendo* terminos dictos. Quod enim Graecis τέρμα, ſigna Latinis ſunt, quae agrum ab agro, i.e. limites agrorum, fineſque poſſeſſionis praemonſtrant?

(a) Quamplurimos litteratos terminos heic adſcribere poſſem. At ſatis ſit hanc in rem Hygini locus Lib. de limitib. conſtit. p. 191. *Certis locis aras lapideas* (quae cippi erant in arae modum exciſi) *ponere debemus, quorum inſcriptio ex uno latere perticae adplicito finem coloniae demonſtrat, ex altero, qua foras exit ad fines.* Talis porro eſt Gruterianus ille terminus *p.* CXCIX. 4. TERMINVS INTER PACENS. ET EBORENS. CVRANTE P. DATIANO V. P. PRAESIDE. ab uno latere HEINC. PACENSES. in adverſu HEINC. EBORENSES. Sic et apud Sponium Miſcel. *erud. antiq.* terminus inter Aquenſes, et Arelatenſes:

FIN	FIN
AQ	AREL

(b) Termini, qui litterati non ſunt, ab agrariis ſcriptoribus CVRSORII vocantur. Hinc Boethius apud Goeſium *pag.* 148. *Non enim omnis titulus inſcriptionibus eſt inductus, quoniam aliquibus locis non ſunt lapides ſcripti, ſed in effigiem terminorum poſiti, quos curſorios vocamus.* Eſt autem animadvertendum, in hoc iam recitato Boëthii loco, *tituli* vocem ὑλικῶς accipi pro cippo cacuminato, cui aliquid inſcribebatur; & eodem modo tunc etiam dici, quum forte non inſcriptus, ſeu illitteratus erat: haec enim loquendi conſuetudo frequentiſſima Boëthio eſt. Atque hinc mihi perſuadeo, nullo pacto Goeſianam emendationem, ubi *Tutulus* correxit, conſtare: quid enim tutulo flaminum cum terminis commune? At tribuatur hoc Goeſio: tamen compertiſſimum eſt tutulum ab imo in acumen uſque conductum eſſe: at cippos terminales in extremo tantum cogi in metam. Quod et alio loco declarare libet *Fragm. Terminal. p.* 147. *Sunt et termini curſorii in effigiem tituli conſtituti, rectitudinem* (h. e. rigorem ad ſuos ομαλογυς) *tenentes, et inter ſe ſpatium habentes.* Ex quo vide, Curſorios illitteratos fuiſſe; et tamen eo quod ad effigiem titulorum h. e. cipporum litteratorum in ſummo erant faſtigati; ideo ὑλικῶς, ut dixi, *tituli* vocitabantur. De terminis hoc genus vide Scriptores Agrarios, et Mazochium noſtrum, quem memini, nonnulla ſparſim de his adtigiſſe in *commentar. ad tabulas aeneas Heracleenſes.*

Corfinienfis agri nullum adhuc litteratum terminum invenire datum eft. Illitterati vero quamplures habentur ex Frontino, ubi Corfinii agri adfignationis meminit. Videamus igitur qui, cuiusve generis hi fuerint. Frontinus p. 122. *Ager*, inquit (fc. Corfinius) *in tetragonon eft adfignatus, et filicei termini funt adpofiti, qui diftant a fe in pedes a CXX. ufque in pedes DCCCLX.*, *et alia figna fecundum auctorum doctrinam*. Quem locum eo libentius heic exfcripfi, ut a praviffimo mendo vindicarem. Non enim hi filicei termini diftabant a fe in pedes a CXX. ufque ad pedes DCCCLX., fed a DCCXX. ufque in pedes DCCCLX. Quapropter omnino corrigendus videtur hic Frontini locus, cum altero Siculi p. 144. *Ager Corfinius lege Sempronia eft adfignatus. Iter populo debetur p. LXXX.*, *cuius agri menfura in tetragonon variis locis eft conlecta, et termini filicei funt adpofiti, quorum diftantia eft in pedes DCCXX. in pedes DCCCLX. Hoc in locis montuofis, in quibus alii iuxta naturam loci fpiffiores funt, ideft fiue menfura funt adpofiti, et interiectis locis, muros, macerias, lacus convallium, aras, canabula, quod tegulis conftituitur*. Praeterea et in eo amplius Siculi locus Frontiniano praeftat, quod quae figna ab Frontino omittuntur, hic exponit, nempe agrum Corfinium lapidibus filiceis, muris, maceriis, lacubus convallium, aris, et canabulis finitum. Quae vero fint iftae canabulae modo difquiram, cetera enim plane nota funt [a].

Quum

(a) Ac de maceriis quidem, quid fint in re agraria; vel ex Siculo Flacco eft intelligere Lib. de condition. agror. p. 11. *Si faxofus fit ager, repar-*

Quum canabulae saepissime in Frontino dicantur *tegulis construi et constitui*, non dubito equidem, quin e figulino opere constiterint. Tegulum enim non tantum id esse videtur, quod tegmini aptatur, sed quicquid amplius ex opere testaceo et figulino constat. Canabulae porro verbum, vel cannabulae potius, ut nonnullis scribere adridet, a canna deducitur. Et enimvero canabulas modicos fuisse aquaeductus, per quos aqua transmittebatur, ubi in limitibus fossati intercidebantur, nemo est qui ambigit. Nec vero ab iis, quos ex Vitruvio descriptos invenio *Lib.* VIII. *Cap.* VII. multum discrepabant, nisi fortasse laxitate, ut arbitror. At neges testaceo opere fuisse canabulas structas? Quorsum, amabo te, in Frontino saepius canales vocantur? agedum audiamus Frontinum *p.* 142. *eorum delimitatio est per rationem arcarum, vel riparum, vel canalibus, et noverca*, quod et *p.* 143. repetitum invenio. Sed cui bono tam multa de canabulis? ut scilicet quisque caveat, ne canabulas *loca iniqua* credat, ut somniavit Ianus Guilelmus Laurentius, vel *loca sterilia, et loci amaritudines*, ut fidentissime pronuntiavit Laurembergius III. *Grom.* 17. *et* II. 5.

SE-

repurgatur, et ex congestione maceriae fiunt. Cui accedit et incertus auctor apud Script. rei agrar. p. 146. *Congerias maceriae, id est ubi saxa collecta ab utrisque limites dederunt*. Ad aras vero quod pertinet, vide Hygini locum, quem supra occupavimus. Vtrumque habes in veteri inscriptione ap. Gruter. p. DCCXI. *IN RIGOREM MACERIAE ET FVRCARVM ET ARA IN QVA FVRCEPEM*.

S E C T I O IV.

Corfinium Augustea lege iterum colonia deducta. Frontini locus restituitur. Rigaltius notatur. Corfiniensem agrum militibus adsignatum conicitur.

Corfinium Octaviani Augusti aetate iterum coloniae vices subiisse, facile est coniicere. Idque mihi Frontinus suadet *p.* 121. *Corfinius ager limitibus maritimis, et montanis in iugera CC. sunt adsignati, lege Augustea sunt censiti, et termini Augustei ibidem nuncupantur.* En sueta Frontiniani epitomatoris supinitas. Diu quidem me Frontini hic locus exercuit, ut, quae vera eius esset lectio; tandem adsequi daretur [a]; sed commode, ac pronissime ea sic in nativum sensum restituenda videtur: *Corfinius ager limitibus maritimis, et montanis in iugera CC. est adsignatus, lege Augustea est censitus, et termini Augustei*

(a) Maxime quidem dolendum Iulii Frontini, et Siculi libellum *de coloniis* deturpatum adeo ab ignaro epitomatore, ut frustra Frontinum in Frontino quaeras. Hinc merito cl. Iurisconsultus Goesius *p.* 356. pronuntiavit, *nihil nos in libello de coloniis genuini habere, quod scripserit Frontinus, sed potius tum ex illo, tum ex aliis excerpta male, et negligenter congesta ab homine indocto, et earum rerum plane ignaro, ut qui multa imperite, perplexe, imo et contra veritatem* (aegre tulit Goesianam censuram Mazochius noster *de amphit. Camp. p.* 39.) *congesserit*. Mirum hinc non videtur, quod locus hic de Corfinio agro suos etiam passus sit manes. Fortasse arbitror Frontinum in hoc loco perplures, quod in ceteris plane observatur, agros adcumulasse, uti *p.* 118. *ager Cuprensis, Truentinus, Castranus, Ternensis lege Augustea sunt adsignati*. Hinc quam optime locus sederet, si ex. gr. dixisset: *Corfinius ager*, Sulmonensis, Superaequanus, *limitibus maritimis et montanis in iugera CC. sunt adsignati, lege Augustea sunt censiti* cet. Quapropter nullum mihi dubium, quin ceteros agros (qui fuerint, disquirant alii) a Corfiniensi, cetera nihil quidquam curans, seiunxerit Frontinus personatus. Atque haec eo dumtaxat consilio adposui, ne quis τὰ *adsignati* et *censiti* ad limites referat.

gustei ibidem nuncupantur [a]. Eiusque medicinae caussa Frontinus ipse fuit, qui in libello *de coloniis* numquam non hanc ipsam usurpat dictionem. Constituta igitur hac lectione, quid magnopere produci potest contra alteram hanc ab Augusto deductam coloniam? Quorsum enim haec nova agri Corfinii Augustea lege adsignatio? Quorsum haec nova agri iugeratio? Quorsum denique terminis Augusteis [b] pertica circumscripta, nisi iustam Augustus coloniam Corfinium deduxerit?

Turbat heic tamen rem omnem Rigaltius vir gravissimus. Is in indice Scriptorum Rei Agrariae apud Goës. *p.* 256. haec ait: *Corfinius ager. Paullo post etiam Corfinius censebitur. Itaque in alterutro scribendum Comfinus*. At, ut quod res est, ingenue fatear, futilis prorsus ista mihi Rigaltiana censura videtur, quandoqui-

(a) Agrum censere hic nihil aliud est quam limitibus dividere, quemadmodum in eodem coloniarum libello de Caudio: *ager eius veteranis fuerat assignatus, postea mensuratus LIMITIBVS EST CENSITVS*. Et infra de Foro Popilio (veteri urbe in Campania): *Limitibus Augusteis ager eius in iugeribus est assignatus: nam Imperator Vespasianus postea LEGE SVA AGRVM CENSERI IVSSIT*. Et p. 138. *Gavis oppidum lege Sullana* cet. *ager eius militi ex occupatione CENSITVS EST*.

(b) Ecqui sint termini Augustei vel ipse Frontinus docet *de colon. p.* 143. *In locis montanis*, ait, *terminos posuimus rotundos, quos Augusteos vocamus pro hac ratione, quod Augustus eos recensuit, et ubi defuerunt, lapides alios constituit, et omnem terram suis temporibus fecit remensurari, ac veteranis adsignari, qui lapides C. Caesaris lapides rotundi ex saxo silice aut molari supra terram sesquipedem in terra pedes IIII. distant a se in ped. II CCCC.* Confer etiam Latinum et Mysrontium, nec non et Boëthium II. *de geometr.* Porro hos terminos Augustales quandoque dictos, praeter Boëthium, ex hoc veteri lapide adparet apud Grut. p. cxcix. 2. IMP. CAESAR. AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POT XXVIII. COS XIII. PATER. PATR. TERMINVS. AVGVSTAL. INTER. BLETISAM. ET MIROBR. ET. SALM. Et ex Alcantereno ibid. n. 3. IMP. CAES. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXI. COS. XIII. PAT. PATR. TERM. AVG. INTER LANC. OPP. ET. IGAEDIT.

doquidem de Comſino agro iam antehac praenotaverat Frontinus *pag.* 126. *Ager Comſinus limitibus Gracchanis, iter populo non debetur. cet.* Eccur igitur, ut eodemmet Rigaltii argumento utar, Frontini locus corrigendus *ager Comſinus*, ſi paullo poſt et Comſinus ager cenſebitur?

Praeterea quo anno Corſinium coloniam Auguſtus deduxerit? in tanto antiquorum Scriptorum ſilentio (ac inopia etiam, nam latinas Auguſteae aetatis hiſtorias fato malo deperiiſſe nemo ignorat) quid potius adfirmem, non habeo. Niſi quod haud mihi quempiam reſtiturum arbitror, ſi veteranis Corſinium agrum nova Auguſteae coloniae deductione adſignatum prona coniectura contendam. Scio quippe Auguſto id curae maxime omnium inſediſſe, ut militibus non alia victoriae praemia, quam agros divideret. Atque ante pugnam Philippenſem, quidem, inito iam Triumviratu, octodecim colonias ſuis oſtentaſſe militibus, Appianus auctor eſt Lib. IV. Ἐμφ. λ. *p.* 590., quem latine loquentem profero: *Et quo alacrior*, ait, *redderetur exercitus*, *poſt propoſita victoriae praemia, praeter alia donativa promiſſae ſunt eis coloniae XVIII. Italicarum Urbium tam opibus, quam agri bonitate, ac aedificiorum pulchritudine praecellentium, quarum urbana, ac ruſtica praedia non ſecus quam bello capta dividerentur. Inter has eminebant Capua, Regium, Venuſia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona. Atque ita pulcherrima Italiae pars militibus adſcripta eſt.* Nam centum ac ſeptuaginta militum millia in agros erant deducenda; nempe legiones viginti octo cum ſuis adpendicibus, ut eiuſdem Appiani

conſtat auctoritate (a). Mox vero Lepído exauctorato, ac in ordinem redacto, devictoque amplius apud Actium Antonio, alias atque alias Auguſtum in Italiae urbes deduxiſſe colonias, ex lapide Ancyrano habemus apud Grut. p. CCXXXI. EA . MILLIA . HOMINVM . PAVLLO . PLVRA . QVAM . DVCENTA . FVERVNT . AGRIS . QVOS . IN . CONSVLATV . MEO . QVARTO . ET . POSTEA . CONSVLIBVS . MARCO . ET . CN . LENTVLO . AVGVRE . ADSIGNAVI . MILITIBVS . SOLVI . MVNICIPIIS . Atque is fuit annus urbis DCCXXIV., quo amuſſim Dio Caſſius Lib. LI. haec de Auguſto tradit: *Conventus omnes Italiae, qui Antonii rebus ſtuduerint, extorres egit, militibusque agros eorum donavit*. Verum neque heic reſtitit Auguſtus, nam et alias ab eodem deductas colonias diſerte idem litteratus lapis prodit, tum anno V. DCCXL. M. Licinio Craſſo, et Cn. Lentulo Augure Coss., tum ſeptimo poſt anno, Claudio Nerone iter. et Piſone Coss., ac anno demum DCCLII., quum nempe L. Caninius Gallus, ac Q. Fabricius Conſules ſuffecti proceſſerant. Atque huc facit Suetonius in Auguſto cap. XLVI. *Vrbe, urbanisque rebus adminiſtratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab ſe, frequentavit, operibusque, ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit; etiam iure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adaequavit*. Nimirum quum Italiae pleraeque urbes

(a) Appianus *Lib. V.* Εμφυλ. *p.674.* Sed parta attamen victoria, quum revera legionibus XXXIV. agros in Italia diviſerit (vide eumdem paullo infra) multo plures conſtitutae paſſim in Italia militum coloniae, quae tamen Triumvirales audierunt, ſiquidem triumvirali lege deductae.

bes tot delectibus per bella civilia exhauſtae eſſent (a), Auguſtus pace parta, militaribus coloniis in eaſdem deductis, frequentandas curavit, ut non tantum Italiae urbium ſolitudini, ſed et militum conſuleret cupiditati (b). Quae autem octo iſtae ac viginti coloniae fuerint, quas poſtremo in Italia conlocavit Auguſtus, praeter non multas, quas expreſſe Colonias Auguſtas antiqua adhuc uſque eruderata marmora produnt (c), quis, deperditis tot veterum ſcriptorum monumentis, in numerato habere ſperaverit? Frontinus unus, cuius ſcripta uſque ac uſque foedata ſuperſunt, ut librum aenigmatum potius, quam coloniarum non immerito cenſeas, plura conglobavit (d);

 Atque

(a) Id adprime ex Caeſaris Dictatoris cenſu A. V. DCCVIII. patet. Namque eo anno, qui belli civilis tertius erat, inquit Plutarchus in Caeſ. *Centum et quinquaginta hominum millia reperta ſunt, cum antea* CCCXX. *millia fuiſſent. Tam magnam cladem, tantasque populi ſtrages inteſtina mala pepererunt, praeter reliquas Italiae, ac provinciarum vaſtitates.* Vide et Liv. Lib. cxv. et Appian. Lib. II. Εμφυλ. p. 492.

(b) Audiendus hanc in rem Hyginus de limit. conſtit. p. 160. edit. Goeſ. *Divus Auguſtus in adſignata orbi terrarum pace, exercitus, qui ſub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter et ſuarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis. His, quibusdam deletis hoſtium civitatibus, novas urbes conſtituit; quasdam in veteribus oppidis deduxit, et colonos nominavit. Illas quoque urbes, quae deductae a Regibus, aut Dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauſerat, dato iterum coloniae nomine, numero civium ampliavit, quaſdam et finibus.*

(c) Huiusmodi eſt CAPVA *Colonia Iulia Felix Auguſta* ex litterata Amphitheatri Campani fragmento, quem abſolutiſſimo commentario illuſtravit vir ſummus Alexius Symmachus Mazochius. Item NOLA ex lapide Grut. p. MLXXXV. 14. LAVRENTVM ibid. p. CCCCLXXXIV. 3. ARIMINVM p. CCCCXCII. 5. PERVSIA p. CLXIV. 7. VERONA ex inſcript. ad arcum Veronenſem ap. Maffeium Muſ. Veron. PARMA ap. Grut. p. CCCCXCII. 5.

(d) Nimirum ex Frontinianis excerptis, praeter Capuam, et Nolam, (quas et ex antiquis inſcriptionibus Auguſteas Colonias vidimus) hae numerantur: Puteoli, Cumae, Liternum, Forum Popilii, Atella, Acerrae, Nuceria, Teanum Sidicinum, Sora, Teate, Corfinium, Trebula, Grumentium, Amerinum, Nurſia, Arretium.

Atque ex eo pronum cuivis erit coniecturam capere, inter octo illas ac viginti colonias Corfinium etiam adnumeratum. Nam nonnisi post Actianum conflictum Augusti cognomen consequutus est Caesar; nec lex Augustea, qua Corfiniensis censita est pertica, aliam de novissime huc deducta colonia insinuat aetatem.

S E C T I O V.

Frontini locus de Augustea agri Corfinii adsignatione illustratur, atque explicatur. Quid sit ager Corfinius in praecisuris adsignatus. Quae eius iugeratio, limitatio, termini.

NE quid de Corfiniensi agro intentatum reliquam, alterum Frontini locum, qui ad hanc Augusteam deductionem pertinere adprime videtur, explanare est animus. Is in Lib. de colon. p. 125. *Corfinius*, ait, *ager limitibus maritimis, et montanis* (a) *in centuriis singulis iugera CC. Finitur terminis Tiburtinis, et rivis, arboribus peregrinis, vel antemissis, monimentis, viis, nymphis* (b). *Ager eius in praecisuris est adsignatus*. At, ut ab extremo exordiar, quid illud, *Ager eius in praecisuris est adsignatus* significet, dicam.

Iam vero id prima fronte maxime animadvertendum duco, uti non unam ubique agrorum conditionem, ita neque

(a) *Limites* (ait Hyginus de limit. constit.) *a loci natura nomina acceperunt: et qui ad mare spectant, maritimi: qui ad montes, montani sunt appellati.*

(b) Fortasse legendum *nympheis*, quorum crebra est mentio in antiquis inscriptionibus.

neque eamdem ubique delimitandi rationem tenuisse mensores. Nam alibi limitatione una levi brachio territorium omne comprehendebatur [a]; alibi contra, quum inadsignatum relinquere necesse esset quidquid ardui soli erat et confragrosi, fieri omnino non poterat, ut unica limitatione perageretur cancellatio; quapropter ager variis locis adsignare opus erat. Atque id est, quod in prima etiam, nempe Semproniana agri adsignatione observasse finitores, fundus et auctor est Frontinus p. 144. loco iam supra recitato: *Ager Corfinius lege Sempronia est assignatus*. cet., *cuius agri mensura in tetragonon* VARIIS LOCIS *est collecta*. Porro et haec ipsa adsignatio est, quae non raro et *IN LACINEIS* facta (quaeque Siculo est *per particulas*) dicitur in excerptis Frontinianis [b]. Sunt

(a) Nimirum quum nihil ardui ac amari soli interesset alicubi; totumque iam territorium adsignationi idoneum esset, tunc finitima linea a mensoribus circumscribebatur, sive quae per fines transibat, vel de signo ad signum Hygino teste de limit.agror. pag. 55. edit. Goes. *Ex colle eo, qui appellatur illorum, ad flumen illud, et per flumen illud, ad rivum illum, aut viam illam, aut per viam illam, ad infima montis illius, qui locus appellatur ille, et inde per iugum collis illius, per divergia aquae ad locum, qui appellatur ille, et inde ad compitum illius ad locum illum, unde primum coepit scriptura esse*. Vel a termino ad terminum. Nam ubi signa deerant, modo ex Hygino notata, tunc terminis extrema agri signabantur, qui linea ab uno ad alium ducta totum territorium (unde *termini territoriales* dicti) cingebant. Sed nec illud demum praeteream huiusmodi finitimam lineam rectam continuo fuisse; nec enim nisi per rectas lineas agrorum mensuram agere finitores solebant. Quod sane sollemne adeo iisdem erat, ut si quem agrum curvum descripturi forent, id per rectarum segmenta exequerentur, sic ut omne paene curvaturae vestigium effugisse viderentur; ex quibus mox probe collectis, qui fuerit loci podismus, sive longitudinis ratio, facile enunciabant. Sed prudens ista decempedatoribus relinquam.

(b) Ita quidem Venafrani agri adsignatio p. 108. *Venafrum oppidum. Quinqueviri deduxerunt sine colonis. Iter populo debetur pedibus XX. Ager eius in laciniis limitibus intercisivis est assignatus. Sed summa montium iure tenpli* (lege *templo*) *Ideae ab Augusto sunt concessa*.

Sunt enim in re agraria laciniae, agri partes, aliae ab aliis avulsae, et separatae, cum steriles et uliginosae, tum foecundae ac pingues. Igitur ut ad rem propositam accedam, quum ex agro silvestri et inculto, qui inadsignatus relinquebatur [a], pinguia ac cultui idonea excerpebantur, tunc partes istae ex amaris, silvestribusque praeelectae ubi in adsignationem scriberentur IN PRAECISVRIS adsignatae audiebant. Praecisa enim dicitur terra, quae ex inculto agro ad culturam est primum aptata; eoque facit Caii Iurisconsulti locus L. 30. D. de verb. signif. *Novalis est terra praecisa, quae* (lege *quaeque*) *anno cessarit*.

Disquirendum nunc ὕστερον πρότερον, quid illud Frontini denotet, *Corsinius ager limitibus maritimis et montanis in centuriis singulis iugera CC.* Atque nemini arbitror incompertum, agros in centurias, centurias in iugera dividere veteres consuevisse; tum vero et iugerationis modum, quae erat centuriis singulis adsignanda, quoties colonia deducebatur, praefinivisse. Hinc *Centuriatus ager* Siculo Flacco dicitur *de condit. agror.*, qui in centurias est divisus; et *centuriatio* Hygino *de limit. constit.*, sive tota metatio: *Hi autem, quibus assignati sunt agri, deducebantur intra centuriationem*, i. e. intra perticam. Porro centuria non ab iugeribus centum, ut S. Isidorus tradit *Lib.* XV. *Origin. Cap.* XV., sed a centum hominibus nomenclationem accepit, quum singulis antiquitus iugera bina

(a) Huc spectat quod Frontinus habet Lib. cit. p. 107. de Priverno: *Ager eius pro parte cultus in iugeribus est assignatus, ceterum in laciniis* (h. e. inadsignatus) *vel soluto* (h. e. nullis limitum regulis obligatus) *remansit*.

bina [a] dabantur, fingula numquam. Quo facit Iuvenalis Sat. XIV.

Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vlneribus: merces haec ſanguinis, atque laboris
Nullis viſa umquam meritis minor . . .

Tametſi vero frequentiſſimus priſcae aetatis mos fuerit in centuriis ſingulis iugera agri ducenta adſignare (qui et lege Sempronia praeſcriptus eſt modus: *Centuriae, quae ex hac lege dividentur, aſſignabuntur, quadratae ſint in iugera ducenta;* tum et Auguſteae legis habita ratio in Corſinienſis agri diviſione) tamen ſecundum agri amplitudinem, non raro diverſam obtinuiſſe iugerationem, cum ex aliis, tum ex Hygino potiſſimum licet intelligere lib. cit. *In Italia IIIviri iugerum quinquagenum, alicubi ducenum: Cremonae iuger. CCX. Divus Auguſtus in Beturiae Emerita iuger. CCCC. Quibus diviſionibus decumani habent longitudinis actus in orientem N. XL. Kardines vero actus XX.* Nec vero iugera dumtaxat, ſed limites etiam agraria lege praeſcribebantur [b], ſive decumani aut cardines, ſive actuarii, linearii, intercisivi; ſed

(a) Iugerum quidem latitudine pedum CXX. definiebant veteres, longitudine vero pedum CCXL. Id quod adprime Quinctilianus tradit *Lib.* I. *Cap.* XI. *Iugeri menſuram ducentos et quadraginta longitudinis pedes eſſe, dimidioque in latitudinem patere, non fere quiſquam eſt qui ignoret.* Scilicet igitur ſingula iugera tres modios conſtituebant. An vero eadem modo apud omnes menſura?

(b) Agrarias de limitibus leges Sigonius ante Auguſtum latas eſſe facile credidit, *de antiq. iur. ital. lib.* II. *cap.* I. Tales ſunt lex Peducea, Alliena, et Flavia. Legis Allienae verba heic recitare haud abs re eſt. *Qui limites decumani hac lege deducti erunt, quaecumque foſſae in eo agro erunt, qui ager hac lege datus, adſignatus erit, ne quis eos arato, neve eas foſſas obturato, neve quis ſepito, quo minus aqua ire, fluere poſſit; ſi quis adverſus ea quid fecerit, IIII. colonis, municipibusve eius, in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto.*

sed nunc non id ago [a]. Quibus porro terminis deductione hac altera finitus fuerit ager Corfinius, mox Frontinus docet : *Finitur terminis Tiburtinis , et rivis , arboribus peregrinis , vel antemissis , monimentis , viis , nymphis* cet. [b] , in cuius loci illustratione non immoror , unumque tantum moneam , antemissarum nomine eas quidem arbores hic intelligi , quae ante possessionum fines dimittebantur , et ex quibus neque frondem , lignumve caedere fas erat , ut agri fines praemonstraturae ceteras magnitudine praestarent [c] ; arbores contra peregrinae , diversa erant arborum genera , quae in ea regione , quam dimensi erant , non inveniebantur [d] . Atque haec satis .

(a) Romani totam limitarem disciplinam ex magnis Graecis hausisse videntur, eamque postmodum quamplurimis additis ampliorem reddidisse. At quorsum hi *αἰνίττονται* , *aenigmata loquuntur*? optime quidem respondet vir magnus ex nostris : *forsitan ne ea ars in vulgus manaret* . Vide Mazochium *ad tabulas aeneas Heracleenses p.* 182.

(b) Alicubi vero etiam palis terminabantur agri . *In quibusdam regionibus* , inquit Flaccus de condit. agror. , *palos pro terminis observant ; alii iliceos , alii oleaginos , alii vero iuniperos* . Atque huc facit inscriptio ap. Fabret. *Cap.* III. *n.*671. HI . TERMINI . XIX . POSITI . SVNT . AB . SCRIBONIANO . ET . PISONE . FRVGI . EX . DEPALATIONE . T . FLAVI . VESPASIANI . ARBITRI

(c) Conferas Siculum Flaccum de condition. agror. , nec non Frontinum de limitib. agror. p. 41.

(d) *Lat.* et *Mysront.* ap. Goes. *p.*254.

S E C T I O VI.

Quo tempore Corfinium novo, ac ſplendidiſſimo ITALIAE nomine donatum. Strabonis, et Velleii locus integrae lectioni reſtituitur. Cauſſa belli Italici. Quandonam Civitas Romana cum Italicis communicata.

CORſinium iam pridem Pelignorum metropolim, ſocialis belli aetate, Italiae nomine decoratam, vix ſupra vidimus ex Strabone *Lib.* v. *pag.* 369. Κορφινιον την των Πελιγνων μητροπολιν κοινην απασι τοις Ιταλιωταις αποδειξαντες πολιν αντι της Ρωμης ορμητηριον του πολεμου μετονομασθεισαν ΙΤΑΛΙΚΗΝ· και ενθαυθα δε τους συνεπομενους αθροισαντες υπατους, και στρατηγους δυο δ' ετη συνεμειναν εν τω πολεμω, μεχρι διεπραξαντο την κοινωνιαν, περι ης επολεμουν. *Corſinium Pelignorum metropolim, communem omnibus Italis Vrbem, loco Romae deſignantes, ceu belli propugnaculum, ITALICAM adpellarunt; contractiſque ſociorum auxiliis, et conſulibus, et praetoribus creatis, biennium ei bello produxerunt: donec potiti ſunt ea, ob quam arma ceperant, communione.* Sed Strabonis locum omnino amanuenſium oſcitantia corruptum arbitror in voce Ιταλικην, cuius loco ΙΤΑΛΙΑΝ reponendum auctor ſum. Haud ignoro equidem Strabonianae lectioni adprime Velleium favere Lib. II. *Caput imperii ſui Corſinium legerant, quod adpellarant ITALICAM*; ſed et Velleium etiam librariorum imperitia, qui quae haud intelligunt ex ingenio emendant, ſuos paſſum eſſe manes in ea voce, exploratiſſimum habeo. Ad numiſmata nempe hac ipſa

 aetate

aetate cusa provoco, quae neque temporum vicibus corrumpi, neque sublestis, verendisque exscriptorum manibus vel interpolari, vel foedari potuerunt. Huiusmodi est qui mox *Tab. Num. I.* exhibetur, cuius antica parte caput muliebre laureatum repraesentatur cum inscriptione ITALIA; altera vir genuflexus porcam tenet, quam hinc inde octoviri militari veste caedentes, foedus feriunt. Sed de Italicis hisce nummis, quos et Corfinienses iure dices, erit infra sermo. Itaque vindice, quam contrectamus, moneta pro *Italicam* in Velleiana lectione ITALIAM reponas. Quid si Diodori Siculi accedat auctoritas? Percommode factum, ut Graeci huius scriptoris integrum adhuc habeamus locum Εκλ. I. ex *Lib.* XXXVII. Κορφινιον κοινην πολιν ΙΤΑΛΙΑΝ ονομασαντες, *Corfinium communem urbem ITALIAM adpellarunt*. Sed quandoquidem in Diodorum incidimus, non abs re erit hominem gravissimum de Italici belli initiis scribentem adtendere: Επολεμυν δε Ρωμαιοις Σαμνιται, Ασκολανοι, Λευκανοι, Πικεντινοι, Νωλανοι, και ετεραι πολεις, και εθνη· εν οις επισημοτατη, και κοινη πολις, αρτι συντετελεσμενη τοις Ιταλιωταις, το Κορφινιον ην, εν η τα τε αλλα, οσα μεγαλην πολιν, και αρχην κρατυνεσι, συνεσησαντο, και αγοραν ευμεγεθη, και βυλευτηριον, και τα αλλα τα προς πολεμον αφθονως απαντα, και χρηματων πληθος, και τροφης δαψιλη χορηγιαν· συνεσησαντο δε και συγκλητον καινην πεντακοσιων ανδρων, εξ ων οι τε της πατριδος αρχειν αξιοι προαχθησεσθαι εμελλον, και οι προβυλευεσθαι δυναμενοι περι της κοινης σωτηριας. *Erant autem in armis contra Romanos populi Samnites, Asculani, Lucani, Picentini, Nolani, ceteraeque*

raeque urbes , ac gentes . INTER QVAS PRAESTABAT CORFINIVM , VRBS PRECLARISSIMA , atque omnibus communis , cui nuper Italici colophonem posuerant : in qua tum alia , quae magnam urbem , et imperium firmant , tum forum amplissimum , et Curiam extruxerant , largamque ad omnes belli usus copiam , cum pecuniarum vi , et commeatu , illic repositam habebant . Senatum praeterea quingentorum virorum constituerant ; unde qui summis patriae magistratibus digni essent , ac de communi omnium salute consultandi facultatem haberent , producerentur . Sed resistamus hic , ac in primis qua potissimum caussa tantum exarserit bellum , disquiramus.

Quum nulla , qua civitatem Romanam consequerentur, expeditior esset via , quam census (sociis latini nominis praesertim) eo res devenerat , ut hi singulis quibusque lustris sese per censum in civitatem Romanam , patrio solo relicto , penatibusque Romam traductis , inreperent . Quapropter A. V. DLXVI. Liv. lib. XXXIX. cap. III. *Legatis sociorum latini nominis querentibus , magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse , et ibi censos esse ; Q. Terentio Culleoni negotium datum est , ut eos conquireret ; et quem M. Claudio , M. Livio censoribus , postve eos censores ipsum , parentemve eius apud se censum esse probarent socii , ut redire eo cogeret , ubi censi essent . Hac conquisitione XII. millia latinorum domos redierunt .* Anno dein DLXXV. C. Claudio , Ti. Sempronio Coss. (Liv. *Lib.* XLI. *cap.* VIII.) iterum Latini questi sunt , *Cives suos Romae censos , plerosque Romam commigrasse . Quod si permittatur , perpaucis*

cis lustris futurum, *ut deserta oppida*, *deserti agri*, *nullum militem dare possent*. Samnites quoque, et Peligni, quatuor millia familiarum Fregellas transiisse retulerunt. Atque hinc tantae fraudis caussa enarrata, a Senatu petierunt, ut lege caveret, *ne quis quem civitatis mutandae caussa suum faceret*, *neve alienaret*, *et si quis ita civis Romanus factus esset*, *civis non esset*. Liv. *Lib.* XLI. Senatus adsentitus est, legemque ex Senatusconsulto tulit C. Claudius Cos. edixitque, *qui socii*, *ac nominis latini ipsi*, *maioresve eorum M. Claudio*, *T. Quinctio censoribus*, *postque ea apud socios nominis latini censi essent*, *ut omnes in suam quisque civitatem ante Kalendas Novembres redirent*. Idque Senatusconsultum quinquennio post adhuc obtinuisse, pronum est cuique arguere, ex eo, quod quum anno DLXXX. Liv. *Lib.* XLII. *cap.* X. Q. Fulvio, A. Postumio censoribus pauciora, quam superiore lustro censa sint capita, ea adfertur caussa, *quia L. Postumius Cos. pro concione edixerat*: *Qui sociûm latini nominis ex edicto C. Claudii Cos. redire in civitates suas debuissent*, *ne quis eorum Romae*, *sed omnes in suis civitatibus censerentur*. Huic lex Papia successit, cuius epocha adhuc ignoratur, quaeque non socios tantum latini nominis, sed et peregrinos etiam, qui pari adipiscendae civitatis studio flagrabant, tetigit.

At quum nihilo secius fraudes adhuc grassarentur, L. Licinius Crassus, Q. Mutius Scaevola Coss. legem Liciniam Mutiam de civibus regundis postremo tulerunt, ut in suae quisque civitatis ius redigeretur, quemadmodum ex aucto-

auctoritate Tullii conſtat *Orat. pro Balbo cap.* XXI. Sed legem hanc, ſi quam aliam, perniciosiſſimam omnino Reipublicae fuiſſe, auctor eſt Aſconius *ad Cicer.* III. *de Off. cap.* XI. *Ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxime cauſſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit.* Et re quidem vera irati Italici, nec adhuc paſſi, ſe laborum periculorumque participes, ab communione imperii, et honorum excludi, defecerunt tandem una in Romanos coniurati; atque tunc exaſperatiſſime, quum M. Livium Druſum Tribunum plebis occiſum ſenſiſſent, a quo facta eis erat impetrandae civitatis ſpes. Qui porro hi populi fuerint, exertiſſime omnium Appianus Alexandrinus docet Εμφυλ. *Lib.* I. Εκραγεισης δε της αποστασεως, απαντα οσα τοις Ασκλαιοις εθνη γειτωνα ην, συνεξεφανε την παρασκευην, Μαρσοι τε, Πελιγνοι, και Ουεστινι, και Μαρρουκινοι, και επι τουτοις Πικεντινοι, και Φερενταvοι, και Ιρπινοι, και Πομπηϊανοι, και Ουενουσιοι, και Ιαπυγες, Λευκανοι τε, και Σαμνιται. *Patefacta iam tandem defectione, ad arma concurrunt Marſi, Peligni, Veſtini, Marrucini; ultra hos, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venuſini, Iapiges, Lucani, Samnites*; et univerſa ad ſummam ora a Liri fluvio ad Ionium rivum. Atque eo quidem tempore Corfinium belli arcem conſtituerunt, quo forum, atque conſilium nedum omnia, quibus ad tantum bellum gerendum opus erat, contulerunt. Quin et ad patriam regendam (an ad oſtentandam cum Roma aemulationem?) quingentos Senatores, duodenos Praetores, ac binos Conſules crearunt. Hi porro fuere Q. Popedius Silo (qui ex deturpata

pata Diodori lectione Pompaedius [a] dicitur), et C. Papius Mutilus: Marsorum unus, cui pars ab Ocriculis, quae Occidentem, et Septentrionem spectat, usque ad mare Adriaticum; Samnitium alter, cui reliqua Italia, quae Orientem, et Meridiem intuetur, tributa est [b].

Ani-

(a) Rem integram ab Diodoro habemus *loc. cit.* Αυτοκρατορας ποιησαντες τους συνεδρους· ουτοι δε ενομοθετησαν δυο μεν υπατους κατ' ενιαυτον αιρεισθαι, δωδεκα δε στρατηγους. Και κατεσταθησαν υπατοι μεν Κοϊντος Πομπαιδιος Σιλων, Μαρσος μεν το γενος πρωτευων δε των ομοεθνων, και δευτερος εκ των Σαμνιτων γενους, Γαϊος Απωνιος Μοτυλος, και αυτος δοξη, και πραξεσι τω εθνει προεχων· την δε ολην Ιταλιαν εις δυο μερη διελοντες υπατικας επαρχιας ταυτας, και μεριδας απεδειξαν. Και τω μεν Πομπαιδιω προσωρισαν χωραν απο των Κερκωλων καλουμενων, μεχρι της Αδριατικης θαλασσης, τα προς δυσμας, και την αρκτον νευοντα μερη. Και στρατηγους εταξαν αυτω εξ· το δε λοιπον της Ιταλιας το προς εω, και μεσημβριαν νευουσαν, προσωρισαν Γαϊω Μοτυλω στρατηγους ομοιως συζευξαντες εξ. *Summam potestatem Senatoribus permittunt. Ab his sancita lex fuit, ut duo quotannis Consules, et Imperatores duodecim crearentur. Ac tum Consules erant creati Q. Pompaedius* (male hic Pompaedius pro Popedius irrepsit) *Silo, natione Marsus, vir de gente sua primarius, et alter ex gente Samnitum C. Aponius Motylus* (et hic medica manu indiget textus, pro Papio enim Aponium, ac pro Mutilo Motylum induxerunt amanuenses) *et ipse gloria, rebusque gestis popularibus suis antecellens. Hi cum totam Italiam in duas partes divisissent, eas provincias Consulares designaverunt. Pompaedio regionem e Cercolis* (quid monstrum opidi? reponas ergo: ab Ocricolis) *sic vocatis inde usque ad mare Adriaticum, quippe tractus, qui ad Occasum, et Septemtrionem vergunt cum sex ducibus attribuere. Quod reliquum erat Italiae ortum versus, et meridiem C. Motylo, adiunctis totidem copiarum praefectis adsignarunt.*

(b) Fortasse de corropta Diodori lectione profecit quisquis Pompedii lapidem cusit apud Camerram: Q. POMPED. MARS. IN. AGR. BELL. CLAR. MEM. EXT. HIC. ANN.... O, cuius subleftam fidem dolet haud quidquim olfecisse Corsignanum Venusinorum Episcopum. Ne autem Popedii nomen, novum fortasse alicui videatur, vel Corsignano ipsi, qui eumdem modo Pompedium, saepe Pompeium adpellitat, animadvertam et id heic, huiusmodi nomen apud Valerium Maximum occurrere, tum apud Grut. p. XMLI. 13. in lapide Buccinensi in Lucania: POPED O. Q. F. SER. CATONI. et apud Murat. p. DXX. 5., ubi Q. Popedii Sereni duumviri titulus. Quibus Dio accedit, qui Vpedii Silonis saepe meminit, quem vel eumdem, vel cognominem esse ex veteri MS. codice pronum est coniicere, in quo Popedius non Vpedius legitur. Favetque adprime L. Florus Lib. de bello, quod adversus socios gestum est: *Postremo quum Italia contra matrem, ac parentem suam urbem consurgeret, et quum omne robur fortissimorum, fidelissimorumque sociorum*

sub

Animadvertendum tamen eſt, C. hunc Papium Mutilum in Corfinienſi numiſmate non Conſulem, ſed Imperatorem [a] renunciari, forſan, ni valde fallor, Romanorum exemplo, a quibus Conſules, et Dictatores Romani non ſemel Imperatores dicuntur [b]; maxime quum et Italicorum Conſul alter Popedius, Imperator item ab eodem Diodoro dicatur: Μαλιςα Κοΐντῳ Πομπαιδιῳ Σιλωνι των παντων ηγεμονιαν επιςευσαν, δια την περι αυτον εν τῃ ςρατηγειᾳ αρετην τε, και δοξαν. *Imperii ſummam Pompaedio Siloni propter virtutem, et gloriam in adminiſtrandis bellis crediderunt*. At ut ad C. Papium Mutilum revertar, expreſſe is Imperator ab Oroſio adpellatur *Lib.* v. *cap.* xv. *Poſtquam*, ait, *ſibi Samnites Papium Mutilum* IMPERATOREM *praefecerant*. In adverſa porro

ſub ſuis quiſque ſignis haberent municipalia iſta prodigia. POPEDIVS Marſos, et Latinos, Anfranius Vmbros, totus Senatus, et Conſules Vrbem Samnium, Lucaniamque Theleſinus. Cum regum et gentium arbiter populus ipſum ſe regere nec poſſet, ut victrix Aſiae Europaeque A CORFINIO ROMA PETERETVR. Videſis et Strabon. Lib. v. p. 369.

(a) Clariſſimus Oliverius *Diſſert. Corton. tom.* 2. *p.*60. pluribus oſtendit, Samnitium duces continuo adpellitatos Imperatores; idque ex Livio potiſſimum firmatur Lib. viii. *Ab equite fugientium ſtrages eſt facta, inter quos et ipſe IMPERATOR cecidit*. Et Lib. ix. *Samnites IMPERATOREM C. Pontium Herennii filium habuerunt .... Herennium Pontium Patrem IMPERATORIS .... Pontius Herennii filius Samnitium IMPERATOR .... Prior Samnitium IMPERATOR .... Fratrique praecipuum decus ulti Samnitium IMPERATORIS dederunt ... ſigna militaria ſex et viginti capta, et IMPERATOR Samnitium cecidit* cet.

(b) C. Soſius, qui Syriae legatus ab Antonio Triumviro datus, de Iudaeis triumphavit, Proconſul adpellatur in Faſtis Capitoliuis:

C. SOSIVS. C. F. T. N. PRO. COS. EX. IVDAEA. AN. DCCXIX.
III. NONAS. SEPTEMBR.

Attamen in binis nummis apud Equitem Patinum (not. in Sueton. Aug. cap. xvii.) qnibus C. Soſii Iudaicus triumphus deſignatur, ſic inſcribitur: C. SOSIVS. IMP., ex quo vides non Conſules tantum, ſed et Proconſules, et Legatos Provinciarum in rebus fortiter, ac feliciter geſtis *Imperatoris* titulo decoratos.

ro numismatis huius parte Oſcis , ac retrogradis litteris legitur MVTIL EMBRATVR , in averſa vero C. PAAPI , i. e. *C. Papius Mutilus Imperator* . Numismata haec , ne in medio itinere in aliena excurram , mox in ſingulari Παρεκβασι , ſi otium erit , explicabo.

Mitto autem qui progreſſus luctuoſiſſimi belli fuerit, quique exitus; ſatiſque erit ex Lucio Floro intelligere *Lib.* III. *Nec Pyrrhi* , *nec Hannibalis fuiſſe tantam vaſtationem* . Licet enim id bellum non ultra biennium duraverit, amplius tamen tercenta millia iuventutis Italicae abſtuliſſe Velleius auctor eſt *Lib.* II. *Hiſt. Cap.* XV. ut non immerito dubitaſſe Plinius videatur *Hiſt. Nat. Lib.* II. *Cap.* LXXXIII. hoccine potius , an civilia bella , terrae Italiae funeſtiora fuerint . Nam eo uſque iuventutem exhauſit , eoque neceſſitatis Rem Romanam Publicam adduxit , ut tum primum libertini homines in militiam fuerint adſcripti (vid. *Epit. Livian.* LXXIV.) . Nec profecto Italici populi ab armis receſſiſſent , niſi dum dubiis caſibus bellum adhuc gerebatur , latiuſque defectio ſerperet , Romae demum de Civitate ſociis Italicis danda ſerio agi coeptum ſit.

Verum non una lege Civitas Romana, nec uno tempore cum Italicis omnibus communicata. Anno enim V. C. DCLXIII. primum omnium a L. Iulio Caeſare Cos. (a) lex

(a) Falſo Appianus I. *εμφυλ. pag.* 379. L. hunc Iulium Caeſarem Σεξτον *Sextum* praenominat. Id quum non obſervaſſet Pariſienſis editor in Ciceronis editione pro Balbo *cap.* 21. in eumdem impegit errorem , quem prorſus refingas velim. Iulia vero lex ideo ab ſolo Iulio Caeſare nomen arceſſivit , quod Conſul alter P. Rutilius Lupus eodem anno, eodemque bello cecidit : Velleius II. 11. Nec porro adſentiar Antonio Auguſtino , Archiepiſcopo Tarraconenſi , qui legem Iuliam non a L. Iulio

lex lata eſt, qua ſociis in fide manentibus civitas data. Quamvis autem Appianus Etruſcos expreſſe nominat I. εμφυλ. *p.* 379. *Decretum id circa Etruriae populos, excipientes avidiſſime miſit;* ceteros tamen aperte complecti videtur, quum omnes εν τῃ συμμαχιᾳ παραμενοντας, *qui in ſocietate permanſerant*, iure civitatis donet.

Huic lex Plotia ſucceſſit anno V. C. DCLXIV. a M. Plautio Silvano, et C. Papirio Carbone Trib. pleb. lata, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss., qua peregrini in foederatas civitates adſcripti, Romanam civitatem acceperunt.

Mox anno DCLXV., aut, ſi mavis, DCLXVI. legem latam eſſe conſularem, qua Marſis, ſociisque rebellantibus eſt tributa civitas, Appianus teſtatur I. εμφιλ. *p.* 382. Ιταλια πασα προσεχωρησεν ες την Ρωμαιων πολιτειαν, χωρις γε Λευκανων και Σαμνιτων τοτε. δοκουσι γαρ μοι και οιδε τυχειν ων εχρηζον υστερον. *Vniverſa Italia civitatem Romanam adepta fuit, exceptis tunc temporis Lucanis, atque Samnitibus, qui mihi aliquanto poſt et ipſi voti compotes facti videntur* (a).

At quo anno demum cum Lucanis, ac Samnitibus

G com-


Iulio Caeſare Cos., ſed a Caeſare Dictatore latam putat (*Theſ. Antiq. Rom. Tom. I. pag.* 120. *de legib.*) Vir tantus id utique numquam adfirmaſſet, ſi Tullii verba de lege Iulia pro Balbo *cap.* XXI. *Ipſa denique Iulia, qua lege civitas eſt ſociis et latinis data*, ante eam dictaturam ſcripta animadvertiſſet.

(a) Quid vero de cenſu poſt civitatem cum Italicis communicatam? Tunc nullus certe legibus Claudiae ac Liciniae Mutiae locus fuit, ac proinde cunctis plane liberum erat per municipia, colonias, praefecturas, longe lateque diffuſis, Romam, ſi liberet, ſingulis luſtris ad cenſum edendum commigrare. At aequius tamen poſtea decretum eſt, cunctis pro cuiuſque voluntate utrobique licere tum Romae, tum in oppidis cenſum edere.

communicata est civitas? Clarissimus Mazochius, qui omnia suo more summa semper pertractavit eruditione, nonnisi per idem tempus eos etiam in civitatem vocatos, persuasissimum habet. *Quum* (inquit *ad Tab. Heracl. p.* 490.) *anno DCLXVI. omnes prorsus Italici belli favillae restinctae fuerint, numquam illae consopiri melius potuissent sine civitate Lucanis etiam, atque Samnitibus ad ultimum data. Is enim unus ab initio ad finem fomes belli cruentissimi fuerat.* Sed manum de tabula.

SCHE-

Tab. I



Tab. II


num. 6.



num. 7.



num. 8.



Tab. II.


num. 1.



num. 2.



num. 3.



num. 4.



num. 5.



SCHEDIASMA

DE NVMMIS ITALICIS

SIVE

CORFINIENSIBVS.

OPerae pretium pro re nata me facturum existimo; si antequam alio decurrat oratio, in Samniticos nummos enucleandos, expoliendosque symbolam aliquam conferam, ne quae exquisitiora supersunt, peregrinante animo, praeteriisse videar. Initio autem ea me mordet sciscitandi curiositas, quî factum, ut Italici populi post longa cum Romanis commercia, post signata semel iterumque societatis, amicitiaeque foedera, ac colonias in eorum etiam oppida non raro deductas, Oscas adhuc litterarum formas, avitumque sermonem retinuerint. Quod eo mage demirabitur quisquis, quo altius animo repetat, post Punicum tertium bellum, (quod deleta tandem Carthagine absolutum est anno urbis DCVII.) quum longinquas etiam regiones, propagato in omnes plagas imperio, victor ille domitorque gentium Romanus ad latina colloquia contraxerit, unam cunctarum in toto orbe gentium factam fuisse patriam Romam. Quid vero? Fortasse quum usquequaque latinus pervaserit sermo, quis adeo desipiat, ut suspicari saltem fas sibi ducat, Corfinii, quae urbs haud ita ingenti intervallo ab Romani Imperii sede distabat, priscam adhuc linguam, priscam-

que characterum formam viguisse, quin vel detersa saltem ferrugine expolitior diuturno commercio evaserit [a]? Sed res certe planior mihi videtur, quam quae fastidiosa indigeat disquisitione. Nam in ipsa Samnitium regione, atque in eadem urbe totius belli propugnaculo, eademque Italici foederis opportunitate, latine loquentes percussos scimus nummos. Scimus? contrectamus immo; cuiusmodi in primis est quem habes *Tab. I. num.* 1., cuius antica parte caput muliebre laureatum visitur cum nota X, ex altera vero mulier hastata armis insidens, quae a victoria retro stante coronatur, cum inscriptione ITALIA. Accedit et nummus alter *Tab. I. num.* 2., quo caput muliebre laureatum in adversa facie exhibetur cum voce ITALIA; in aversa vero vir genuflexus porcam tenens, quam adstantes octo milites bacillis contingunt.

Qui

(*a*) Nonnisi de publicis monumentis haec dicta volo, ac de nummorum inscriptionibus maxime. Haud ambigo enim in omnibus paene Oscae originis, sive etiam Samnitici iuris urbibus diu post florentis latinitatis aevum, atque ad seram usque aetatem priscas litterarum formas, sermonemque ipsum (defoedatissimum licet) in vernacula populi lingua perennasse. Quod sane mihi nemo eripiet post erutam ex nuperis Pompeiorum effossionibus cauponariam epigraphem rubro colore, haud diu ab extremo urbis casu, parieti adpictam, quam nostris litteris heic damus: EKSVK. AMVIANVD. EITVNS. ANTER. TIVRRI. XII. INI. HEI. SARINV. PVP. PHAAMAT. MR. AADIRES. V. idest, quemadmodum Collega noster in Herculanensi Academia est interpretatus: *Exhinc. viator: iens. ante. turri. duodecimam. inibi. Sarinus. Publii. cauponatur. ut. adires. vale.* Sed absque isto programmate foret, sat omnibus exploratum arbitror, ad multam aetatem Oscas fabulas Romae ab nostris, praesertim Atellanis histrionibus recitatas, communi omnium captui fuisse. Cuiusmodi tamen Oscus sermo in eo tantum ab latino distabat, quod abnormis, et incomptus esset. Quo facit Titinii illud *Fab. V.* apud Festum voce *Oscum: Qui Osce, et Volsce fabulantur; nam latine nesciunt.*

Quî igitur dîces factum, ut ſignata per idem tempus numiſmata, modo Romane, modo Oſce loquantur? Equidem ſi quidlibet ſentiendi facultas mihi daretur, eo certe inclinaret animus, ut qui ad politioris latinitatis formam ſunt exacti, in ipſo belli adparatu cuſos putarem. Enimvero foederatos Italicos quum non adhuc aperta acie incaluerint, nihil niſi Romane edoctos, omnia initio ad Romanum morem compoſuiſſe, vel ex locupletiſſima Diodori auctoritate licet intelligere *Ecl. I. ex Lib.* 37. *pag.* 539. *Ουτω παντα δεξιως, και κατα μιμησιν, το συνολον Φαρμι της Ρωμαικης, και εκ παλαια ταξεως την εαυτων αρχην διατεμενοι κατα το σφοδροτερο λοιπον ειχοντο, και τȣ εφεξης πολεμȣ, την κοινην παλιν Ιταλιαν ονομασαντες. Omnibus ad hunc modum dextere compoſitis, et ut in ſummam res conferatur, ad antiquum Romani imperii ordinem conformato etiam ſuo, acrius in reliquum deinceps bellum incubuerunt, urbemque illam communem Italiae nomine indigitarunt*. Atque hinc reducto veluti ſipario manifeſte videas, cur ipſam quoque monetam ſervili prorſus imitatione ad Romanae formam, pondus, ac ipſum denique denarii ſignum X amuſſim exegerint. Quid quod quemadmodum ex recitato alibi Diodori loco Vrbem Vrbi oppoſuerunt, Corſinium Romae, ſic ubi in Romanis nummis ROMA, ibi in Corſinienſibus non alia epigraphes, quam novum Corſinii nomen ITALIA adpictum.

Scilicet ubi ſe ſe res intra nudae tantum aemulationis cancellos continuerat, uti Romana cetera, ſic et Romanum ſermonem pacate retinuerunt Italici. Attamen quum

quum primum ad arma ventum eſt, funeſtisque Romanorum cladibus bellum geri coeptum, quid non contra Romam ab efferatis populis molitum dices; maxime quum firmata iam prope armis potentia ex ipſa prima concertatione videbatur? Scilicet quae belli facies ipſo initio fuerit, vel ex Appiano praeſtat internoſcere Εμφυλ. *Lib. I.* Ουετιος μεν Κατων Σεξτον Ιουλιον τρεψαμενος τε, και δισχιλιους κτεινας, επι Ασερνιαν ηλασε Ρωμαΐζουσαν, και αυτην. οι μεν συνταττοντες, Λευκιος τε Σκιπιων, και Λευκιος Ακιλλιος θεραποντων εσθητας υποδυντες απεδρασαν, χρονῳ δε, και λιμῳ παρεστησαντο οι πολεμιοι. Μαριος δε Ιγνατιος Ουενεφρανον ελων εκ προδοσιας εκτεινε δυο Ρωμαιων σπειρας εν αυτῃ. Πρησενταιος δε Ποπλιος Περπενναν μυριων ανδρων ηγουμενον ετρεψατο, και εκτεινεν ες τετρακισχιλιους, και των λοιπων του πλειονος μερους τα οπλα ελαβε· εφ᾽ οτῳ Περπενναν Ρουτιλιος υπατος παρελυσε της στρατηγιας, και το μερος του στρατου Γαΐῳ Μαριῳ προσετηκε. *Vetius Cato Sex. Iulium coeſis MM. in Aeſerniam compulit, quae tum perſtabat in fide Romani populi; L. Scipio, et L. Acilius inde ſervorum habitu elapſi ſunt, reliqui fame coacti tandem deditionem fecerunt. Venafro autem per proditionem capto, Marius Egnatius duas Romanas cohortes ibi concidit. P. Praeſenteius Perpennam cum X. millibus obviam ſibi factum fugavit, caeſisque ad quatuor mille, reliquorum armis maiore ex parte potitus; quamobrem Rutilius Cos. adempto Perpennae imperio, reliquias eius exercitus attribuit C. Mario.* Tunc addita certe ex iteratis victoriis foederatorum animis fiducia, quum nihil ſibi amplius ab Roma timendum ſenſerint, veriſimile eſt Romanam linguam una

una cum iugo excussisse, Sabinorumque sibi tum nomine tum libertate vindicata, avitum etiam Sabinum generis sui resumpsisse sermonem.

Sed quae res merae adhuc coniecturae innixa videbatur, iam extra omnem dubitationis aleam sentio ponendam. Firmissimum enim argumentum ex C. Papii Mutili nummis eliciam, quos nemo mihi eripiet, quominus cusos praefracte contenderim, postquam fortissimus iste Samnitium Imperator ingentes Romanis clades intulerit, nomenque Italicum propagaverit, scilicet furentis belli primo iam anno exacto, quo ut idem Appianus narrat *loc. cit.* Γαΐος γαρ Παπιος Νολαν τε ειλεν εκ προδοσιας .... Παπιο γαρς Κασαβιας ειλε, και Μιντερνον, και Σαλερνον, η Ρωμαιων αποικος ην .... ως δη και Νȣκεριαν τα εν κυκλῳ παντα κατεπρησεν· α αι πλησιον αυτων πολις καταπλαγεισαι, προσετιθεντο στρατιαν τε αιτȣντι παρεσχον ες μυριȣς πεζȣς, και ιππεας χιλιȣς· μεθ' ων ο Παπιος Αχερραις παρεκαθητο. *C. Papius Nola per proditionem capta .... Stabias, Minturnum, Salernumque Romanam coloniam cepit .... Pervastato deinde omni circum Nuceriae agro, finitima oppida similis iniuriae metu ad eum desciverunt, et petenti auxilium miserunt decem peditum millia, equites mille, quibus auctus Papius Acerras obsedit.* Eccur vero ex latinis foederatorum nummis nec unus est, in quo C. Papii Mutili mentio occurrat, qui primas certe partes in eo bello tenuit, Osci vero paene omnes illum repraesentent; nisi latinos ante cusos dicas, quam res prospere per Mutilum gestae sint? Atque ea temporis ratio-

ratione animadversa, iam caussam omnem abunde tenes, cur in ipso belli adparatu Romane loquatur Italicorum moneta, Osce vero postquam in odium Romani nominis Italica versa erat aemulatio.

Nunc vero in ipsam monetae scriptionem inquiram. Atque hanc Oscam esse, nemo, nisi in remotae antiquitatis monumentis plane hospes, erit inficiaturus; sive litterarum figurae adtendantur partim Samariticis antiquis, partim hebraicis characteribus hodiernis adfines; sive mos ille hebraici sermonis, in quo consonae plures simul, haud raro farciebantur prope futurae ineffabiles, nisi congruae vocales in pronuntiando supplerentur [a]; sive Asiaticis sueta scribendi progressio a dextera sinistrorsum, quam tenacissime Osci retinuerunt; sive vocum pluralis numeri terminatio in IM ex usu Hebraeorum, quam Graeci posthac in OM inclinarunt.

At quid Italicis populis, inquies, cum Orientalibus commune? Profecto ne in longas disquisitiones abeam, quae defatigare fortasse fastidiosum quemquam possunt, quum ipsi suum genus in nummorum inscriptione SABINIM prodant, quotusquisque erit, qui filios Orientis fuisse Sabinos ignoret? maxime quum ipsa illos manifestos faciat loquela; tum urbium, quas primo in Italiam adpulsu constituerunt nomina; ac ritus demum, quos secum ex Oriente advexerant, ac mox ad seram posterorum aetatem transmiserunt?

Atque

(a) Prorsus ut apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros consuetudo ferebat, antequam ad puncta deventum; apud quos quum vocales litterae saepe abessent, consonae in dicendo animabantur.

Atque quoad priſcum huiuſce gentis pertinet ſermonem, percommode mecum actum puto, quod ex remotiſſima antiquitate, ac poſt tot temporum vices, plane ſupra quam credi poſſit innumerabiles, quibus omnia neceſſe eſt vel tenebris obrui, vel edacitate abſumi, adhuc in veterum ſcriptis vocabula quaedam Sabinae linguae ſuperſint, ex quibus de populi origine facilem quiſquis capere queat coniecturam. Si enim tota ea quanta quanta ſunt, Orientem ſpirant, an demum addubitare licebit, quin inde *αμεσως* advenerint? Atque operam profecto haud inutilem ludere videar, ſi ex Feſto, Varrone, ac Servio nonnulla ſaltem in medium adducam. Huiuſmodi eſt vox HIRPVS, qua Sabini *lupum* indigitabant [a]; unde Hirpinos deducit Strabo *Lib.* v. Τo *ονομα δε εσχον απο του ηγησαμενου λυκου της αποικιας· Ιρπον γαρ καλουσιν οι Σαμνιται τον λυκον*, *nomen a lupo coloniae ductore acceperunt; Hirpum enim adpellant lupum Samnites*. At vero neque ullo vel interprete, vel monitore opus, undenam id vocabulum ſit arceſſendum. Quum enim de rapto vivant lupi, *Tirpum*, ſive T in H ex ingenio populi mutato, *Hirpum* dixere Samnites ex Hebraeo טרף *taraph rapere*, ex qua radice eductum ſive latinorum *rapio*, ſive graecorum *αρπω*. CASCVM item Sabini vocabant, quem latini poſthac *veterem* dixerunt, uti Varro prodit cum alibi, tum Lib. VI. de L. L. *Caſcum ſignificat vetus; eius origo Sabina, quae uſque radices in Oſcam linguam egit. Caſcum vetus eſſe ſigni-*

H ficat

(a) Vide Servium ad XI. Aen.

ficat Ennius cum ait:

Quamprimum casci populi genuere latini.

Qua vocis notione ex ipso veterum testimonio (a) explorata, protinus intelliges, Sabinum *Cascum* purum putum orientale vocabulum esse ex Chaldaeo קש *kash*, *veterascere*, unde קשיש *kashis senex*, ex qua radice Osci Sabinorum traduces *casnarem* dixere senem, uti praeter Varronem, Festus tradit. Praeterea quem Latini *Martem* nuncuparunt, eius non aliunde facta numinis adpellatio, nisi ab Sabino vocabulo MAMERS, Varrone auctore Lib. IV. de L. L. *MARS ab eo quod a Sabinis acceptus*, *ubi MAMERS*. Atque Mamers absque immutatione ulla ex Hebraico est מרץ *maraz acrem et robustum efficere*, cuius participium est ממרץ *mamrez*, unde altera transposita vocali Sabinum *Mamers* exsistit, ille deus scilicet, qui ad pugnam acuit. Demum ne telam hanc longius protendam, unam superaddo Sabinorum vocem MVLTA, de qua Varro idem Lib. XIX. Rer. Hum. *Multae vocabulum non latinum*, *sed Sabinum esse*, *idque ad suam memoriam mansisse in lingua Samnitium qui sunt a Sabinis orti* (b). Tametsi vero clarissimus Mazochius in aliam inclinare videatur radicem (c), mihi certe ea probatur, quae est ex מלט *malat evadere*, siquidem *multa* non aliud sit, quam pecunia, qua poenam quis evadit.

Atque

(a) Adisis Tullium Quaest. Tuscul. I. Cap. XXI. Quinctilianum Lib. I. Festum voc. *Cascus*, et Nonium.

(b) A Sabinis ad Oscos devenit. Festus: *Multam Osce dici putant poenam quamdam.*

(c) Mazoch. in addition. ad Voss. *Etymol.*

Atque haec leviter delibasse, ad specimen saltem huiusce gustus, haud poenitet; nec enim per crebras longasque vagari digressiones, aliô properante oratione, libet. Venio nunc ad Sabinas urbes, quarum nomina antiquissima vel perennant adhuc, vel apud veteres scriptores aperte memorantur, quaeque ad pandendam populi originem validiora videntur. In primis vero de CVRIBVS est mihi dicendum, quae Sabinorum urbs praeclara fuit, ac fortasse antiquissima omnium; cuius meminit vetus inscriptio prope Farfarum fluvium in Sabinis apud Grut. p CXLIX. 6. P. PVBLILIVS. ANTHVS. VI. VIR. AVGVSTALIS. CVRIBVS. SABINIS cet. De ea Strabo Lib. V. *p.* 157. *Κυρις δε νυν μεν κωμιον εςιν, ην δε πολις επισημος*; *Curis nunc quidem vicus est tenuis, et olim urbs fuit illustris*: itemque Frontinus Lib. de Colon. *Curium Sabinorum ager per quaestores est venundatus*. Cuius oppidani CVRETES Plinio dicuntur Lib. III. Atque iam tum ab initio conieceram, Dodanensis originis Sabinos fuisse, nunc vero coniectionem eam firmiorem reddit loci nomen, quod tametsi latine nihil innuat, hebraice tamen notionem suam ingenio populi consentaneam depromit. Haud enim quidquam dubito, quin Curetes, qui in Scripturis כרתים *cherethim* dicuntur, quique de suo nomine absorpta tantum priore vocali *Cretam* nuncuparunt [a], iidem sint qui *Curim* in Sabinis de suo item nomine adpellarunt. Sane *Curetum*, qui primo eam terram

(a) Ezechielis XXV. 16. ubi Hebraeus textus habet *succidere faciam Cerethaeos*, Septuaginta vertunt *disperdam Cretenses*. Vid. nostrum *Iter Venusinum vetustis monumentis illustratum* p. 219.

ram incoluerunt, quae postea Aetolia ab Aetolis colonis dicta fuit, expresse meminit Strabo *Lib.* v.; ac video eo loco haerere Geographum, utrum ex Creta, an ex Euboea, vel aliunde illuc immigrarint (a). Scio ex Aetolia pulsos alio, atque alio se contulisse, unde proseminatae tot cognomines urbes. Atque hi vero, quod hasta in primis valerent ad bellum, CVRETES sunt dicti ex Chaldaeo קור *kur hasta*. Quam enimvero tum ceterarum omonimarum urbium, tum Sabinicae potissimum, sinceram esse ετυμοτιν, vel id validissimo erit argumento, quod hasta, Sabinorum lingua, *Curis* audiebat, unde Quirino, et Quiritibus quaesitum nomen. Atque hinc amplius lux adfulget, cur non in Dardania tantum, quae postea Phrygia dicta fuit, sed et in Samothrace, Creta, Euboea, Aetolia, et Rhodo, tum maxime in Sabinorum regione *Curetica sacra*, sive Corybantia (in honorem *Curis* deae Phrygiae, sive Iunonis, quae Κυριτις Plutarcho dicitur *Quaest. Rom.*, itemque in veteri marmore civitatis Castellanae apud Gruter. *p.* cccviii. 1., ubi *Cincius Priscus PONTIFEX SACRARIVS IVNONIS QVIRITIS* audit; cui cum Curi (*hasta*), veluti praetoriani milites adparebant Sacerdotes) celebria fuerint.

In proximo adcensendae HIRETVM et ATERNVM, quarum meminit Osca inscriptio latiaribus litteris (b), idest: *Men-*

(a) Mazochius *Spicil. Bibl. tom. I.* in eam propendet sententiam, *ex Dardania Troica communi Curetum* εμπορίῳ *eo venisse*.

(b) In cippo in agro Amiternensi, cuius exemplar mecum vir doctissimus, amicissimusque Vitus Iuvenatius communicavit. De *mense Flusare* vide marmor *Iovis Liberi Fursone* in agro Aquilano effossum ap. Murat. p. DLXXXVII. n. 1. L. Pisone A. Gabinio Cos. *h. e.* an. Vrb. DCXCV.

MESENE
FLVSARE
POIMVNIE
AT. RNO
AVNOM
HIRETVM

Mense flusare Poimunie Aternanorum ad Hiretum. Porro Hiretum indidem derivatum habet nomen, unde cognominem Curis urbem fluxisse paullo ante monuimus. Nam purum ipsum Hebraicum כרתים *kheretim* esse, vel nudis oculis quisque videt. Quin favet Liviana lectio Lib. XXVI., qua HERETVM ponitur: *Coelius Romam euntem ab HERETO divertisse Hannibalem tradit*; *iterque eius ab HERETO*, *Cutiliisque*, *et ab Amiterno orditur*. Acceditque Virgilianum illud Aen. VII. v. 711. *Ereti manus omnis*. ATERNVM vero cuius oppidani Aternani, et Aternenses dicuntur, non aliunde, quam ab Aterno amne suum accepisse nomen (a), nemini certe improbabitur; cui procul dubio eam factam nomenclationem arbitror ab Chaldaeo חתר *hathar*, quod est *sulcavit*.

Succedunt aliae Sabinorum urbes Amiternum, Reate, et Interocrea, de quibus Strabo Lib. V. Πολεις δε εχουσι ολιγας, κ̧ τεταπεινωμενας, δια τους συνεχεις πολεμους, Αμιτερνον, κ̧ Ρεατῳ πλησιαζει κωμη Ιντεροκρεα. *Oppida habent Sabini pauca*, *eaque continentibus bellis attrita*, *Amiternum*, *ac Reate*, *cui vicinus est vicus Interocrea*. Ac de Reate quidem, nemo non intelligit, radicem suam in oriente fixam habere. Est enim ex Hebraeo ארעא *arha*, seu ex antiqua pronunciatione *area terra*, unde per αφαιρεσιν primori vocali sublata, facta est *Rhea*, eadem latinis ac Tellus, quae Vrbi praeerat. De Amiterno

(a) Passim in re geographica amnes urbibus cognomines occurrunt. Sed oppida potius ab amnibus, utpote antiquioribus, nomina accepisse, nemo sanus inficiabitur.

terno autem, ac Interocrea minus ſum ſollicitus, ſiquidem manifeſte patet, nihil prorſus ad remotiſſimam aetatem, de qua loquor, pertinere. Alterum enim omnino factum exiſtimo ex *AM circum* (a), et *ATERNVM*, quod expreſſiſſe in primis Varro videtur Lib. IV. de L. L. *Qui CIRCVM ATERNVM habitant amnem AMITERNINI appellati*; alterum vero, quod loci ſitum item involvit, ab latino *inter* conflatum, et Chaldaeo אוגרא *ogra tumulus*, ex quo facta antiquis vox *Ocris*, quae montem ſignificat. *Ocrem*, inquit Feſtus, *antiqui montem confragroſum vocabant .... Sed qui ſunt hi qui adſcendunt altum Ocrim*. Inter duos enim *ocres*, i. e. montes Iterocrea iacet, inter *Gurgures* nimirum, interque *Forulos*.

NVRSIAM urbem poſtremo Sabinis adſignat Ptolemaeus Σαβινων πολις Νερσια, *Sabinorum urbs Nurſia*. Sed ea adpellatio ex Chaldaeo eſt נאורה *nura ignis*; unde deae Nurſiae nomen, quod tantumdem Sabinis, ac Volſinienſibus (b) eſt, ac Veſta Romanis.

Sed quandoquidem huc ſermo noſter devenit, non abs re eſſe cenſeo, nonnulla levi brachio et de Pelignis

(a) *Amph* Oſci dixerunt pro *circum*, uti in veteri ſaxo Seminarii Nolani, ubi ANFRET. EISI. TEREI. pro qua voce in tabulis Eugubinis eſt AMBRETVS, ideſt *circuitus*. Inde eſt porro Am latinorum, quod in compoſitione pro *circum* valet (ex quo veteres latinos feciſſe *ambire*, et *amnem* teſtis eſt Varro Lib. IV. de L. L. *amnis id flumen eſt, quod circuit aliquid nam ab ambitu amnis*) tum Graecorum Αμφι.

(b) *Nurſiae deae* Volſinienſium meminit Tertullianus II. *ad Nation.* 8., quae variata dialecto eadem eſt ac Sutrinorum *Nortia* ibidem memorata. Nam ex Cincio ſcribit Livius Lib. VII. *VOLSINIIS quoque clavos indices numeri annorum fixos in TEMPLO NORTIAE etruſcae deae comparere*. De ea vetus lapis apud Reineſium Cl.I. n.131. *MAGNAE DEAE NORTIAE*, et ap. Gudium p. LIV.7. *NVRTIAE SANCTAE DEAE SALVTIFERAE*.

gnis illinere, quos ex Sabinis ortos aperte prodit Ovidius *Faſt. Lib.* III.

Et tibi cum proavis miles Peligne Sabinis
Convenit . . .

Quid vero ſi huiuſce gentis ab Sabinis diviſae, ac alio profectae nomen, quod latinis auribus nihil prorſus inſonat, ex ſola Aſiatica lingua ſignificationem ſuam, iſtius diviſionis eventui adcommodatam ingerat? Atque equidem ſic exiſtimo, non aliunde eam derivaſſe nomenclationem, quam ex Chaldaico פלינה *peliga*, quod eſt *diviſum*. Scio equidem diſconvenire Feſtum, cuius adſcribere locum non gravabor: *Peligni*, inquit, *ex Illyrico orti: inde enim profecti ductu Volſini regis, cui nomen Lucullo partem Italiae occuparunt. Huius fuerunt nepotes Pacinus, a quo Pacinates, et Pelicius, a quo Peligni*. Sed hominem non moror, nam iſtae ab ſimilitudine vocis ſtructae origines (an fabellae?) haud rarae ſunt apud quidqnid eſt poetarum, et ceterorum ſcriptorum, ac Feſti maxime. Tantum id ediſſero, quo pacto cum Naſone conciliari poſſit Feſtus; ſiquidem ille Pelignos Sabinorum ſurculos expreſſe fatetur, hic vero ex Illyrico huc adpulſos. Nam tametſi alter altera incedat via, certus ſum tamen eodem utrumque collimaſſe iter. Nam in Pelignos Ovidius, et ipſe Pelignus, veluti in populum alterum poſt ſecutam a Sabinis ſeceſſionem ſuum intendit digitum, Feſtus vero eos, uti unum cum Sabinis populum ſpectans, ab Illyrico profectos docet, ideſt uti certe teneo, ab Illyride Dardanica, cuius meminit Aelianus in IV. Ποικιλης I. Οτι Δαρ-

δανεῖς

δανεις τας υπο της Ιλλυριδος, ακουω τρις λουσθαι μονον παρα παντα τον εαυτων βιον, εξ ωδινων, και γαμεντας, και αποθανοντας. *Dardanos, qui ad Illyridem ſunt, ter tantum per univerſam vitam lavari audio; poſtquam in lucem ſunt editi, cum nuptias ineunt, et ubi mortem obierunt.* Atque nonniſi eodem glutino diſſentientes alios coniungam, qui Sabinos ex Macedonia arceſſunt; nam certe, uti equidem arbitror, de Dardania item intelligunt, quae eſt Macedoniae finitima, cuius mentio Livio ingeritur Lib. XXVI. 25. *Inde Philippus Dardanorum urbem ſitam in Macedonia, tranſitum Dardanis facturam, cepit.* Sed lite dirempta (a), redeo unde diverti, ac communem Peli-

(a) Nec equidem renuerim, ſi cui magis adrideat Pelignos ex Hebraeo בל *Bel* arceſſere, ex quo latini Belinum et Pelinum deum, graeci Βελιν exculpſere, qui idem ipſis eſt ac *Ζευς Ολυμπιος*, ſive *Sol*. Numinis mentio paſſim in inſcriptionibus Aquileienſium occurrit, quorum deus patrius fuit; vid. cl. Philippum a' Turre Epiſcopum Hadrienſem *Diſſert. de deo Beleno*. Tertullianus Noricis etiam id ipſum numen tribuit *Apolog. Cap. XXIIII.* Ac Auſonius *Profeſ. Burdig. n.* 4. Atticum Patera *Sacerdotem Apollinis Beleni* memorat. Quid quod de Beleno inſulae Gradenſis extat lapis ap. Grut. p. MLXXI. 8. Itaque ex Beleno iſto (qui haud raro antiquis *Belinus* (vid. Herodian. Lib. VIII. Cap. VII., & inſcript. ap. Murat. *p. XXIV.* 2. BELINO AVG. SAC. *cet.*, & ibid. n. 7. AEDEM BELINI REFECERVNT) et *Pelinus* ſalutatur) per primaevos colonos huc illuc in diverſa terrarum diſperſos, haud inveriſimile eſt Pelignis factum nomen. Nam video tum Iovem *Belenum*, ac variata dialecto *Palenum* (quo facit tabula itineraria Antonini: *Sulmone -- Iovis Larene VII. -- Aufidena XXV.*, ubi pro *Larene* ſubſtituendum PALENI auctor eſt Cluerius), tum *Pelinum* apud Pelignos (quos Παλιγνους, et Πελληνους vocat Diodorus *Lib. XX.*) cultum; tum et deam *Pelinam*, quae excrtis verbis memoratur in veteri lapide Superequano apud Pelignos: HIC OB HONOREM AEDILITATIS L. VIBII cet. AC DEAM PELINAM PRIMVS HVIC LOCO VENATIONEM EDIDIT; cuius et conterminis regionibus facta relligio; ſiquidem et Anxani in Frentanis extat adhuc marmor, quod produxerat Muratorius p. XCIX. 3.

PELINAE
BENEFICAE
M. ALBIVS
NICERATVS
EX. VOTO. D. D

Pelignorum cum Sabinis originem ex ipſis Pelignarum urbium nomenclationibus oſtendam. De CORFINIO primaria regionis urbe ſatis in aperto poſitum video, neque graece, neque latine ſignificationem ullam id nomen prae ſe oſtentare. Quum vero radicem ſuam in primitiva lingua habeat, eſt enim ab Chaldaeo גור *gur*, *peregrinari*, et פנג *phanag*, quod *Phoenices* innuit, quaſi *Migratio Phoenicum*, iam dubitari non poſſe intelliges, unius eiuſdemque originis gentem fuiſſe tum Sabinos, tum Pelignos; qui ab illis diviſi, quam primo adventu aedificatam ſuae migrationis ſedem ſtatuerunt, propria qua tunc eloquebantur lingua, CORFINIVM nuncuparint, G in C verſo, quemadmodum paſſim in iis vocibus, quae ſunt ab Hebraeo fonte [a], uti Camelus ab גמל *gamal* (ipſo Varrone teſte Lib. IV. de L. L. *Camelus ſuo nomine ſyriaco in Latium venit*), *αραχνη* ab ארג *arag* texuit, cubitus ab גמד *gomed*.

Neque vero aliunde, quam ab oriente ipſo arceſſenda mihi SVLMONAE, alterius Pelignorum urbis, adpellatio videtur. Equidem haud ignoro, Ovidium ab Solymo Phryge dictam Vrbem voluiſſe *Lib.* IV. *Faſt.*

Huius erat Solymus Phryga comes unus ab Ida,
A quo Sulmonis moenia nomen habent.

Quem ſequutus eſt Silius Italicus *Lib.* IX.

Nomine Rhoeteo Solymus; nam Dardana origo
Et Phrygio genus a proavo, qui ſceptra ſecutus
Aeneae claram muris fundaverat urbem,

(a) Quid quod tum Etruſci, tum latinorum antiquiſſimi littera G carebant, pro qua paſſim uſurpare C conſueverunt.

Ex ſe ſe dictam Solymon , celebrato colonis ,
Mox Italis paullatim attrito nomine Sulmo .

Sed quis non videt in ſimilitudine vocis luſiſſe Ovidium in primis? Certe Maro ante Iliacam cladem exſtitiſſe urbem fatetur *Aen.* x. *v.* 517.

. . . . *Sulmone creatos*
Quatuor hic iuvenes , totidem quos educat Vfens ,
Viventes rapit , inferias quos immolet umbris ,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas .

Qua vel una Maronis auctoritate tum exploſam integre habes Ovidianam originationem [a], tum urbi longe Iliaco excidio antiquiorem adſertam vetuſtatem . Sed undenam ergo nomen exſtitit illi? Equidem , per me licet, ex radice שלם *shalam pacificum eſſe* (unde et urbi *Salem* in Sichimis , quae eſt in terra Samariae , adſcitum nomen) ſive ex indole loci , ſive ab alio quovis eventu dictam cenſeo.

Nunc vero ne vadimonium deſeruiſſe videar , ex pro-

(a) Perpetuo id quidem apud primaevos advenas in more poſitum , ut quas conſtituerent urbes , vel ex regionibus unde pedem extulerant , ad deſertae patriae qualecumque levamen; vel ex diis patriis ſuis , quos ab origine coluere maiores; vel ex ingenio loci; ac non raro demum ex ſingulari quodam eventu, denominarent. Antiqui ſcriptores attamen , quum in urbium originibus inveſtigandis haud valde ſatagerent, audacter vocabula localia ab cognomine heroe aliquo deducta comminiſcebantur. Huiuſmodi ingens prope heroum cohors paſſim Feſto , ac Servio memoratur , tum Graecis ſcriptoribus praeſertim , qui ad adſectandam admirabilitatem proniſſimi omnium fuerunt; quique ne minus graecanica viderentur urbium nomina, ſaepe etiam ad linguae ſuae ingenium ea deflectebant . Mitto autem poetas, quibus veluti pigmentorum fabris nihil non licuiſſe umquam, omnes noruot. ((Interea vero quis niſi prope ineptiſſimus, ut conditae patriae aevum plebeculae ſuaderet, in Solymi volvendo lapide deſudaret? At nihili id ducam ceteroqui, prae paene incredibilibus ſtultitiis , quas nuper conglobavit quidam Ignatius de Petro in edito ſpectaculo: *Memorie iſtoriche di Solmona.*)) FRANC.XAV.LVP.

promiſſo teneor et de ritibus Sabinorum aliquid adtingere , ut ex hoc capite etiam , ex quo ponderoſiſſima ad detegendam populorum originem excavantur argumenta , orientale eorumdem genus magis in propatulo ponatur . At qui huic παρεκβασει finis , ſi liberaliter aliquantulum rem perſequi animus eſſet ? Saltem ſollemne unum Sabinae gentis inſtitutum non praeteream , quod eſt VER SACRVM , in totum late Samnium mox pervulgatum . De eo Feſtus : *Ver ſacrum vovendi mos fuit Italis ; magnis enim periculis adducti vovebant , quaecumque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia , immolaturos . Sed cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere , perductos in adultam aetatem velabant , atque ita extra fines ſuos exigebant .* Et iterum voce *Mamertini* haec adnotat: *Cum de toto Samnio gravis incidiſſet peſtilentia , Sthenius Mettius eius gentis princeps , convocata civium ſuorum concione , expoſuit ſe vidiſſe in quiete praecipientem Apollinem , ut ſi vellent eo malo liberari , VER SACRVM voverent , ideſt quaecumque vere proximo nata eſſent , immolaturos ſibi .* Haec quisquis adtendit , is ſi Mettii ſomnium , ac Apollinis praeceptum e fabula excutiat , nonne Veris Sacri religionem ab Scripturis hauſiſſe Sabinos intelliget ? Praeceperat enim Deus Exod. XIII. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum , quod aperit vulvam in filiis Iſrael , tam de hominibus , quam de iumentis .* Atque non religionem tantum , ſed et ipſum quoque nomen hinc accepiſſe Sabinam gentem puto . Eccur enim *ver ſacrum* vovebatur , ſive quidquid ab kalendis Martiis ad ante diem

 kalen-

kalendarum Maii natum, nisi quod eo maxime tempore Moses ex Aegypto Israelitarum populum eduxerat? Ergo is vovendi ritus ex oriente repetendus, ac per Tyrrhenos (qui in totam quam longissime patet Italiam inundarunt) in haec loca non sine fucto fabularum involucro importatus.

Sed iam prope peractum esset negotium omne, nihilque reliqui esse putarem in rem propositam, nisi me postremo ipsum Sabinorum nomen excutiendi, enucleandique stimulus urgeret. Sane quin a deo Sabo suum receperint nomen Sabini, dubitare prorsus non sinit Silius Italicus VIII. v. 442.

SABE . . . qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione SABINOS.

Quod et Cato prodidit Lib. de origin. *Sabinis nomen est impositum a Sabo*. Sed quisnam iste Sabus? Nescio equidem an praeter tabulas Eugubinas alterum extet istius numinis monumentum; sed nisi unicum id, certe omnium remotissimum [a]. Ibi vero Tab. v. vers. 17. sic Sabo votum exsolvitur: KABRV . PVRTV . VETV . VAPVTV . SABI . IVVEPATRE . PREPESNIMV, idest *verrem votum post haec Sabe Iupiter pro pesnimu* habeto. Et vers. 24. IVPATER . SABE . TEFE . ESTV . VITVL . VVFRV . SESTO, idest, *Iupiter Sabe tibi istum vitulum robeum sisto*. Ergo per me sit, vel etruscae huius inscriptionis ope, non aliunde *Iovem Sabum* ortum intelligo, quam ex Dei

(a) De decimis thuris, quas deo Sabo Sacerdotes urbis Sabotae exsolvebant, conferas, si lubet, Plinium *Lib.* XII. *cap.* 14.

Dei veri nomine *τετραγραμματῳ*, quod ſecundum Maſorethicas vocales IEHOVA, at ſecundum antiquos IOVA *Deus*, et additamento illo, quo militiae inſpiratur fortitudo צבאות SABOTH *exercitus*; quemadmodum II. Sam. 5. et Pſ. V.LIV. et LIX. יהוה צבאות, quod in Ep. ad Rom. IX. verſ. 29. *Κυριος Σαβαωθ* *Dominus exercituum* dicitur. Hem belle quantum de cortice fabulae nucleus emergit veritatis! Hic igitur IOVA SABOTH *Deus exercituum*, ex quo ſub *Iovis Sabi* nomine dicti Sabini. Miror ſane, nemini adhuc id ſuboluiſſe; nam hinc peropportune haud parum lucis Reineſiano lapidi *Claſ.* I. *n.* CCLVI. adfunditur, qui Iovem Sabatium trudit:

IOVI . OPTIMO
MAXIMO
ΣABATIO
C . CAETRONIVS . OCCI
VS . VALERIANVS . MIL.
SEMPLAR . ARMATVR.
V . S . L . M

Haud enim abnorme erit (a) ex eadem radice id nomen fabrefactum ſuſpicari. Nam in Aegypto primum, ac Syria Sabatii (qui idem ac Sol) cultus invaluit, inde in Thraciam advectus, Graeciam demum pervaſit (b); ut non

(a) Memini equidem id nomen me aliunde arceſſiſſe in Diatriba Paraſcevaſtica in Hexaemeron. Vide noſtras *Theologiae Dogmaticae lectiones Tom. III.*

(b) De Iove Sabatio confer Diodorum *Lib. XXXVI.* Lucianum *in Conc. Deor.* Harpocrat. in *Σαβοι*, Euſtathium *in Dionyſii περιηγησιν*, Tullium *Lib. II. de Legib.* Clem. Alexandrinum *Protrept. p.* 11. Iulium Firmicum *de error. Profan. Relig.* Is idem, qui *Sabadius* dicitur Apuleio *Metamorph. VII.* & Macrobio *Lib. I. Saturnal. Cap. XVIII.* Nam ex ipſo Platone ſcitum in *Cratylo*, quod Z, et Δ *μεταςρεφονται* permutantur.

non immerito Athenienſibus peregrinum deum exprobrarit Ariſtophanes *in Avibus*.

Porro autem ſi poſthabitis fabulis, vel decorticatis ſaltem, in verum adtendamus, profecto nullus dubitandi locus remanet, quin primaevi Italiae populi ab oriente in haec loca fuerint proſeminati. Sive ex diſperſu illo, quum, poſt ſuperba babelicae turris meditata, Nemrodi factio cum Chamidis fere omnibus in diverſa terrarum divino iudicio eſt diſſipata, (quo fabuloſae tendunt Bacchi expeditiones, nam Bacchus ſub eo cortice non alius eſt, quam בר־כוש *Bar-Chus*, ideſt Chuſi filius, ſive Nemrodus, qui longe lateque colonias rebellantes diſſeminavit); ſive ex diſperſu altero, quum, propria populi Dei latifundia Ioſua vindicante, Chanaanitae huc illuc fugientes varia variis locis ſortiti ſunt nomina. Atque hi ſunt Phoenices illi, ſic primitus dicti a בני כנען *Pene Chanaan*, et inde *Phene-Chana*, *Filii Chanaan* (qui et Sidonii Homero [a] dicuntur, quippe ab illo Sidone propagati, quem Moſes Cap. x. 15. Chanaanis primogenitum facit), illi Phoenices inquam plurimarum in Africa urbium conditores, ac Charthadae in primis, ſive variata dialecto Charthaginis [b]; unde Chartaginienſes *Phoeni* primum dicti, et mox adſpiratione [c] detracta

(a) Paſſim quidem in Odyſſ. *Σιδόνοι*, ſed expreſſe vero Iliad. Ψ. *Σιδόνες* adpellantur Homero Phoenices; antiquitus enim gens univerſa, non raro ab urbe primaria denominabatur, quae Phoeniciis Sidon erat, nam Tyrus etiam Homericis temporibus recentior.

(b) Rem diſertiſſime omnium perſequutus eſt Thomas Reineſius in Diſſertat. *de Lingua Punica*, quam edidit Io: Georgius Graevius inter Diſſert. rarior. Vltraiecti an. DCCII.

(c) Promiſcui uſus apud veteres fuerunt conſonantes P, et PH. Hinc apud Dempſterum *Etrur. Regal.*

tracta *Poeni*. Atque huius rei argumento folidiffimo funt columnae, quas Phoenicio fermone infcriptas in Numidia Tingitana ipfemet fuis oculis viderat Procopius Caefarea-Palaeftinus, in Africa contra Vandalos Imperatori legatus; quaeque fic graece fonant: ΗΜΕΙΣ. ΕΣΜΕΝ. ΟΙ. ΦΥΓΟΝΤΕΣ. ΑΠΟ. ΠΡΟΣΩΠΟΥ. ΙΗΣΟΥ. ΤΟΥ. ΛΗΣΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΝΑΥΗ. ideft: *nos fumus qui fugimus a confpectu Iofuae latronis* (ideft victoris[a]) *filii Nun*[b]. Neque vero eft, cur dicam quam multas errones ifti, five Chananaei, five Phoenices, five Sidonii, five Tyrii (una gens enim), qui diu maris imperium obtinuerunt, per Africam, Afiam, Europam, maxime vero in Italia, Hifpania, Graecia, et maritimis locis aliis conftituerint colonias[c].

De Pelafgis, ac Tyrrhenis modo fi quaeras, non aliam profecto invenies originem. Vtramque gentem enim ex

gal. Tom. I. Tab. V. ƎMᗡƎΦ *pherfa* pro Perfeus; et in infcriptione farcophagi apud Lanzium *Ling. Etr. p.* 354. ꟷƎ VI V8N ꟷꟷZN8 *fafti afunei* pro Fauſta Aponia. Quam permutationem non raro et apud Graecos vides, quibus *πορφυρεον* pro *purpureo*, et ΦΙΤΤΑΚΟΝ *pittacum* in nummo apud Bellorium *Imag. Illuftr.*, tum apud Latinos, ut in veteri fragmento apud Sponium *Mifc. Erud. antiq.* Surrenti in Campania ... *tecto. NYMPAEO. cum. plumbo. Surrentino. Deo*; et ex adverfo ap. Grut. p. DCXLVIII. 1. C. CALPHVRNIVS pro C. Calpurnius, et p. DCCCXII. 4. AFRONIA pro Apronia. Amuffim vero pro Phoenicio POENICIVM in vetuftiffimae legis fragmento: POPVLEIS. LIBEREIS. QVEI. IN. AFRICA. SVNT. QVEI. EORVM. IN. AMEICITIAM. POPVLEI. ROMANEI. BELLO. POENICIO. PROXVMO. MANSERVNT. Et in Columna roftrata Duillii: CLASEIS. POENICAS.

(a) Patet ex Homeri, Thucydidis, aliorumque auctoritate *latronis* nomen heroicis temporibus honorificum fuiffe; nam haud raro qui vincendo alios debellabant, eo nomine falutati.

(b) Columnas defcribit Procopius ipfe *Lib. II. Vandalic. Cap. X.* Vide et Evagrium *Hift. Eccl. Lib. IV. Cap. XVIII.* et Suidam in voce Κανααν.

(c) Vide Lucianum in *Icaro Menippeo*; cui *terrarum remotiffimarum fcrutatores, perluftratoresque audaciffimi dicuntur*; qui et varias colonias ibidem enumerat.

ex iisdem Nemrodi sectatoribus ἀνεκαθεν descendere, ipsa sua nomina produnt, quae per errores omnes, ubicumque data est eis consistendi facultas, perpetuo circumtulerunt [a]. Namque Tyrrheni sunt ab Hebraeo כירה *tirah* turris, veluti Turreni (graecis τυρσηνοι , quod enim latinis est *turris*, id graecis est τυρσις, nec nisi ex ipsa *tirah* babelica ambae deductae sunt voces [b]) . Pelasgos vero, tametsi clarissimus Mazochius a פלג *phaleg* , quod est dividere et dispergere eos eduxerit ad *Tab. Heracl. Cap.* II. *Sect.* I. ; tamen ego potius reor ita dictos , veluti פלשת גוי *phelesceth goi* , i. e. Philistiim gens , unde absor-

(a) Quid si ab Tyriis dicti Tyrrheni , veluti Tyriorum colonia? In ea primus omnium, quoad sciam, versatus est sententia clarissimus Fullerus *I. Miscellan. Cap. II.* Ac profecto eodem una doceri omnes conspirassent , nisi maximo terrefacri obstaculo , quod Tyrrheni Tyrum ipsam aetate praecedant. Nescio an hunc adienderit lapidem nuperus auctor *della civilizzazione de' selvaggi d' Italia* .

(b) Accedit quod ubicumque consederint, ac quo quo nomine compellati, unam ex condicto veluti originem expresserunt ; ut contra propriam ipsorummet advenarum confessionem nihil contra hiscere arguti homines possint. Ac Phoenices quidem, qui in Africa constiterunt, non alios quam Chananaeos fuisse, vel ipsa Augustini aetate ex populi ore palam erat. *Interrogati rustici nostri* (inquit Augustinus Exposit. Epist. ad Rom.) *quid sint*, *Punice respondentes CANANI* , *corrupta scilicet* , *sicut in talibus solet*, *una littera : quid aliud respondent* , *quam Chananaei?* Tyrrheni vero, et item rogati cuiates fuerint, RASENAS proprio ore dicebant, idque aetate ipsa Dionysii Halicarnassensis, qui multa de Tyrrhenorum origine praefatus subdit Lib. I. p. 22. *Ipsi vero se a duce quodam RASENA EODEM quo ille MODO NOMINANT*. At quis iste dux, nisi qui Rasenam urbem aedificarat, cuius evocato mox populo ad erigendam turrim se converterat? Perspicuus certe est locus Genesis X. 11. *De terra illa egressus est* (Nemrod) *in Assyriam*, *et aedificavit Niniven et Rehoboth*, *et Chale*. RESEN *quoque inter Niniven*, *et Chale : Haec est civitas magna*. Itaque dux Rasenas, ex quo Tyrrheni huc illucque iactati, etiam post emensas terras late plurimas suam expromunt originem, ille ipse est RASENAE urbis aedificator, populique ductor, qui non statim a nativitate sua , sed postquam a Deo rebellaverit, ex facto suo *Nemrod*, i. e. *rebellis* est adpellatus. Hem aperte quantum post longa temporum intervalla, quibus res tam densis est involuta fabulis, lux emicat veritatis!

abſorpto ה evaſit פלשגי, i. e. *Pelaſ-gi*.

Niſi vero Pelaſgi, ac Tyrrheni unus idemque populus exſtiterit [a], certe tamen quippe communis originis, coniunctiſſimi diu fuerunt; namque ſcimus in Imbro, Lemnoque, et Athenis, ac in Theſſalia iunctis viribus militaſſe, nec niſi longi temporis tractu ſuas ſibi ſingulos res habuiſſe. Niſi quod Tyrrheni in Italia conſederunt, quae inde diu Tyrrhenia eſt dicta, maxime Tuſcia, et Campania; Pelaſgi vero ſuis perpetuis erroribus inſtiterunt [b].

Interea, ut de litterarum forma per haec tempora, quibus multiplices advenarum greges ultro citroque per diverſa regionum concurſabant, aliquid adtingam, vetu-

K ſtiſſi-

(a) Tyrrhenos ac Pelasgos tametſi veluti populos duos oſtentet Dionyſius Halicarnaſſeus *Lib. I. p.* 22. veteres tamen, qui Dionyſii aetatem praeceſſerunt, nonniſi unum fuiſſe populum tradidere. In hoc cenſu eſt Thucydides (ap. Dionyſ. ipſum loc. cit.): *το δε πλειστον (γενος) Πελασγικον, των και Λημνον ποτε και Αθηνας οικησαντων Τυρσηνων*; *Pars maxima gentis erat Pelasgica ex Tyrrhenis illis, qui et Lemnum aliquando et Athenas incolebant*. Tum et Sophocles *in Inach.* in eo verſu, qui definit Και Τυρσηνοισι Πελασγοις, *Tyrrenisque Pelasgis*. Qoibus ſuffragari videtur Lesbius (ap. eumd.) qui Tyrrhenos vero dictos tradit, quum primum in Italiam venerint. Demum vero Servius ex Hygino, et Varrone id ipſum ſentit ad Aeneid. VIII. *Hyginus dixit, Pelasgos eſſe qui Tyrrheni ſunt. Hoc etiam Varro commemorat*.

(b) Atque Pelaſgi qnidem, maria ac terras everrendi laborantes vertigine, haud ſemel in Italiam auſpicato immigrarunt. Res magnis temporum difficultatibus iotercipitur. Tamen primam Pelaſgorum migrationem in Italiam cum Oenotro ſeptemdecim ante Iliacam cladem aetatibus Dionyſius Hal. commemorat *Lib. I. cap. XI.* Alteram ex Theſſalia Deucalionis aevo, accepto Jovis Dodonaei reſponſo, Dionyſius idem memoriae prodidit *ibid. cap. XVIII.* Tertiam cum Evandro ex Arcadia ſexaginta fere annis ante Troiae excidium. Hinc oppida pleraque ibi condidiſſe dicuntur, in primis Lariſſam in Campania, de qua Halicarnaſſeus idem *loc. cit.*, tum et Nuceriam, aliaſque ad Sarni viciniam urbes, uti ex Cononis vetuſtiſſimi ſcriptoris fragmento eſt intelligere apud Servium ad Virgil. *Aeneid. VII.*

ſtiſſimas omnium eas fuiſſe, ac diſperſione gentium ſaltem antiquiores, ex eo promptiſſimum eſt cuivis arguere, quod mira conſenſione in eaſdem conveniſſe litteras adprime populos omnes videmus, quorum illuſtris exſtitit memoria, ſive Tyrios, et Sidonios, ſive Afros, Hiſpanos, Sicilienſes, Italos, Graecos. Quum enim nationes iſtae longo adeo terrarum ſpatio diſſitae, nedum ingenio ac moribus diverſae in parem ſcribendi formam coniurarint, iam nullus dubitandi paene ſupereſt locus, quin ea una gentium omnium fuerit propria litterarum ratio, antequam dividerentur, quum etiam diviſis communis eſſet. Quod ſane de ſermone ipſo dictum haud immerito velim. Nam ſi diſcriminis aliquid ſecutis temporibus in lingua gentium fuit (quod certe non tantum fuit, quin tamquam hebraicae linguae dialecti reputentur) certe id immenſis adeo locorum temporumque intervallis eſt adſignandum, quibus ſcimus linguas adſidue magis ac magis mutari, atque interpolari.

Ab Phoeniciis igitur (quos ſive Pelaſgos dicas, ſive Tyrrhenos, nonniſi gentem unam diverſo deſignatam alibi nomine expromas) qui omnium primi longe lateque per univerſa maria diffuſi ſunt, tum gentes reliquas, tum graecos in primis litteras edoctos, non eſt cur longa heic perſequar diſquiſitione (a). Sane enim vel una

(a) Ex vetuſtis Hebraeorum litteris antiquiſſimas Graecorum litteras formatas, luculentiſſime omnium oſtendit Cl. Blanconius *de antiq. litter. Hebraeor. et Graecor.* Sane Plinius de litteris generatim haec tradit *Lib. VII. Hiſt. Nat. cap. LVI. Litteras ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. Utique in Graeciam*

una mihi instar omnium est Herodoti auctoritas, qui ipse suis oculis apud Thebas Boeotias monumenta Phoeniciis litteris inscripta in templo Apollinis Ismenii viderat; quique sic locupletissime in rem nostram *Lib. V.* Οι Φοινικες αλλα τε πολλα, οικησαντες ταυτην την χωρην, εσηγαγον διδασκαλια ες της Ελληνας, ᾗ δη ᾗ γραμματα ȣκ εοντα πριν Ελλησι, ως εμοι δοκει. πρωτα μεν, τοισι ᾗ απαντες χρεωνται Φοινικες. μετα δε, χρονȣ προβαινοντος αμα τη Φωνη μετεβαλον ᾗ τον ρυθμον των γραμματων; *Phoenices hanc ipsam regionem incolentes, cum alias multas doctrinas in Graeciam introduxere, tum vero litteras, quae apud Graecos, ut mihi videtur, antea non fuerant. Et primae quidem illae extiterunt, quibus omnes Phoenices utuntur, progressu vero temporis, una cum sono, mutaverunt etiam pristinum modulum.* Cui adprime Diodorus suffragatur *Lib. V.* Συροι μεν ευρεται των γραμματων εισι, παρα δε τουτων Φοινικες μαθοντες τοίς Ελλησι παραδεδωκασιν. ȣτι δ' εισιν οι μετα Καδμȣ πλευσαντες εις την Ευρωπην, *Syri litteras invenerunt: ab his autem edocti Phoenices Graecis tradiderunt: hi nimirum, qui cum*

ciam intulisse e Phoenice Cadmum sexdecim numero. Tametsi vero quatuor nationibus litterarum inventionem tribuere Plinius videatur, Assyriis, Aegyptiis, Syris, Phoenicibus, unam tamen probe tenes Hebraicam. Neminem enim fugit, Assyrios seu Chaldaeos communes habuisse litteras, et linguam cum Hebraeis; quid quod diu vixere in Aegypto; ac Syriae pars Iudaea fuit, et Phoenicibus contermina. Quo facit Diodorus *Lib.V.* in Graeciam usque famam percrebuisse, Phoenices, qui litteras Graecis adtulerant, *nequaquam primos esse inventores*, sed ab aliis accepisse: φασι τε Φοινικας ουκ εξ αρχης ευρειν; et Tacitus *lib. II. Phoenicas intulisse litteras Graeciae, gloriamque adeptos tamquam repererint, quae acceperant.* Sed unde acceperant, nisi ab Hebraeis? Profecto non alii quam Hebraei manifesto produntur, qui Syrorum nomine apud Diodorum latent loco supra recitato.

Cadmo in Europam navigarunt. Quid plura? Satis eſt haec ipſa Graecorum fama Cadmum primum, quum in Europam navigaſſet, litteras in Graeciam invexiſſe. Sed quis iſte Cadmus ſodes? an non ex nomine ipſo totum fabulae pigmentum exſufflari animadvertas? Cadmi enim derivatum nomen ex Phoenicia voce קדם *kedem*, qua *Orientalis* homo deſignatur (a). Atque hinc intelligitur, cur primas Graecorum litteras, ſive Phoenicias, ſive Cadmeas (b) veteres Scriptores adpellarint. Adhuc vero et Pelasgicae Diodoro dicuntur *lib. III*, ſed certe non quod earum uſus Pelaſgis primum in Graecia innotuiſſet, uti ſibi ſuaſit (c), ſed vere quod Pelaſgi, qui diu Graeciam obtinuerunt, ipſiſsimae originis erant ac Phoenices (d).

Ad

(a) Sane Graeci a Cadmo ſibi traditas litteras conſtanter tenuere; uni homini tribuentes, quod a pluribus acceperunt, ab Orientalibus nimirum. Res certe haud inſolens Graecis. Ita ex multis regibus, qui ſapienter imperitarunt, unum conflavere Iovem, et ex pluribus heroibus, ſtrenuiſque ducibus Herculem unum fabricarunt. Idem de Caldmo dicas, non quod plures arbitrer Cadmos, veluti Cadmum Agenoris, Cadmumque qui eum Danao in Graeciam perrexit; ſed revera quod Cadmi nomine *orientales populi* indigitentur, per quos res litteraria non ſemel in Graeciam translata fuerat; quemadmodum ex Herodoto ſupra vidimus.

(b) Herodotus *Lib. V.*

(c) Euſtathius vero ad *Iliad. β. p.* 358. Pelaſgicas ex eo cenſet dictas, quod Pelaſgi ſoli graecorum poſt diluvium *τα στοιχεια elementa litterarum* ſervarint. Cataclyſmus autem quem Euſtathius memorat, ille fortaſſe intelligendus, qui Arcadiam devaſtavit, qua calamitate e Peloponneſo Pelaſgi emigrantes (uti ex Dionyſio Halicarnaſſeo conſtat *Lib. I. pag.* 49.) alii alio, ſed plerique omnes in Italiam devenere.

(d) Atque inde eſt, cur Euſebius litteras Phoenicias, ſive prima ſcribendi elementa *γραμματα κοινα litteras communes* adpellet, quod nempe communes univerſis populis fuerint. Πρωτος (inquit Euſebius *Lib. X. de Praep. Evang. cap. V.*) *τοιγαρουν ο τα* ΚΟΙΝΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ *αυτα δη τα πρωτα της γραμματικης στοιχεια Ελλησιν υφηγησαμενος Καδμος το γενος Φοινιξ. Cadmum illum certe quidem, qui COMMUNES LITTERAS, adeoque prima grammatices elementa Graecis informavit, genere Phoenicem fuiſſe conſtat.*

Ad Italiam porro quod pertinet, tametsi de primaevis advenis, primaque gentis origine constet, Tyrrhenos eos fuisse, unde antiquitus quemadmodum supra monui, Tyrrhenia est dicta, tamen extra omnem dubitationis aleam est, vario temporis tractu etiam Graecis coloniis frequentatam, ex Peloponneso potissimum, ubi quidquid erat Graeci nominis ex Aeolensibus, Ionibus, Doribus diversabatur (a). Nisi quod quae populorum Graeci oris examina huc unde unde advenerunt, etsi varia aetate, varioque nomine, compertissimum habeo Phoenicia origine omnes fuisse. Cuius rei argumento firmissimo sunt (praeter innumera huc importata graecanica vocabula, quae meri Hebraici peculii sunt) nomina etiam quaedam omnino Graecis inusitata, quae adhuc in antiquis lapidibus non raro in hoc Italiae tractu offendimus, quorum certe intelligentiam frustra quisquis in Graecia quaerere adlaboraret. At quandoquidem me nec opinantem in hunc sermonem coniectum video, certe si quanta quanta est, quis excutiat Graeciam, numquam constiturum sibi, facto ipso experietur, unde Hirtinis populis in Lucania ΚΩΜΝΑΡΟΥ miro cognomine salutatus sit Iupiter? Vocem mihi datum est primum ex veteri cippo deprehendere, in monte Hirtino haud multis abhinc annis (b) effosso, ubi antiquissima urbs (Geographis ignota) olim stetit, quae solo aequata, ac sensim deser-

(a) Vide Diodorum Sicul. *Lib.XII. pag.* 295.

(b) Is lapis sub beatae recordationis praedecessore nostro Bartholomaeo Coccoli Episcopo Pelusiano, Grassanum, qui pagus ad montis viciniam iacet, est adsportatus.

deſerta, ager nunc paſcuus eſt pleni iuris noſtrae Menſae Epiſcopalis. Ibi adhuc veteris *Hirti* (quod ſequiori aetate *Hirſum*, et *Yrzum* (a) audiit) rudera nudis oculis viſuntur, et ubi paſſim marmora, et remotae antiquitatis monumenta excavantur. In ipſis vero vetuſti templi ruinis, quod IOVI HIRTINO paganicae ſuperſtitionis ſtoliditas dicaverat, nunc templum adſurgit VIRGINI MARIAE DE PROVIDENTIA, cuius opem praeſentiſſimam in tot caſibus adverſis experta eſt Civitas Montiſpeluſii, et cui nos quotannis ſtata ſollemnitate montem conſcendentes, rite cum populo noſtro litamus, ut diram morborum peſtem, tempeſtateſque frugibus inimicas ex finibus noſtris averruncet, tum et arida arva madefaciat, ac proſpera omnia domi foriſque ſuo procuret imperio. Ergo ne ab Iove *Connaro* longius divagemur, ita ſe vetus habet inſcriptio:

ΣΩΘΕΝΤΟΣ . ΚΑΛΛΙΜΑ
ΚΟΥ . ΑΥΡΗΛΙΑ . ΓΥΝΑ
ΑΥΤΟΥ . ΕΥΧΑΝ . ΑΠΕ
ΔΩΚΕ . ΤΩΙ . ΔΙΙ . ΚΩΜΝΑ
ΡΩΙ . ΚΑΙ . ΔΙΙ . ΕΛΕΥΘΕΡΩΙ
ΥΠΕΡ . ΑΥΤΟΥ . ΚΑΙ . ΠΟΛΙ
ΤΩΝ . ΙΡΤΙΝΩΝ . ΥΓΙΕΙΑΣ
ΤΑΥΤΑ.ΠΑΝΤΑ.ΠΕΦΥΚΟΤΙ

Quam

(a) Praeter antiquiores noſtri Epiſcopalis tabularii membranas, quibus ſaepe veteris Hirſi mentio ingeritur; occurrit etiam in *Catalog.* Baronum Regni Neapolitani, qui ſub Rege Guilielmo Bono expeditionem ad terram ſanctam vindicandam ſuſceperunt: *Abbas Sanctae Mariae Montiſpi-*

Quam ſic latine vertas: *Incolumi Kallimaco*, *Aurelia Coniux eius votum ſolvit Iovi Comnaro* , *et Iovi ſervatori pro ipſius et Civium Hirtinorum ſalute* , *horum omnium auctori*. Porro quum ΚΩΜΝΑΡΟΥ cognomen, Iovi adpictum, nullam prae ſe prorſus Graece pandat ſignificationem , nonniſi ab Oriente mutuatos id eſſe Graecos advenas, mihi quidem certo eram ſuaſus. Atque initio quidem, quum ipſiſſimis litteris הם נאורה *ham narah aeſtuans ignis* ea voce expreſſum viderim ; nihil prima fronte pronius fuit ſuſpicari, quam quod eo nomine veluti *peſtiferum ardorem immittens* ſalutatus Iupiter fuerit, cui tamquam depulſori contagionis ab Hirtinis ſupplicaretur ; peſtem enim veteres, veluti ignem quemdam putabant, nec niſi ab capitis aeſtu adprime manare. Sed re melius perpenſa, in eo tandem conquievit animus, ut non aliunde novum id Iovis nomen derivatum omnino prorſus crederem, quam ab hebraeo קום *com*, quod eſt *praeſtare* , et נהר *nahar fluvium* , ideſt *μετονυμικως aquam* , veluti is idem ea voce indigitaretur, qui latinis Iupiter PLVVIVS (a) audiebat, cuius meminit Tibullus *Lib.* I. *Eleg.* III.

Arida nec Pluvio ſupplicat herba Iovi.

Nam vero equidem ſimillimum habeo, Iovem pluvium apud Hirtinos peculiariter cultum, quippe regionem inha-

tiſbiloſi , ſicut Raynaldus filius Fredi Camerarii Curiae ſignificando mendavit : de eo quod tenet in YRSO obtulit cum augmento milites X. et ſervientes L., inter quos numeratus eſt Tancredo de YRSO cum feudo ſuo.

(a) Graecis Ζευς Ομβριος, et Ζευς Υετιος, cuius mentio ex Apollonio, Pauſania, Plutarcho, Luciano, et Heſychio.

inhabitantes pluviae indigam, et ubi raro decidunt aquae [a]. Quo magis adhuc, quum imbres desiderantur, eo bisque terque singulis annis conscendere populus solet PROVIDENTIAE MATREM pro nata necessitate supplicaturus; qua sequestra, voti compos raro non in ipso paene montis descensu efficitur.

Itaque ut eo revertar, unde longa digressione diverti, neminem unum dubitaturum arbitror, quin et Graeci nominis Coloniae, quae temporis processu in haec loca immigrarunt, parem ab Oriente originem traxerint. Pelasgi in primis qui θαλαττοκρατοῦντοι *maripotentes* fuerunt, quippe Chalcidicam regionem, Boeotiam, Phocidem, Euboeam, Asiam, et Helespontum pervagantes [b], varia ex

(a) De ara Iovis Pluvii in Atticae monte Hymetto, conferas Pausaniam *Attic. p.* 31. Atque de Atheniensibus scimus, quod ambarvalia, sive circum arva supplicationes obire solebant, exerta voce clamitantes: *plue, plue, Iupiter, in aridos Atheniensium agros*. Antonin. *de Reb. Gest. cap. V.* Huic vero Iupiter serenus adversatur, de quo vetus lapis Romae apud Gruter. *p. XXIII.* 1. IOVI. SERENO NVMMIVS ALBINVS EX VOTO. Qui et Serenator dicitur in tabula aërea apud Gud. p. IV. n. 6. IOVI. DEO. BONO. SERENATORI. M. MISCILIVS. RVFVS. VETERANVS. EX. V. Nec equidem dubitaverim, quin ista Iovis cognomina *Pluvii*, *Sereni*, tum et *Fulguratoris*, ac *Tonantis* ex Scripturis detorserint profani. Sed hanc rem fusius persequutus sum in *Spicilegio veterum monumentorum, quibus Theologica Dogmata illustrantur*. Quod iamdiu promissum in nostris *Theol. Dogm. Lect. Tom. IV. p.* 122. adhuc postremam manum expectat.

(b) Pelasgorum indesinentes vagationes Strabo testatur *Lib. XIII. p.* 621. *Vaga gens Pelasgorum, et ad migrationem praeceps*. Sed tanto ante Herodotus πολυπλάνητον *multivagum* eorum genus adpellaverat, et Dionysius Halicarnasseus πολυπλάνητον. Quod sane ansam Myrsilo praebuit opinandi apud Dionys. *Lib. I.*, Pelasgos ita dictos veluti πελαργούς, quod ciconiarum more gregatim vagarentur. Atque ex hisce perpetuis erroribus, frequentibusque in Italiam immigrationibus, emigrationibusque factum, ut tenebris obvoluta traditione, Graecorumque scriptorum confuso inter fabularum portenta sermone, alii alio tendentes viri docti, modo Pelasgos primaevos Italiae populos crediderint, modo sequiori aetate huc ex Graecia adpulsos.

ex variis commigrationibus ſortiti ſunt nomina. Quod vel eo conſilio probe dictum volo, ne diverſas gentes quis fortaſſe arbitretur, quae una pluribus perſonata nominibus fuit. Nam Δωδωνοι ex Dodona dicti [a], ex Arcadia Αρκαδες quemadmodum eos Herodotus adpellat *I.* 46. [b]. E Peloponneſo Αιγιαλεες *littorales*, qui mox ſi quae fides Herodoto *VII.* 94. ab Ione quodam Xuthi filio *Iones* dicti. Αιολες vero ab Aeolia, non illa quidem Aſiatica, ſed Italica in mari Tyrrheno, quae antiquitate ſua longe illam ſuperat; cui et ex natura loci, ex ſolo nempe ſulphureo, igneiſque eructationibus ab Phalegico צלהה *hala*, *flagrare* nomen adhaeſit [c]. Namque haud in Aſiam minorem inductum Aeoliae nomen, niſi per noſtros Pelaſgos Aeolas, poſtquam a Metaponto emigrantes, inque Theſſaliam (ubi Pelaſgi Aeoles Theſſaliae, teſte Strabone, nuncupabantur) recepti, novas mox ſibi terras quaerere coacti, in ea regione conſtiterint, quam armis ſubegerant inter Troadem et Ioniam, quam proinde ex propria, ſibi primum ex Italicae Aeoliae incolatu adquiſita, nomenclatione Αιολιδαν dixerunt [d].

L Quis-

(*a*) Ex Dodona a Pelaſgis habitata, Iupiter ipſe Δωδωναιος Πελασγικος ſalutatur Homero *Iliad.* β. v.233.

(*b*) Ac primi qui in oras delati ſunt noſtras, Αρκαδικου γενος *Arcadici generis* fuiſſe produntur a Dionyſio Halicarnaſſeo *Lib. I. pag.* 9. Atque nonniſi ab Pelaſgis Arcadibus ingenuas artes, in primis muſicen edoctos Italos, idem teſtatur *p.*26.

(*c*) Ex naturali autem iactantia Graeci, ut ſibi, quae aliena ſunt, arrogarent, Aeolum quemdam in fabularum officina cuderunt, ut non aliunde partam Aeolidi Aſiaticae adpellationem venditarent. *At heu nos perdite credulos!* (egregie de alio tractans inclamabat ſummus Mazochius ad Tabb. p. 515.) *ſi quidem circa remotiſſimos per heroica tempora gentium origines ab vaniſſimis mortalium Graeculis adhuc nobis illudi ſinamus.*

(*d*) Ac probe Mazochius idem pro remotiore Aeoliae Italicae antiquitate

tate

Quisquis vero temporum longinquitatem paullisper adtenderit, rerumque varias per diversa aetatum conversiones, is si tot frequentes populorum, sive lingua iam, sive dialectis saltem discrepantium, cohortes in Italiam corrivatas sedulo perpenderit, manifesto utique intelliget, quî factum, ut ab primaeva lingua, quam Tyrrheni secum ex Asia detulerant, novis quotidie adscitis dictionibus, veteribusque exoletis, immense tantum degeneraverit (a) Thuscorum idioma. Tametsi vero ex Graecorum scriptis, nec enim fabulas sectari in re seria licet, divinari neutiquam possit quanta colonorum colluvies, suis excita sedibus, in Italiam venerit (b), quive mox, quive

tate supra Asiaticam se stare professus est in *Addit. ad Voss.* voce *Aula* tum alibi passim. Enimvero quum Homerus nusquam in suo poemate Aeolas memoraverit, maxime ubi Pelasgos pro Troia et contra Troiam certantes induxit, facile quis coniiciet, belli Troiani aetate Pelasgos illos, qui insulas Aeolias Italiae (unde illis factum nomen) incolebant, nondum in Graeciam transmarinam, et in Asiam minorem devenisse; nimirum inde post cladem Iliacam centum amplius annis excesserant, uti disertissime demum ex Dionysio Halicarnasseo, et Herodoto demonstravit Vir amicissimus, et in Academia Herculanensi collega Nicolaus Ignarra *De Phratr. Neap. p.* 88. *seq.*

(a) Nec fieri enim poterat, quin novis continuo advenientibus alienigenarum turmis, alieni aliquid sensim primaeva lingua contraheret, donec a fonte suo paullatim degeneraret. Egregie hanc in rem Cl. Aldrete *Lib.* 1. *cap. XX.* *Con el tiempo se muda, y va poco a poco siendo otra, de manera que sin nuevo accidente, mas que es causa el tiempo, basta para que una lengua sea casi otra de la que fue agora trezientos annos.* Atque quoad ipsos Pelasgos pertinet, etsi in tuenda veteri lingua ceteris tenaciores fuere, quippe βαρβαρον γλωσσαν ιεντες (idest Phoeniciam, quam Graeci haud intelligentes pro barbara dixerunt) tamen in Atticam devoluti Herodoto teste *Lib.* 1: τη μεταβολη τῃ εις ελληνας και την γλωσσαν μετεμαθον.


(b) Nulla profecto aetas huiusmodi coloniarum feracior extitit ea, quae Troiae excidium aut praecessit, aut excepit. Maris imperium tunc Phoenices ac Pelasgi obtinebant, tum et Rhodii, Aeginetae cet., quos Casaubonus recenset *Comment. in Polybium*; ac quamdiu singuli pelago imperitarint, ex Eusebii Chronico patefacit. Certe vero Homerus, qui du-

quive poſthac huc adpulerint, id profecto exploratiſſimum habeo, ſequiori aetate, de qua nunc loquor, unam eamdemque in Italia fuiſſe omnibus (ſi varias dialectos ex vario populorum ingenio inductas excipias) ſive ſermonem, ſive ſcribendi formam. Neminem latet, Samnites Sabinorum ſurculos fuiſſe, qui ab illis diviſi Σαβινιται initio dicti, mox Σαβνιται, et Σαυνιται ac Σαμνιτες tandem. Porro ſi de Samnitium lingua quaeras, eam Oſcam fuiſſe cum quovis obſtinatiſſimo contendam. Quid? profecto non arbitrariis verbis hîc certo, ſed Livii teſtimonio omnium luculentiſſimo *Lib. X.*, quo uno res adeo manifeſta erit, ut nullus cuiquam hiſcendi remaneat locus. *In Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos Imp. Romani fines, per Veſcinos in Campaniam, Salernumque agrum traſcendunt, ingenteſque praedas faciunt. Volumnium magnis itineribus in Samnium redeuntem, fama de Samnitium exercitu, populationibuſque Campani agri ad tuendos ſocios convertit . . . Iis ſatis exploratis, profectus, tanto intervallo ab hoſtibus conſedit, ut nec adventus ſuus propinquitate nimia noſci poſſet, et egredientem e caſtris hoſtem opprimeret. Aliquanto ante lucem ad caſtra acceſſit, GNAROSQVE OSCAE LINGVAE EXPLORATVM QVID IN SAMNIO AGERETVR, MITTIT.* Amplius ſi vetera

L 2 Samni-

ducentis ferme annis poſt Ilii excidium (conſignatur enim anno ante Chriſtum natum MCLXXX.) vixit, nonniſi ab Pelaſgis erronibus, ultro citroque per mare Siculum, et per mare inferum commeantibus, ea multa didicit de natura genioque noſtrorum locorum.

Samnitium monumenta, ac nummos potiſſimum, qui belli Italici aetate ſunt cuſi, cum ceterarum Oſcae originis urbium monumentis aliquis conferat, profecto is abunde norit, unam communemque fuiſſe et Samnitibus, et Oſcis ſive litterarum formam, ſive ſermonem. Oſcos vero quum dico, tum Opicos intelligo [(a)], quos poſthac Romani contracta ſyllaba *Opſcos*, ac tandem omni deterſa ferrugine *Oſcos* dixerunt, tum, qui his congeneres fuere, ſive Auſones, ſive Auruncos. Nam Opicos ac Auſones unam gentem eſſe adprime Ariſtoteles docet *de Rep. VIII.* 10. *ᾤκουν δε το μεν προς την Τυρρενιαν Οπικοι ὁ και προτερον, και νυν καλουμενοι την επωνυμιαν Αυσονες.* *Habitabant autem Tyrrheniam regionem Opici, ut dicebantur olim, et nunc vocantur cognomine Auſones.* Quod item et de Auruncis tradit Pompeius Feſtus voc. *Auſonia*. Ac quoad Oſca quidem monumenta pertinet, ne iſta longe requiram, contentus equidem ſum domeſticis exemplis. Huiuſmodi eſt Templum Pompeiis, dum haec ſcribimus, eruderatum in orbicularem formam cum ſedibus circum ex lapide, ad cuius frontem epigraphes, viſitur oſcis litteris ſcalpta, in hunc modum:








Quam noſtris litteris lego: *ni. trebes. tr. med. tuv. aamanaffed*. Scilicet id templum Phetrion puto, *quo tribum*

(a) Opicam linguam, ſive Oſcam, ex variarum linguarum mixtione conflatam tradit Eudoxus Geographus ap. Stephanum Bizantinum voc. *Opici.*

tribum tertiam Mediuſtuticus circumadvocabat. Nec vero tophum Campanum, menſam Herculanenſem, ac marmor Nolanum memoro, quae Oſcarum urbium cimelia nonniſi eamdem litterarum formam exhibent, ac Samnitica, quemadmodum eſt ara, ut cetera mittam, apud Bovianum [(a)]:



Ideſt: *tanas*. *Niumeres frunter*, quam ſic explicarem: *Fannia Numeria curante*. Quod item per id aetatis nullibi non in Oſcarum urbium nummis eſt animadvertere, quibus inſcriptum:  *capv* Capua [(b)];  *akeru* Acerra [(c)];  *Kalati* Calatia [(d)]  *nukrinum-alafaternum* Nuceria Alphaterna [(e)];  *tianud* Teanum [(f)], vel  *tianud ſidicinu* Teanum Sidicinum [(g)], et *taanud* Tea-

(a) Reperta eſt anno MDCCLXXVII.

(b) Edidit clariſſimus Mazochius *Saggi dell'Accademia di Cortona To.* III. Noviſſime vero vir egregius Franciſcus Danielius, quamplurimis anecdotis additis, illuſtravit in quantivis pretii opere: *Numiſmatica Capuana*.

(c) Nummi lectionem primus omnium explicavit Mazochius *loc. cit.* nam Waillantius Serviliae genti, Haverkampius Faleriae antehac tribuit. Vide Eckelium in *Catal. To.* I.

(d) Mazochius ad *Tabb. Heracleenſes p.* 534.

(e) Gorius *Muſ. Etr. Tab.* CXCVII. *fig.* 13. Pembrockius *Part.* II. *Tab.* XXIII. Pellerinius *Recueil de Medailles des peuples Tom.* II. *p.* 56. *Tab.* VIII. Eckelius *Sylloge Tab.* I. *fig.* 3. & *Num. vet. p.* 22. *Tab.* II. *fig.* 10. Huntherius *p.* 217. *Tab.* XL. *fig.* 11.

(f) Eckelius *Num. vet. p.* 21. *Tab.* I. *fig.* 8. Seſtinius *Lettere Tom.* IV. *p.* 87. Huntherius *p.* 317. Dutens *Explic. de quelq. Medaill. p.* 222. *Tab.* II. *fig.* 9.

(g) Huntherius *p.* 317. ſed perperam legit SIKIKIN. Seſtinius *Deſcript. Num. vet. p.* 14.

Teanum [a] ; ꟽVИƆƎT√ƎꟽVꓘ *Kumelternum* Cumae ad liternum [b]. ᑎЯIИИVᑎVꓘЯ *akurunniar* [c] in nummis Acerroniae Vrbis in Campania (uti potius ex ipſo nummi typo arbitror) non vero Acherontiae in Apulia, cuius meminit Horatius Carm. Lib. III. ; tum vero Samnitium populorum, quorum omnium inſtar ſint noſtri Corfinienſes, cum inſcriptione

ᑎVTЯᑎ8ꟽƎ·√ITVꟽ·IПЯЯП·Ɔ

c. paapi . mutil . embratur, C. Papius Mutilus Imperator [d]. Quid, quod nemo unus certe demirabitur, elementum Π prorſus

(*a*) Mazochius primus nummum Teano adſignavit *Saggi dell'Accad. di Cortona Tom.* III.

(*b*) Pellerinius *Rec. Tom.* II. *p.* 48. *Tab.* 8. *fig.* 25. Guarnaccius *Orig. Ital. Tom.* 2. *Tab.* 10. *fig.* 2. Ignarra *de Palaeſtra Neapolit. p.* 253. Eckelius *Catal. Tom.* I. *p.* 17. Neumann. *Num. pop. Tom.* 1. *p.* 5. *Tab.* 1. *fig.* 2.

(*c*) Eckelius in *Sylloge Muſ. Caeſar.* nummum Acherontiae in Apulia adſignavit. Sed Palladis caput, quod in antica nummi parte exhibetur, prorſus Campanam fabricam ſapit; amuſſim ipſiſſimum occurrit in Calium, Sueſſae, ac Teani nummis. Quovis ergo pignore contendam Acerroniam in eo nummo memorari, cuius meminit Antonini Itinerarium:

ACERRONIA
FORO POPILI V.

(*d*) In parem ſcribendi rationem conveniunt nummi Etruriae, Umbriae, ac Piceni. Hinc Populoniae nummis inſcriptum oſcis, ac retrogradis litteris PVPLVNA, vide Mazochium *Saggi dell'Accad. di Corton. Tom. III.* TLA in nummis Telamonis apud Paſſerium ad *Dempſter. p.* 181. FELATHRI in nummis Volaterrae, quam epigraphem fruſtra nonnulli ad Velitras amandarunt; vide Arigonium *Num. Etrur. antiquiss. Tab. VII. fig.* 14. Eckelium *Catal. I. p.* 15. Pembrockium *p.* 3. *Tab. CXVI.* Huntherium *p.* 352. Zeladam *Num. unc. p.* 20. Lanzium *loc. cit.* IKVVINI in nummis Iguvii in Vmbria ap. Dempſter. *Etrur. Reg. Tab. LIX.* & Paſſerium *p.* 179. *Tab. IV. fig.* 1. & 3. ΠIS in nummis Piſaurenſibus apud Oliverium *Fondaz. di Peſaro p.* 25. & Guarnaccium *Orig. Ital. Tom. I. Tab. XV.* TVTERE in nummis Tudertium ap. Paſſerium, Arigonium, Pembrockium, Zeladam, Huntherium, Eckelium, Seſtinium, Gorium, Lanzium HAT in nummis Hadriae in Piceno apud eoſdem.

prorſus ad formam Graecanicam exactum ſive in Oſcis urbibus, uti in voce ƆΠИꓘ i. e. *capv* (Capua) nummi Campani, ac in voce ᗡƎ88VᗡΠ i. e. *pruffer* (proferunt) menſae Herculanenſis [(a)], et in ⅃VꓘИИΠ *paacul* (Paculus) Nolani lapidis in aedibus Seminarii, ſive in Samniticis, ut in epigraphe ƧIIᗡITИIT ƧIꓘИΠ *pacis tintires* (Paccius Dentrius) laminae aeneae apud veterem Bucam in Samnio [(b)]. Quam rem vel eo expreſſe hic animadverſam volo, ne cui fucum fortaſſe faciat nuperus quidam ſcriptor, qui Mazochianam lectionem, ab viro doctiſſimo, ac veteri mihi neceſſitudine iuncto Franciſco Danielio noviſſime firmatam, exturbare attentavit, edicto veluti propoſito, Π in nummis Campanis nonniſi pro N legendum [(c)]. Sed abſque innumeris monumentis foret, quae pleniſſima manu huc exhibere poſſem, vel ſatis ſint nummi Corfinienſes cum voce PAAPI, in qua quae duo elementa Π exhibentur, omnino pro P eſſe legenda, ipſa veterum auctoritas iubet, quibus Samnitium Imperator PAPIVS audit. Sed nolim ultra telam hanc protrahere, in qua me longius iuſto verſatum intelligo. Nunc vero ad ſingulorum numiſmatum illuſtrationem proximius accedam.

PARS II.

(a) Exſtat in Regio Muſ. Neapolit.

(b) Lanzius *Ling. Etr.* p. 611. Conferſis et lapidem Venuſinum Oſcis litteris in voce ATPERRA, quem primus ego edidi, ac illuſtravi, *Iter Venuſinum vetuſt. monumentis illuſtratum* p. 269.

(c) Scilicet confidenter ita Auctor Operis *Civilizaz. de' Selvag. d' Italia* p. 324. *L'Olivieri, e'l Mazzocchi ſi ſono entrambi allucinati. Nell' epigrafi delle monete, e del tufo la terza lettera* Π *non era mica la* P *Etruſca. Il mio avviſo è, che quella lettera Etruſca* Π *foſſe ſtata un* N.

PARS SECVNDA.

Numismata Italica ad hanc usque aetatem detecta, recenſentur, et illuſtrantur.

Tab. I. num. I. (a)

In parte adverſa: Caput muliebre laureatum, cum nota X. — In averſa: Mulier armis inſidens, quae haſtam dextera tenet, coronaturque a Victoria retroſtante, cum inſcriptione litteris latinis ITALIA.

ITALIA) Ideſt Corfinium, quam urbem Italicos coniuratos novo nomine *Italiam* nuncupaſſe, praeter Velleium, et Appianum, diſerte Diodorus Siculus prodidit. Conferas, ſi lubet, quae ſunt a nobis opportuniori loco fuſius occupata *Cap.* II. *Sect.* VI.

Tab.

(a) Parem nummum edidit Pellerinius *Supplem. aux ſix volumes de recueils des medailles Tom.III. Tab. III.* cum littera C in area; qua auctor Corfinium iudicari eſt opinatus. Non renuerim, niſi huiuſmodi variantes alphabeti litteras obvias paſſim in Romanorum nummis videam. Quid quod omnino ipſiſſimum exhibet Cl. Swintonius *Tranſact. Philoſoph. Tom. LIX. p.*440. cum elemento Ǝ inverſo in area. Vide infra in Oſcis. Alterum huiuſmodi vidi in nummofilacio Viri Clariſſimi Nicolai Ignarrae, in cuius antica parte typus idem cum inſcriptione Romanis litteris ITALIA, et pone IΛX.; in poſtica vero mulier haſtata armis inſidens, uti ſupra, ſine inſcriptione.

Tab. I. num. 2. (a)

In parte adverſa : Caput muliebre laureatum, cum epigraphe latina ITALIA. —— In averſa : Vir ſub vexillo genuflexus porcam tenet, quam adſtantes octo milites bacillis contingunt, cum littera C in imo. Alter cum littera M, quem ex thecis ſuis humaniſſime mecum communicavit amicus optimus, ac doctiſſimus Nicolaus Ignarra.

De typo vide quae inferius ex Tullio rimantur.

Tab. I. num. 3.

In adverſa parte : Caput idem. —— In averſa : idem typus cum nota IΛX.

Primus omnium Hannibal ex Abbatibus Oliveriis nummum edidit in *Diſſert. Academ. Corton. Tom. II.* Sed vir profundae eruditionis, atque in re veterum nummaria conſummatiſſimus, elementum I in nummo, fortaſſe aliqua ex parte exeſo, pro P accipiens, epigraphen PAX in eo ſibi videre facile ſuaſit. Lectionem probavit Seſtinius *Deſcript. Num. vet. p.* 11., qui eamdem prorſus monetam cum ΛX nactus, evanuiſſe hinc forte ratus elementum P, haud haeſitabundus ΛX legerat. In eadem ſententia verſatus eſt Eckelius *Doctrin. Num. vet.*, et ut uno dicam verbo, quotquot id numiſma ad hanc uſque diem ediderunt. Attamen iam iamque praelum noſtrae ſchedae erant ſubiturae, quum per doctiſſimum adoleſcentem Franciſcum

M ſcum

(a) Pellerinius in *Muſeo Caeſareo.* Eckelius *Doctr. Num. vet. Tom. I.*

ſcum Avellinium, quem propter ingenuos mores; et acre ſupra aetatem iudicium plurimi facio, renunciatum eſt mihi, ipſum ipſiſſimum nummum in muſeo viri clariſſimi Ioſephi Capycii-latri Tarentinorum Archiepiſcopi proſtare cum nota IIIΔX. Nummum abſque ulla cunctatione Collega egregius pro ſua humanitate, ac pro ea, quae iamdiu inter nos eſt, neceſſitudine obſervandum mihi exhibuit; ex quo vel ipſa meridiana luce clarius poſtremo deprehendi, uti numeralem notam IIIΔX. *octodecim* in Capyciano ſignari, ita in Oliveriano τo IΔX. non epigraphen eſſe PΔX, ſed numeralem item inverſe ductam notam XVI *ſexdecim*, quemadmodum in aliis plerisque integerrimae lectionis paſſim animadverteram. Vnde et Seſtiniano nummo lux etiam adfunditur, in quo τo ΔX, nonniſi numerica nota eſt XV. *quindecim*. Quam rem ſolide confirmant, tum nummus alter omnino ſimilis, quem ipſemet Oliverius in medium adfert *loc. cit.* cum nota IIII. tum complures alii, quos contrectare paſſim datum eſt mihi in noſtratium nummofilaciis cum pari typo, notiſque variantibus II. III. IIX.

Tab. II. num. 1. (a)

Ex una parte: Caput muliebre galeatum, cum inſcriptione ᗡVTИᗡ8M∃·VITVM

In

(a) Nummum ex argento primus omnium edidit Hannibal ex Abbatibus Oliveriis *Diſſ. Corton. tom. II.*, atque ex argento item paſſim vidi in noſtratium muſeis. Tamen ante hos paucos dies ſimilem ex auro, eumque ſinceriſſimum contrectavi in muſeo Sacerdotis optimi atque amiciſſimi Carmini Calderii, domo Cardeto prope Fractam. Atque dum ſecundae curae typis erant ſubiectae, alterum ex auro mihi commonſtravit Ioſephus Capycius latro Tarentinorum Archiepiſcopus.

In altera: Adolefcens genuflexus porcam tenet, quam hinc inde duo milites haftati bacillis contingunt, cum infcriptione ·ΙΠΝΝΠ·>

Foedus Italicae gentis contra Romanos confpirantis eo typo defignatur. Ritum adprime Tullius illuftrat Lib. II. de Invent. Cap. XXX. *In eo foedere quod factum eft quondam cum Samnitibus, quidam ADOLESCENS NOBILIS PORCAM SVSTINVIT iuffu Imperatoris*. Atque ex eo pronum cuivis eft intelligere, cur typum eumdem iterum iterumque, vel aucto adftantium numero, vel infcriptione variata recuderint Italici, uti mox videre eft. Huc porro facit Varro Lib. II. de Re Ruft. Cap. IV. *Foedus cum feritur, porcus occiditur*. Quod fane non de mare tantum accipias velim; nam pro porca ftat Virgilius *Aeneid. Lib.* VIII.

. . . . *Caefa iungebant foedera porca*;

tum Feftus: *Porci effigies inter militaria figna quinctum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, caefa porca, foedus firmari folebat*. Quibus ego Suetonium addam in Claud. Cap. XXV. *Cum regibus foedus in foro icit, porca caefa, ac veteri fecialium praefatione adhibita*. Ofcam autem infcriptionem noftris litteris expreffam in hunc modum integram habes:

C . PAAPI . MVTIL . EMBRATVR

C. PAAPI. i. e. *C. Papius*) Samnitium imperatorem five ducem C. Papium Mutilum nummi epigraphes exhibet. Nullus hinc ambigendi locus patet, quin fuerit focialis belli aetate cufus. Sed quorfum, inquies gemi-

natum AA in Paapi nomine? Sane compertissimum id quod monuit Quinctilianus *Lib.* I. *Cap.* VII. veteres, ad Accium [a] usque, et ultra, porrectas syllabas geminis scripsisse vocalibus. Auctor enim est in libello *de Orthographia* Velius Longus, Accium vocales geminasse, ubicumque producerentur, veluti *amaabam*, *effaari*, *maalus*, *moorus*. Id quod et a Prisciano traditum: *longas autem vocales vetustissimi geminare solebant*. Cuius moris vestigia haud raro in priscis lapidibus offendimus, quos illam sapere aetatem iure dixeris, tum et in nummis. Sic inter denarios gentis Corneliae VAALA, VAARVS, quemadmodum et EE geminatum pro E longo in nummo Syllae, ubi FEELIX, et geminum II in nummo Galbae, ubi VIIRTVS. Quod maxime vero in Etruscis monumentis passim animadvertimus, uti TAANVD in nummo Teanensi; AAMANAFFED in epystilio templi Herculanensis, et LAAPALIAL pro *Lappalia* in operculo tophaceo apud Guarnaccium. Eodem modo in insigni lapide Pollano in Lucania, quem infra integrum dabimus: PRIMVS . FECEI . VT . DE . AGRO . POBLICO . ARATORIBVS . CEDERENT . PAASTORES . Et apud Gruter. p. CLXXI. 8. L . BETILIENVS . L . F . VAARVS . HAEC QVAE . INFERA . SCRIPTA . SONT . DE . SENATVS . SENTENTIA . COIRAVIT . Et apud Fabrettum Cap. V. n. 388. HAEC . QVAE . ME . FAATO . PRAECESSIT . EHEV . REE EVIT . cet.

MVTIL. i. e. *Mutilus*) Osca nempe scribendi consue-

(a) Natus est Accius an. DLXXXIV. A. Hostilio Mancino, et A. Atilio Serrano Coss. Vide Vossium *De Historic. Latin. Lib. I. Cap. VII.*

ſuetudine, quemadmodum PAKVL pro *Paculus* in lapide Oſco apud Lanzium *Ling. Etr. tom.* III. KATEL pro *Catulus* in tabulis Eugubinis, et LAVKIL, i. e. L. *Aquilius* in Menſa Regii Muſei Herculanenſis. Nimirum hic ille eſt C. Papius Mutilus Samnitium dux, de quo Appianus Lib. I. Εμφιλ. *p.* 375. *et ſeqq.* Γαιος Παπιος Μουτιλος ο των Σαμνητων στρατηγος. Sic item et Plutarcho dicitur *de fort. Rom. cap.* XV., tametſi in editis antehac Plutarchi exemplaribus Μουλιος, uti ſcite advertit Freinshemius, amanuenſium culpa legeretur. Ex adverſo autem apud Diodorum *Lib.* XXXVII. Γαιος Μοτυλος inſcribitur; ſed librariorum ſupinitate corruptum Diodori locum non eſt cur moneam; ſatis enim ex nummi veriloquio, vera nominis lectio firmatur (a). Ducem commendat Diodorus idem *loc. cit.* και αυτος δοξη, και πραξεσι του εθνους προεχων, *et ipſe gloria, rebusque geſtis popularibus ſuis antecellens.*

EMBRATVR i. e. *Imperator*). Iam ſupra monui, Samnitium duces continuo Imperatores adpellatos. Modo id expediam, latinos a Samnitico *Embratur* imperatoris vocem accepiſſe. Ac primo ſcitum id, veteres *endo* pro *in* uſurpaſſe, cuiuſmodi eſt illud Ennii de Scipione:

Si fas endo plagas coeleſtum ſcandere quemquam eſt
Mì ſoli coeli maxima porta patet.

Vnde

(a) Accedunt Fragmenta Capitolina apud Gruter. p. CCXCV., in quibus A. V. C. DCCLXII. (centeſimo nimirum P. M. anno a bello ſociali) poſt Conſules ordinarios hi ſignantur ſuffecti: EX K. IVL. M. PAPIVS M. F. M. N. MVTILVS. Q. POPPAEVS Q. F. M. N. SECVNDVS; qui ſcilicet Legis Papiae Poppaeae auctores fuerunt, teſte Dione *Lib.* LVI. *Inde Lex Papia Poppaea a M. Papio Mutilo, & Q. Poppaeo ſecundo lata eſt.*

Vnde *endogredi* pro ingredi, et *endopeditus* pro impeditus apud Lucretium, et *Endoperator* pro Imperator *Lib.* 1.

Omnis cura viris uter esset Endoperator.

Facit huc vetus inscriptio inedita, quam ante hos dies in fundo quodam Campano vidi, penes Hectorem Martonium Pignatariensem:

LVCILIAE M. F.
ROMVLA PATRONAE
ENTOROGATA . IN . SOLO . HER

Mox vero ab *endo* factum *en*, et *em*.

Succedit B in voce *Embratur*, cuius loco P latini posthac posuerunt. Nam hasce litteras maxime permutabiles inter se fuisse, vel ex Prisciano intelligere est: *B et P cognatae litterae, et pro se invicem positae.* Cui Quinctiliani auctoritas suffragatur *Lib.* I. *Cap.* IV. veteres *Byrrhum* pro *Pyrrho* scripsisse. Quid quod praeclara accedunt in antiquis inscriptionibus testimonia; quemadmodum in Cenotaphiis Pisanis *OBservari*, et *OPservari*: et in fragmento legis Thoriae *Publicus*, et *Poplicus*. Cur vero litterae B politior latinitatis aetas P substituerit, eam adsignat Quinctilianus rationem, quod B veteres sono litterae P pronunciabant: *ut cum dico*, inquit, *OBTINVIT*, *secundam enim B litteram ratio poscit*, *aures magis audiunt P*. Hinc Augustum Suetonius memoriae prodidit, quum eo quo efferebatur modo scribendum putaret, P pro B scripsisse, quoties eo sono efferretur. Atque ex eo fit, ut non raro *Apsens*, *Opsides*, aliaeque huiusmodi voces in monumentis Au-
gusteae

gusteae aetatis occurrant, nedum aevo etiam Antonineo, uti ex ipso Antonini Pii nummo patet, cui inscriptum: FORTVNA OPSEQVENS.

Nec vero quemquam moveat, quod E desit in voce *Embratur*. Satis enim compertum apud omnes reor, Oscas voces, hebraicae instar linguae, non raro vocalibus caruisse. Cuiusmodi est APLV pro APuLV *Apollo* in patera Etrusca apud Winckelmann. *Mon. incd. tab.* 133. MENFRA pro MENeFRA *Minerva* in patera Musei Kirckeriani *pag.* 39. ACHLE pro ACHiLIEs in inscriptione etrusca apud Lanzium *Ling. etr. tom.* III. LEBRO pro LEBeRO idest *libero* in ara Pisaurensi (a). Quam sane asperitatem abhorruisse Romanos, auctor est Tullius Lib. III. de Orat. *Quare quum sit quaedam certa vox Romani generis, urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum, hanc sequamur, neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus*.

Demum restat ut de V Samniticae vocis, quod in O evasit apud latinos in voce Imperator, nonnulla attingam. Veteres autem indiscriminatim litteris O, et V usos, Quinctilianus testatur Lib: I. Cap. IV. *Quid O, atque V permutate invicem?* Accedit quod littera V saepissime Etruscis usitata, O vero vel numquam, vel rarissime. Hinc Priscianus Lib. I. *O aliquot Italiae Civitates teste Plinio non habebant, sed loco eius ponebant V, et maxime Vmbri, et Thusci*. Et re quidem

vera

(a) Vide Lanzium *Ling. Etr.* Porro frequens id in veteri ortographia, ut vocalis omitteretur, *quam syllaba nomine suo exprimebat*, ut inquit Victorinus p. 2479. unde *Bue*, *Cra*, *Krus*; pro *bene*, *cera*, *carus*.

vera ΠVΠΛVΝΛ pro *Populonia* ſcriptum in nummis Populoniae; KASTVR pro *Caſtor* in patera etruſcis characteribus apud Dempſterum, HVRTENTIVS pro *Hortenſius* in lamina aerea Amerina apud Lanzium. Et apud Gruter. p. XXXIV. 5. DEO . SOLI . INVICTO . MITHRAE . FL . SEPTIMIVS . ZOSIMVS . V . P . SACERDVS . DEI . BRONTONIS . Et p. DXLVIII. 3. NATIONE PANNVNIVS; et p. DCCCXL. I. VNV LOCV.

Tab. II. num. 2. (a)

Ex una facie: Caput muliebre galeatum, cum inſcriptione litteris Oſcis, et retrogradis: V|√ƎT|Ɔ, et pone X. — Ex altera vero: Vir ſub vexillo genuflexus porcam tenet, quam duo hinc, duo illinc ſtantes milites bacillo contingunt, cum epigraphe Oſca >·IΠΝΝΠ·>

De nativa Oſcae vocis notione in adverſa nummi facie, videſis quae inferne nobis rimantur ad *Tab. II. num.* 4.

Tab. II. num. 3. (b)

In antica parte: Caput muliebre galeatum, cum inſcriptione √ITVM·>

In parte averſa: Miles ſtans iuxta taurum procumben-

(a) Swintonius *Tranſact. Philoſ. tom.* LII. *p.* 28., epigraphemque legit FITEEIV.

(b) Edidit Oliverius *Diſſert. Corton. tom. II. p.* 66., habetque in area elementum N. Alterum huiuſmodi vulgavit Pellerinius in Muſeo Caeſareo, cum littera g inverſa in area.

bentem, dextera hastam tenens, sinistra parazonium, cum inscriptione: ꟽIИI8ꓤƧ

Clarissimus Oliverius exhiberi ea figura putavit (a) C. Papium Mutilum, et tauro iacente Romanos prostratos. Mox, quum adcuratius animadvertisset, taurum catena illigatum ab figura stante conculcari, coloniam Romanorum eo typo a Samnitibus subiugatam designari sibi suasit (b). Sed fortasse qui in acutissimi viri manus inciderat, haud ita integer erat nummus, cuiusmodi quammultos vidi egomet optime servatos, in quibus militis figura non taurum calcat, sed globum; nec quae ex parazonio pendet catena est, sed lorum.

Quamobrem, si quid est, quod tuto hac de re statui posse videatur, Martem potius ea figura repraesentatum crederem ego, manifesto etiam divinitatis argumento, quod seminudus exhibetur; tauro autem procumbente, ipsum Sabinorum ducem ad sacrificium paratum. Ne plura: amussim typus opportunissimo Strabonis loco illustratur Lib. v. pag. 250. *Αφοριας δε γενηθεισης, ειπε τις, ως εχρην καθιερωσαι ϗ τα τεκνα. οι δ' εποιησαν τουτο, ϗ τους γενομενους τοτε παιδας Αρεως επευφημισαν. ανδρωθεντας δ' εστειλαν εις αποικιαν. ηγησατο δε ταυρος. εν δε τη των Οπικων κατευνασθεντες, ετυγχανον δε κωμηδον ζωντες, εκβαλοντες εκεινους ιδρυθησαν αυτοθι, ϗ τον ταυρον εσφαγιασαν τω Αρει τω δοντι αυτον ηγεμονα κατα την των μαντεων αποφασιν. εικος δε δια τουτο ϗ Σαβελλους αυτους υποκοριστικως απο των γονεων προσαγορευθηναι. Σαυνιτας δ' απ' αλλης αιτιας, ους οι Ελληνες Σαμνιτας λεγουσι.* *Insecuta autem sterilitate, monuisse*

N

(a) *Dissert. Corton. tom. II. pag. 66.* (b) *Ibid. tom. IV. p. 141.*

ſe quemdam, *prolem quoque diis dicandam* : *obtemperaſſe Sabinos*, *eoque anno editos filios Marti nuncupaſſe*. *Quumque ii virilem aetatem attigiſſent*, *DVCE TAVRO AD COLONIAM alicubi CONDENDAM EMISISSE*: *TAVRVM in Opicorum regione procubuiſſe* : *miſſos*, *his expulſis*, *ea loca inſediſſe*, *TAVRVMQVE MARTI*, *QVI EVM IPSIS DVCTOREM DEDISSET*, *EX ORACVLO SACRIFICASSE*. *Probabile porro eſt eos diminutive Sabellos a maioribus ſuis nominatos*. Nunc vero luculento adeo, ac eximio quantum in rem noſtram, veteris Geographi loco recitato, non eſt cur nummi typo declarando adhuc minimum immorer; in aprico ſunt omnia namque. Vides in eo Martem, cui Samnites e Sabinis prognati ſolemniter conſecrati fuerant; vides taurum coloniae deductae ducem, vides procumbentem, ac mox Deo ſacrificandum.

SAPHINIM i. e. *Sabinorum*) Vir ſummus Hannibal Oliverius, cuius auctoritati plurimum tribuo, ex graeco *σαφέω manifeſto*, vel *σαττω conculco* vocem hanc repetendam cenſuit (a); ſed uti initio monui, offuciae viro doctiſſimo ex male affecto nummo ſunt creatae. Mox Samnitium urbem aliquam expreſſam ea voce ſubdubitavit, ac fortaſſe Sepinum (b); demum in clariſſimi Paſſerii coniecturam inclinatior viſus eſt, qui ex eo verbo magiſtratum elicere maluit, tamquam ex hebraico שפטים *Iudices*, unde Punicorum magiſtratus *ſuffetes* dicti. Swintonius contra, ut levi brachio ex ambagibus iſtis ſe extricaret, Saſinium neſcio quem ibi legit, alterumque nobis Samnitium ducem trudit. At quid, rogo, ſimile?

Sed

(a) *Diſſert. Corton. Tom. II. p. 67.* (b) *Ibid. Tom. IV. p. 145.*

Sed certe SAPHINIM, vel SAFINIM ibi, tantumdem plane eſt ac SABINI, F in B mutato, atque ob Hebraicam pluralem deſinentiam SABINIM; quemadmodum TREBINTIM litteris oſcis in nummis *Treventiorum* apud Hunterium [(a)]; FELTINEISSIM *Voltinienſium* in Samnio apud Lanſium [(b)]; KANVTIESSIM *Canuſinorum* in lamella aerea apud eumdem [(c)]; et BIINVSIESSIm ideſt *Venuſinorum* in vetuſtiſſimo lapide, quem plus ſatis alibi illuſtravimus [(d)].

Samnites enim; Graecis Σαυνιται, Strabone teſte Sabini origine fuerunt. Favetque de Pelignis Ovidius *Faſt.* III. *v.* 94.

Et tibi cum Proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit:

Itaque SABINIM voce omnes totius regionis populi complectuntur, ſiquidem *Veſtini*, *Marſi*, *Peligni*, *Marrucini*, *Frentani Samnitica gens* Straboni dicuntur *Lib.* v. (ex quorum nomine factum et bello ipſi *Samniticum* nomen). Quod ſane paſſim occurrit in nummis aliis, uti BPETTIΩN in nummis Bruttiorum [(e)], ΛΟΥΚΑΝΟΜ in nummis Lucanorum [(f)], IƎ◁TИƎO8 FRENTREI in nummis Frentanis [(g)], et quod magis eſt ΣΙΚΕΛΙΩΤΑΝ in num-

(a) Hunterius *Numiſm. Ignot. Tab.* 87.
(b) Lanzius *Ling. Etruſc. Tom.* III.
(c) Idem *loc. cit.*
(d) Vide noſtrum *Iter Venuſinum vetuſt. monum. illuſtrat.* ad *Marm. Venuſ. Claſ.* 1. *num.* 1.
(e) Magoan. *Bruttia Numiſmatic.* Ridendum porro, quod Bayardus *Cat. Hercul. p.* 398. in ſimili nummo in Herculanei effoſſionibus reperto ΚΡΕΤΤΙΚΩΝ legerit, Cretenſium communionem neſcio quam, cum Herculanenſibus ſomnians. Legas itaque ΒΡΕΤΤΙΩΝ.
(f) Magoan. *Lucan. Numiſm. Tab. IV.* Pellerinius *Muſ. Caeſar.*
(g) Nummus corrupta adhuc epigraphe editus, modo Pentris tributus, modo inter Campaniae incertos relatus; vid. Kell. *Appendic. II. ad Geſner. p.* 165. *Tab. IV.* Eckelius tamen primus ad Frentanos pertinere putavit, mox vero Seſtinius *Lett. Numiſm. Tom. V. p.* 33.

mis Siciliae, quo communi nomine universae insulae populi continentur (a).

Tab. II. num. 4. (b)

In parte adversa: Caput muliebre laureatum cum inauri, et monili; cum inscriptione VI√ƎTIↃ.

In aversa: Miles stans iuxta taurum procumbentem; dextera hastam, sinistra parazonium tenens cum littera singulari ex hisce variantibus ꓶ.g.>.ꓭ.I.M.И.+.Я.I.

VITELIA i.e. *Italia*. Mirum sane quantum in huiusce vocis interpretatione numismatographi discrepant, ut totidem recenseantur sententiae quot capita. Vir summus Hannibal Oliverius, primori epigraphes littera, in nummo aliquantulum fortasse detrito, pro P accepta, P. ITEEIV legerat, ratus hinc P. Insteium Catonem, Marsorum in Italico bello ducem, ibi memorari. Ex adverso Eckelius haud aliam, quam VITELIV vocem inibi videns, Vitelium ducem inducit, cuius neque latini, neque graeci meminere scriptores. Swintonius vero VITEEIVD prae oculis suis habens, Veturium ducem, nescio quem, proclamare satius duxit. Minervinius demum VVTELIA, i. e. *Vutelia*, sive *Butelia* maluit, ac peregrinis propositis assamentis, nummum ad Bovianum pertinere contendit.

Mihi vero, ut quod sentio, ingenue dicam, ea perpetuo insedit opinio, uti unum ipsissimumque caput, ita

(a) Pellerin. *Additions p.* 148.

(b) Oliverius *Saggi dell'Accadem. di Corton. Tom.* II. Eckelius *Doctrina Num. Vet. Tom.* I. *p.* 103. Swintonius *Transact. Philosoph. Tom.* LI. *p.* 853. Minervinius *Del monte Vulture Tab.* 4. Pellerinius *Supplem.* II. *Tab.* I. *in Mus. Caesar.*

ita unam eamdemque esse inscriptionem, sive monetae, quae belli initio est cusa Romanis litteris ITALIA; sive quae Osco charactere VITELIA ingravescente bello est recusa. Quamobrem per me licet, Osca epigraphes, ut uti litterae in integerrimis nummis patent, HITELIA, vel VITELIA est omnino legenda. Aut enim Oscum elementum pro mera adspiratione H accipias, uti haud infrequenter in Tuscanicae antiquitatis monumentis habes, quae plena manu Passerius, ac Lanzius produxerunt; sic ut pura puta sit hebraica littera ח *het*; tunc enimvero spiritu amoto ex HITELIA factum ITALIA (a); aut ex proprietate sua pro V consono positam mavis, uti passim in Oscis sive nummis sive lapidibus occurrit, veluti ab hebraico ו *vau* derivatam; atqui ea item primori consona, quae digammatis loco est, ex more abiecta, tanti item VITELIA erit ac ITALIA. Varro enim Lib. II. de Re Rust. Cap. I. *Italia*, inquit, *a VITVLIS nominatur*, *ut scribit Piso*. Et Cap. V. *Graecia antiqua tauros vocabat* ΙΤΑΛΟΥΣ, *a quorum multitudine*, *et pulchritudine*, *et foetu vitulorum Italiam dixerunt*. Quam in originem, ex Timaeo edocti, consensere tum Columella Lib. V. *Italia*, inquiens, *ab hoc nuncupationem traxisse creditur*, *quod olim Graeci tauros* ΙΤΑΛΟΥΣ *vocarent*; tum Gellius Noct. Attic. Lib. XI. Cap. I. *Timaeus in historiis*, *quas oratione graeca de rebus Populi Romani composuit*, *et M.Varro in antiquitatibus rerum humanarum*, *terram Italiam de graeco vocabulo appellatam scripserunt*, *quoniam boves graeca veteri lingua* ΙΤΑΛΟΙ *appellati sunt*. Atque ex eo mihi probe

(a) Pari modo ab Hirco Irceum, et ab Helesa Olera dixere Latini.

probe datur intelligere, cur antiquissimi Italiae sive Tyrrheniae nummi taurum sive integrum, sive dimidiatum frequentissime repraesentent [a]. Nam Apollodorus Lib. II. *Ἰταλον γαρ Τυρρηνοι τον Ταυρον καλουσιν*, *Italum enim Tyrrheni vocant taurum*. Cui Tzetzes adpositis prope verbis adstipulatur in *Chiliad.*

Οι Τυρρηνοι γαρ Ιταλον καλουσι τως τον ταυρον

Tyrrheni quippe Italum adpellant taurum.

Nimirum Tyrrheni primum, huc ab Oriente profecti, VITALIAM universum hunc Tyrrheniae tractum ab buceri pecoris copia (vel ut verius arbitror, quod ea pars Italiae, quae prima omnium peculiariter ITALIA est dicta, dimidiati tauri imaginem exhiberet, quippe binis instructa cornibus, altero ad extremos Salentinos, altero ad Brutios usque) dixerunt, per quos inde vox ad Graecos manavit, quibus item ΟΥΙΤΑΛΙΑ (quemadmodum exertissime Dionysio Halicarnasseo dicitur *Lib.* I. *Cap.* XXV.) et ΙΤΑΛΙΑ audiit.

Tab. II. num. 5. [b]

Pars antica, eadem ac in praecedenti. In postico typus idem, cum inscriptione ᗡWHHƎV✓.IИ Quam absque

(a) Ita nempe nummi passim obvii apud nostrates, cum inscript. ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ Neapolitanorum, ΝΩΛΑΙΩΝ Nolanorum; KYMELTERNVM Cumae ad (fluvium) literrnum; KAMPANO Campanorum; TIANVD Teanensium; CALENO Calenorum; SVESSANO Suessanorum; PAISTANO Paestanorum; ΑΡΠΑΝΩΝ Arpanorum; LADINOD Larinorum; ΑΙΣΕRΝΙΝ Aeserninorum; ΥΔΙΝΑ Yrianorum, ΛΑΙΝΩΝ Lainorum; MYRΓANTIA Murgantiae.

(b) Swintonius gentem Luponiam in eo vidit *Transact. Philos. Tom.* LVIII. *p.* 253. Sed in se receptus, veriloquio lectionis subscripsit.

abſque haeſitatione legerim: *Numerius LVVius EMRatur*; qui vel hac vindice moneta, Italici belli Imperatoribus eſt adcenſendus; tametſi nihil de eo Appianus, et Diodorus.

Tab. II. n. 6. (a)

In parte antica: Caput muliebre hedera coronatum cum epigraphe ՈVTNԴBMƎ·√ITVM
In poſtica: Taurus furens, cornu fodicans crocodilum, cum inſcriptione ·IՈNNՈ·>

Certa allegoria (inquit Eckelius *Doctr. Num. veter.* p. 103.) *eius temporis cauſſas involvens; et poſſunt typo tauri intelligi Samnites, ſuperbi victores ſive Romanorum, ſive alterius urbis, quaecumque ſubacto altero animali notari queat.* Certe vero ſpiſſa hic caligo circumſtetit eruditos viros. Ac inutile equidem puto vanis coniectationibus, quae imbecillimo fulcro nituntur; vel paullulum immorari.

Tab. II. num. 7. (b)

In adverſa: Caput muliebre galeatum, alatum cum inſcriptione √ITVM·> — In averſa: Dioſcuri in diverſum equitantes cum epigraphe >·IՈNNՈ·>

Vtra-

(a) Pembrockius *Part.* II. *Tab.* 87. Dutens *Explicat. de quelq. Medail.* p. 222. Swintonius *Tranſact. Philoſ. Tom.* LI. *p.* 863. Id animal dubiae formae viſum pleriſque; ſed integerrimum huiuſmodi nummum, qui manifeſte crocodilum repraeſentat, vidi nuper in thecis Franciſci Carellii.

(b) Edidit Hannibal Oliverius *Sag. dell' Accademia Etr. di Corton. Tom.* II.

Vtraque nummi facies integre integra cum nummo gentis Serviliae convenit. Nisi quod illi in adversa parte inscriptum ROMA ; huic vero MVTIL. Ibi in aversa legitur C. SERVEILI . M . F., hic autem C. PAAPI. *c. f.*

Tab. II. num. 8. (a)

In adversa: Caput idem cum nota X. — In aversa: Dioscuri in eamdem partem equitantes, cum inscriptione VIVƎTIƆ

SE-

(a) Nummus adhuc ineditus, quem mihi observandum humanissime praebuit Cl. Nicolaus Ignarra.

SECTIO VII.

Corfinium qua aetate Municipium Romanum evaserit. Novi cives in octo novas tribus primum coniecti, et quo consilio. Quando in veteres XXXV. tribus relati. An suffragium una cum civitate ab initio sint consequuti. Mutilus lapis Municipii Corfiniensis producitur, et illustratur. Municipiorum, coloniarumque post legem Iuliam confusa vocabula. Varia municipiorum genera enucleantur. Quo sensu in antiquis inscriptionibus urbs eadem municipium, et colonia dicatur.

QUO potissimum tempore communicata cum Italicis populis Romana Civitas fuerit, pluribus supra sumus persequuti. Municipium hinc Italico confecto bello evasisse Corfinium, monitore non indiget; namque haud alia funestissimae vertiginis caussa ab initio ad finem intercesserat. Porro quandoquidem non unimodum municipiorum erat genus, nam vel cum suffragii iure, adscriptionis in tribum, magistratus Romae capiundi, admissisque Romanis institutis, legibusque illis, in quas municipii populus fundus est factus (a); vel sine eo iure dari Ro-

 mana

(a) Quaenam *populi fundi* vera fuerit notio, acerrimo inter praeclarissimos Viros dimicatum est bello. Sigonius primus omnium signum erexit, quippe *De Antiq. iur. Ital. Lib. I. cap. III. pag.* 162. ex Plauti trinummo *Act. V. Se. I.*, et Festo, eos dici fundos existimavit, *qui ipsi auctores essent, ut iuri civili Romano se obstringerent*; quo sensu locutionem illam Balbi accusator usurparat, Tullio totis viribus adversante *Orat. pro Corn. Balb.* Nam summus Orator τὸ fundos populos fieri in eam sententiam acceptum contendebat: *ut quum iussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi, ac Latini; et si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tamquam in fundo resedisset; ut tum lege eadem is populus teneretur.* Atque de Tullio autem parum verecunde sensit Sigonius, quasi ut caussae serviret, populi fundi notionem interverterit. Sigonium, Manutius, Antonius Augustinus, et Hotomannus sequuti sunt. Verum Tul-

mana Civitas solebat: operae nunc pretium erit investigare, utrum cum suffragio, nec ne, Corfiniensibus tributa civitas fuerit.

Atque de suffragio quidem, nihil Liviani Epitomatoris testimonio luculentius *Lib.* LXXXIV. *Novis Civibus Senatusconsulto Suffragium datum est*. Nisi quod magna hinc oritur difficultas, quî factum, ut civitate cum sociis omnibus anno DCLXV., aut summum sequenti, communicata, tamdiu dilatum iisdem fuerit suffragium, ut nonnisi anno DCLXX. ex eo Senatusconsulto acceperint. Quid nimirum? Suffragio-ne tot annis caruisse novos cives arbitreris? Apage! nec in eo dissolvendo nodo magnopere erit laborandum, si quidem in quas tribus novos hosce cives initio coniectos intelligamus; unum enim ex altero pendet. Atqui Appianus quidem, non in veteribus quinque et triginta tribubus relatos fuisse *νεοπολιτας novos cives*, auctor est, sed in novis tribubus aliis, ne antiquis civibus suffragiorum numero in magistratuum creatione

Tullii caussam egit Turnebus IV. *Adverf.* 12. Quum vero consopita iam controversia omnis videretur, en iterum in arenam Nicolaus Rigaltius, Ismael Bullialdus, Henricus Valesius triumviri doctissimi (Coofer. *Thesaur. Antiq. Rom. Graevii tom. II.*) quorum tamen concertationibus tantum abfuit, ut lux ei notioni adcesserit, quin densior offusa sit caligo. Nec enimvero turbis finis fuisset, nisi postremo vetus lamina Heracleensis emersisset, ex qua palam factum est, municipia intra Italiam post legem Iuliam integrum Romanarum legum adoptasse pandecten; nec aliunde MVNICIPIA FVNDANA, tum et POPVLOS FVNDOS aut FVNDANOS dictos, quam ex eo, quod ea conditione in civitatem venerint, ut in universum legum pandecten fundi fierent, idest universas leges Romanas municipales adscivissent. Vid. Mazochium in *Digest. Leg. Munic. Heracliens. Cap.* XII. Nisi quod cui legum latio in Municipiis permissa, eidem intra aooum ad eas leges addere, mutare, corrigere licebat. Quibus ita refictis, tamquam si ab initio ita scriptae fuerint, Municipes fundani tenebantur. Vide *ibid. loc. cit.*

tione praestarent. Integrum Appiani locum hanc in rem latino ore adferre non gravabor *Lib.* I. Εμφυλ. *p.* 379. *Porro Romani novos hos cives non in quinque & triginta tribus, qui tunc tribuum erat numerus, distribuerunt (ne, quia antiquos cives numero superabant, eisdem in magistratuum creatione potentiores essent): verum eos in decurias redactos in novis aliis tribubus descripserunt, in quibus scilicet hi novi cives suffragia ferrent novissimi, ac saepe supervacui fierent; quippe quum veteres illae XXXV. tribus, ut quae priores citabantur, facile* (tabellarum) *dimidium superabant. Quod consilium sive tunc non animadversum a sociis fuit, sive tunc modico contenti non ultra tendendum putabant: quod postea deprehensum, novarum seditionum materiam subministravit.*

Haec Appianus. Sed novas has tribus, in quas novi ex lege Iulia cives adscripti dicuntur, octo non amplius fuisse, Appiano diligentior Velleius memoriae prodidit *Lib.* II. *Cap.* XX. *Itaque quum ita civitas Italiae data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives (ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii) Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est.* Ergo licet haud exertis verbis, cumulatissime tamen, arbitror, ex Appiano, ac Paterculo caussa patet, cur Floro suffragium accepisse demum novi cives dicantur anno DCLXX. Nimirum quum ante hunc annum in octo novis tribubus seorsum relati, novissimi omnium citarentur, nonnisi frustraneum, ac inu-

tile prorſus id ſuffragii erat, quod acceperant. Ubi vero Senatuſconſulto poſtremum in veteres XXXV. tribus fuerint coniecti [a], tunc certe aequato cum antiquis civibus iure, ſuffragium vere demum datum illis videtur. Quibus iam probe animadverſis, quiſquis intelliget, Italicos populos, ac Corſinienſes in primis, in plenam civitatem cum iure ſuffragii, magiſtratuumque in Vrbe capeſſendorum, receptos, priſtina αυτονομια abſtinuiſſe, inque Romana inſtituta, legeſque penitus transfugiſſe, in quas FVNDI ſunt facti.

Haec ſcripſeram, quum, prope iam dicendi finem facturus, incidi forte in vetus Corfinienſe ſaxum, peſſime temporum injuria adfectum, quo Municipii Corfinienſis mentio ingeritur [b].

NI-

(a) Sane in idem conſilium ante id Senatuſconſultum, ſed irrito certe ſucceſſu, conſpiraverant iam, tum Cinna Conſul, cuius expreſſe meminit Velleius *loc. ſup. cit.* tum Sulpicius. Ac multus quidem Appianus eſt in eo Sulpicii conſilio enarrando: *Marius* (inquit ibidem *p.* 383.) *imperandi cupidus multis pollicitationibus induxit P. Sulpicium trib. pl. ut ſibi adeſſet: fecitque ſpem novellis civibus fore, ut iure ſuffragiorum aequarentur veteribus, et per tribus diſtribuerentur, diſſimulans interim, ſuûm ſe negotium agere, et eo captare eorum benevolentiam. Nec mora Sulpicius legem ſuper hac re promulgat: quae ſi perlata fuiſſet, futurum erat, ut omnia Marii Sulpiciique arbitratu gerenda eſſent* (perperam Appiani ῳ νομῳ κυρωθεντος vertit Gelenius *qua lege perlata*, non enim hoc ſonat graecum, ſed *qua lege, ſi quidem perlata fuiſſet*, quod et ab eodem Appiano adparet, qui legem revera perlatam non fuiſſe teſtatur): *in tantum numerum praepollebat recentium civium acceſſio. Hoc animadverſo, veteres cives totis viribus reſiſtebant. Tandem ad manus, & ad ſaxa contentio devenit.*

(b) Produxit etiam Muratorius *Theſ. Inſcr. p.* DCCLXV. 2.

NIGRI . ANNOS . XXVIII. VNI
NVPTA . VIRO . SVMMA . CVM
CONCORDIA . AD . VLTIMVM
DIEM . PERVENIT . TRES . EX . EO
SVPERSTITES . RELIQVID . LIBEROS
VNVM . MAXIMIS . MVNICIPI . HONORIB
IVDICIIS . AVGVST . CAESARIS . VSVM
ALTERVM . CASTRESIBVS . EIVSDEM
CAESARIS . AVGVST . SVMMIS . FVN

MAXIMIS MVNICIPI HONORIBVS) Summi municipiorum honores, ac magiſtratus praecipui, Duumviratus, aut Quatuorviratus erat, tum et Aedilicia Poteſtas, de quibus loco ſuo infra ſermo redibit. Nunc de MVNICIPII voce dicendum. Sane poſt legem Iuliam, municipiorum, coloniarumque confuſa prorſus fuiſſe vocabula, Gellius auctor eſt *Noct. Attic. Lib. XIII.* 13. *: Municipes, & municipia verba ſunt dictu facilia, & uſu obvia, & neutiquam reperias, qui haec dicat, qui ſcire ſe plane putet, quid dicat. Quotus enim fere noſtrum eſt, qui cum ex colonia populi Romani ſit, non & ſe municipem eſſe, & populares ſuos municipes eſſe dicat?* Ex quo factum, ut eaedem urbes modo coloniae, modo municipia, tum apud antiquos ſcriptores, tum et in vetuſtis litteratis lapidibus paſsim dicantur. Quam rem vel ideo fuſius heic enodandam ſuſcipio, ut crux viris ceteroqui doctiſsimis reſigatur, qui

qui in veram vel coloniarum, vel municipiorum notionem[a] intendentes, inextricabili ſe involvunt labyrintho. Re enim vera Tullius, huiuſmodi vocabulorum ſeveriſsimus licet cenſor (ut intelligere eſt ex *Philip. XIII.* 8. ubi de Sueſſa loquens: *Lautiſſimum opidum nunc municipium, honeſtiſſimorum quondam colonorum Sueſſam, fortiſſimorum militum ſanguine implevit*) Placentiam tamen Municipium adpellat, *Orat. in Piſon. Cap. LIII.* quum illuc, ſub Hannibalis adventum in Italiam, colonia eſſet deducta. Rem ſi penetraſſet Aſconius, haud ingens adeo creatum eſſet illi negotium, ut adponeret: *Magnopere me haeſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium dicat. Video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſcripſerunt tradi, Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Junii primo anno ejus belli*. Praeterea Tullius idem

(a) Tria municipiorum genera tradidit Sex. Pomp. Feſtus, ſed eius operis fragmenta adeo ſunt in multis implicata, in multis corrupta, ac luxata, ut vix aliquando iotelliges, quid ſibi velit. En eius verba in rem noſtram, ut correctiora dari poſſuot. *Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, una cum Romanis civibus, praeterquam de ſuffragio ferendo, aut Magiſtratu capiendo, ſicut fuerunt quondam Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanvinii, Tuſculani, qui poſt aliquot annos cives Romani effecti ſunt. Alio modo id genus hominum definitur, quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venerit, ut Aricini, Cerites, Anagnini. Tertio id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia eſſent ſuae* (non ſua ut paſſim in vulgatis) *cujuſque civitatis, et Coloniae, ut Tiburtes, Praeneſtini, Piſani*, cet. Nec vero feliciorem ſortitus eſt fortunam Gellii locus io hanc ipſam rem, io quo poſtquam nos ea docuerit, quae ſupra retulimus, ita e veſtigio ſubdit. *Municipes ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis, et ſuo iure utentes: muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti*. Contra vero de Coloniis ait: *Coloniae non veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex civitate propagatae ſunt, et jura, inſtitutaque omnia populi Romani non ſui arbitrii habent.*

idem *Lib.* III. *Ep. Fam.* XIII. Municipii Lucensis meminit, quum Luca nonnisi Colonia per id tempus fuerit. Tacitus quoque *Lib* III. *Hist. Cap.* XXXIII. Cremonam municipium vocat, quam tamen coloniam fuisse compertissimum est. At quid exemplis corrogandis immoror adhuc? Nemini latet a Verrio Flacco Praenestinos, Nolanos, Bononienses, Sutrinos municipes adpellari, quum Praeneste, Nola, Bononia, Sutrium coloniae fuerint (a), teste Livio *Lib.* XXI. *Cap.* XXV. tum et Tacito *Annal. Lib.* XII. *Cap.* LVIII., et Paterculo *Lib.* I. *Cap.* XIV. *et seq.* Eodem modo in inscriptione Musei Veronensis apud Maffeium *p.* CXXVI. I. Municipium adpellatur Verona: LVCIL. IVSTINVS EQVO PVBLICO HONORIB. OMNIB. IN MVNICIP. FVNCTVS; et tamen *Colonia copiis valida* a Cornelio Tacito dicitur *Hist. Lib.* III., et *Colonia Augusta* in insigni marmore ibidem *p.* CXCVII. COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA VALERIANO II. ET LVCILIO COSS. MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III. NON. APRIL. DEDICATI PR. NON. DECEMBRIS IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVG. *cet.*

Nimi-

(a) Nisi potius, quod mihi magis adridet, ita Verrii Flacci locus sit accipiendus, ut in has urbes ea conditione sint coloniae deductae, ut veteres cives tum legibus suis, et sacris, tum omni municipali jure fruerentur, sic ut municipes simul essent, et coloni. Memini enim legisse apud Livium *Lib.* VIII. *Cap.* XIV. Antiatibus ea lege coloniam missam, si et ipsi adscribi vellent. Ex quo lux magna adfulget, qui factum, ut in veterum titulis urbs eadem, municipium, et colonia simul audiat, uti in inscriptione Casinati apud Gudium *p.* XXIV. 2. APOLLINI. INVICTO. MITHRAE. SACRVM. T. AVIDIVS. T.F. STEL. PRINCEPS PATRONVS. MVNIC. ET. COLON. CASIN. MVNIC. IIII. VIR. QVINQ. D. D. KAL. AVG. VINOMALO. ET. OPILIONE. COS. Ubi expresse Casinum Municipium, et Colonia dicitur. Quod alibi non raro, ut apud eumdem *p.* XXXVII. 2. M. CVRIVS. M. F. QVIR. ANCVS VI. VIR. AVGVSTAL. PATR. MVN. COL. CAM. Et *p.* CXXVI. 5. M. GAVIVS. GALVS. CVRIALIS. MVNICIP. COLON. BRIXIAE.

Nimirum igitur communicata demum cum toto orbe Romano per Iuliam Legem Civitate, quaecumque urbs, atque cujusvis opidi cives, sub communi, ut ita dicam, municipiorum, municipumque vocabulo promiscue passim coeperunt adpellari. Atque hinc factum, ut Vlpianus *Leg.* I. *ad Munic.*, cujusvis omnino civitatis cives, sive coloniae eae fuerint, sive foederatae, *municipes* ex usu recepto adpellarit: *Municipem*, inquit, *aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio. Et proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in Civitate, ut munera nobiscum facerent, sed nunc abusive municipes dicimus, suae cuiusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos. Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre Campano, matre Puteolana, aeque municeps Campanus est. Nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim maternae originis erit municeps. Vt puta Iliensibus concessum est, ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum, et conservatum est. Celsus etiam refert Ponticis ex beneficio Pompei Magni id competere.*

Porro demum *το* MAXIMIS MVNICIPII HONORIBVS in recitato marmore (etsi nulli dubium, quin per id tempus Municipium fuerit Corfinium, uti ex adverso de colonia Tuderte ap. Murat. *p.* MCXX. *n.* 3. OMNIBVS HONORIBVS IN SPLENDIDISSIMA COLONIA TVDER. PROBE FVNCTVS) idem est, ac alibi passim: *maximis Reipublicae suae honoribus*, ut ap. Gruterum *p.* CCCXXIV. *n.* 4. OMNIBVS HONORIBVS IN REPVBLICA SVA FVNCTVS. Et ap. Murat. *p.* MDLVIII. 4. OMNIBVS HONORIBVS CIVITATIS SVAE HONESTE FVNCTVS.

SE-

SECTIO VIII.

Corfinium numquam Praefectura. Corfinienfe marmor Antoninorum aevo confignatur. Praefecti, qui Roma mittebantur, qua aetate abrogati. An item civitatum difcrimina tunc fublata. Duumviratus, et Quatuorviratus fummus municipiorum, coloniarumque magiftratus omnem praefecturae fufpicionem evertit. Praefecturis nulli erant fui magiftratus. An coloniae ea conditione aliquando deductae, ut in praefecturarum nomine relinquerentur. Peltuinum, et Amiternum coloniae ab Augufto deductae, cur per idem tempus praefecturae in antiquis faxis dicantur. Aediles, Quaeftores, et Octoviri earumdem civitatum ad colonicam conditionem pertinent. Cur in municipio Peltuinati Praefecti Iuri dicundo creabantur. Quo fenfu urbs eadem, eodem tempore Praefectura, et Municipium Tullio dicatur. Qui fint Praefecti, vel Praefecti IIII. Viri in municipiis, et coloniis.

Nunc vero danda opera eft, ut revera nullo umquam aevo Praefecturae conditionem fubiiffe Corfinium edoceam. Quod tametfi ex latinis, graecisque fcriptoribus abunde apud omnes exploratum rear; tamen quum non raro cum hofpitibus rerum antiquarum fit nobis agendum, qui ficubi Praefectum in litterato faxo vident, in praefecturam confeftim, nihil de reliquo folliciti, intendunt (a); idcirco ne cui fortaffe id offendiculo fit, quod

P in

(a) [[Vbi primum auctor commentarium edidit, tota hac tractatione prudens abftinuit. Ecquid enim eo opus labore, ficubi praeter magnificum adeo ab imo ad fummum infcriptionis adparatum, ipfe unus Quatuorviratus Iuri dicundo, proprius ac fummus dumtaxat municipiorum coloniarumque magiftratus, prorfus omnino fufpicari praefecturam vetabat? At eccum, dum fecundae auctoris curae premebant, ab Sulmonenfi quodam Ignatio de Petro fpectaculum exhibetur: *Memorie flori-*

in prima Corfinienſis inſcriptionis linea Mammius AEDIL. PRAEF. IIII.VIR. dicatur, perinde ſi praefectura exſtiterit Mammii aetate Corfinium, rem hîc ſingulari loco declarandam lubens adgredior.

Sed non multo opus labore, ſi tum ſincera marmoris aetas, tum ſummus magiſtratus, quem ipſa oſtentat inſcriptio, parumper adtendatur. Nam ut a primo ordiar, quum Kalendarii cura, in qua honorum ſuorum tyrocinium Mammius poſuit, ſub Traiano Caeſare (a) audiri primum coeperit, ac maxime vero ſub Antonino Pio quaqua verſum increbuerit, nemo mihi hoc eripiet, quin Traiano Imperatore haud vetuſtior Corfinienſis titulus habeatur. Amplius vero ubi politiſſimam Antoninei aevi ſcribendi rationem, tota antiquitate commendatam, ac prorſus in toto marmoris noſtri adparatu expreſſam animadvertas, profecto luce ipſa luculentius patebit, nec ab Antonino longius marmoris epocham eſſe ſtatuendam.

Nunc vero quid? an ſub Traiano Caeſare, vel ſub Antonino perennaſſe adhuc praefecturas dices, quum iam ante Auguſtum ab Praefectis Iuri dicundo ordinandis ceſſatum fuiſſe, ipſa prodat antiquitas (b)? Unum prae omnibus

ſtoriche di Solmona; in quo vix dici poteſt, quae quaotave portentorum conſarcinaverit monſtra. At vero peregrinae mercis negotiator liberaliſſimus etiam praefecturalem Corfinii conditionem ex hoc Corfinienſi titulo ſuis vendidit. Habe igitur, cuius gratia lucubrationem hanc ex integro auctor adpoſuerit „ FRANC. XAV. LVPOLI]].

(a) Beneventano lapide haud antiquior alter comparuit adhuc. In eo ap. Grut. p. CCCCXLIV. ſ. C. OCTAVIVS C. F. MODESTVS... HONORATVS AD CVRAM KALENDARI REIP. CANVSINOR. A DIVO TRAIANO ET AB IMP. HADRIANO AVG. dicitur. Vide quae infra loco ſuo adnotantur.

(b) Atqui poſt legem Iuliam anno DCLXIII. non modo Civitas Romana Praefecturis omnibus optimo iure conceſſa eſt, ſed vix paucae ſupererant, in quas adhuc praefecti mitte-

bus satis idoneum testem Dionem Cassium in medium adferam, qui *Lib.* LIX. *Cap.* XXVI. ad annum Vrbis conditae DCCXLI. imperante nimirum Tiberio tradit, quod iam huiusmodi *praefecti*, *qui mittebantur* κατατελυντο *abrogati fuerant* (a). Quam sane abrogationem non ad Tiberium ipsum referendam, sed ad eam quae Augusti etiam praecesserat aetatem, probe summus Mazochius (b) edocuit. Iam vero si et pausillulum erit procedendum, ecquem, in Romanis licet rebus plane hospitem, praeterfugit, post civitatem demum cum universo Orbe Romano communicatam, ex celeberrima illa Antonini Imperatoris Constitutione, QVA IN ORBE ROMANO QVI SVNT, CIVES ROMANI EFFECTI SVNT, omnia iam civitatum discrimina sublata fuisse (c)? Sed piget enimvero in re planissima diutius versari.

mittebantur. A quibus ordinandis cessatum iam Augusti aetate, ex Dione vidimus. Sed non ideo tamen viro doctissimo Valerio Chimentellio adsentiar, qui Libro *de Hon. Bisel. Cap. IV.* in ea versatus est opinione, ut praefecturae iamdudum ante Tullii aetatem sublatae fuerint. Fateor equidem, post legem Iuliam multo mitius agi coeptum cum praefecturis, ac in plerasque earum, scriptis iam coloniis, non amplius Roma missos praefectos; plerasque vero suis ipsas consuluisse rebus. Attamen non omnes omnino oppidorum iam tunc evanuisse differentias vel ipse Tullius testis est locupletissimus *Orat. in Pison.* Cap. XXII. *Meus quidem reditus is fuit, ut a Brundusio usque Romam, agmen perpetuum totius Italiae viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum.* Et iterum Philipp. II. Cap. XXIV. *Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.*

(a) Confer, si lubet, Ezechielem Spanhemium *de Orb. Roman. ad Constitut. Antonini Imp.*

(b) Ad *Tabulas Heracleenses p.* 394.

(c) Atque si quae post Antonini Constitutionem, ac secutis Caesaribus, adhuc praefecturae supererant, has certum est, vel in veteri tantum perseverasse adpellatione, nam in municipiorum iura iam transierant; vel praefecturas colonicas esse, sive coloniarum regiones vicinas, in quas coloniae ipsae magistratum mittebant. Porro de colonicis istis praefecturis insignis est Siculi Flacci locus p. 21. *Illud praeterea comperimus, defi-*

Vt vero ad caput alterum me convertam, neminem fore arbitror, qui in tantum desipiet, ut Quatuorviratum Iuri dicundo, summum coloniarum magistratum, quo expresse functus dicitur Mammius in praefecturae conditione statuat? Scitissimum enim est in eo praefecturarum positam fuisse conditionem, ut quae urbes a fide populi Romani defecerint, ac armis iterum in Romanorum ditionem devenerint, tum αυτονομεια *propriis legibus*, tum Curia, et magistratu multatae, Praefectum quotannis ab urbe Roma acciperent, qui ius diceret. Rem adprime conficit Tullius *Agrar.* I. *Cap.* VI. *Maiores nostri Capua MAGISTRATVS, SENATVM, CONSILIVM COMMVNE, OMNIA DENIQVE REIPVBLICAE INSIGNIA SVSTVLERVNT, neque aliud quidquam nisi inane nomen Capuae reliquerunt.*

deficiente (pro) *numero militum veteranorum, agro, qui territorio eius loci continetur, in quo veterani milites deducebantur, SVMPTOS AGROS EX VICINIS TERRITORIIS* (auctorem) *DIVISISSE, ET ASSIGNASSE. Horum quoque agrorum proprias factas esse formas, ut suam quaeque regio formam habeat, quae singulae PRAEFECTVRAE adpellantur.* Cui adposite suffragatur Frontinus: *Solum quodcumque coloniae est assignatum, id universum pertica adpellatur. Quidquid huic universitati APPLICITVM EST EX ALTERIVS CIVITATIS FINE, sive solidum, sive cultellatum fuerit, PRAEFECTVRA adpellatur.* Igitur quum coloniae in omnibus paene principem urbem aemularentur; factum hinc, ut, quemadmodum in Civitatem agro multatam praefecti ab Roma mittebantur, sic in ea oppida, cuius ager alteri coloniae adiudicatus erat, nonnisi ab illius coloniae magistratu praefecti iuridicundo mitterentur. Atque hae sunt Colonicae Praefecturae, omnino ab Romanis praefecturis diversae. Cuiusmodi Praefectura Cremonensis exstitit, quo nomine non Romana, sed colonica Praefectura est compellata, agri nempe pars quaedam, ex vicino Mantuanorum territorio avulsa, atque Cremonensi coloniae (cuius ager veteranis illuc ab Augusto deductis satis non erat; vid. Appianum *Lib. V.*) adplicita, et adsignata; quo spectat Virgilianum illud *Ecl. IX. v.* 28.

Mantua vae miserae, nimium vicina Cremonae.

Et rursus *Georg. II. v.* 198.

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.

runt. Nisi quod, ne id etiam silentio praeteream, nolim Tullii verba arcte adeo quis accipiat, uti si omni prorsus publico consilio huiusmodi praefecturae caruerint. Nam pro Senatu Conventum quemdam habuisse Tullius idem auctor est Orat. pro Sextio *Cap.* IV. *Qua de caussa et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo, me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, et hoc tempore* (postquam lege Iulia Colonia Capua evaserat) *iidem homines, nomine commutato, coloni decurionesque fortissimi*. Quid quod quum sibi patronum ea aetate Campani Tullium adsciverint, profecto licuisse ipsis publicum in praefectura conventum oportebat; nec enim nisi ex decreto publico Patroni cooptabantur.

At praeter conventum, nihil prorsus reliqui praefecturis fuisse, non est cur dicam, maxime si de magistratu res sit. Perspicuus enim est Festi locus: *Praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus et ius dicebatur, et nundinae agebantur, et erat quaedam earum respublica*, NEQVE TAMEN MAGISTRATVS SVOS HABEBANT; *in quas legibus* PRAEFECTI *mittebantur quotannis qui* IVS DICERENT. Ergo vel hinc aperte discrimen patet inter municipia coloniasque, interque praefecturas, quod ibi proprius magistratus Duumviri, aut Quatuorviri Ius dicerent; hae vero Praefectum Iuri dicundo, vel a populo Romano, vel a praetore urbano quotannis acciperent (a). Iam vero quum Quatuorviratus Iuri

(a) Atque ex eo mox praefecturarum genera duo Festus statuit: *Quarum*, inquit, *genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti qua-*

Iuri dicundo expreſſe in Corfinienſi inſcriptione notetur, vel id unum indeclinabili prorſus erit argumento, Mammii aetate municipium, nullatenus vero praefecturam, fuiſſe Corfinium. Hem quocum hominum genere, quave de re eſt nobis concertandum!

Potius ſatiusque, quando huc ſermone delapſi ſumus, alteram ſuccidere quaeſtionem proderit, qua tum lucis multum propoſito affunditur argumento, tum plurimum vero valet ad praefecturarum politiam in clariori adſpectu ponendam; nimirum an ſaltem Aedilicia poteſtas in Praefecturis obtinuerit. Atque ut rem ex eo uſque ordiar, haud equidem ignoro in inſigni Peltuinatium tabula ap. Grut. p. ccccxliii. 6. quae inferius integra recitabitur, exerte Praefecturam dici Peltuinum, et tamen ſuos Aediles habuiſſe: *Peltuini . Veſtinis . in . Curia Aug . ordinem . habentibus . T . Avidiacco . Reſtituto . et . Blaeſio . Natale .* AEDD. QQ. *ſcribundo adſuerunt .... ut . merito . debeat . ex . conſenſ . univerſorum patrona .* PRAEFECTVRAE . NOSTRAE . *fieri*. At quiſquis rem ſedulo perpenderit, nullus dubito, quin quidvis aliud

quatuorviginti ſexvirum pro populi ſuffragio creati erant (lege: in quas ſolebant ire praefecti quatuor ex XXVI. virum numero, qui populi ſuffragio creati erant). *Alterum in quas ibant quos Praetor urbanus quotannis in quaeque loca miſerat legibus*. Quem locum fruſtra a Scaligero tentatum, Mazochius demum *ad Tabb. Heracleenſ. p.* 394. ex Dionis loco luculentiſſimo *Lib. LIV. Cap. XXVI.* in integrum reſtituit. Siquidem expreſſe ibi habet Dio, Auguſtum ex illis vigintiſexviris, qui ſtante Republica populi ſuffragio creabantur, reliquiſſe viginti ſolos, ſex ſcilicet ſublatis. Quis vero ſtupidus adeo, ut in praefecturis quatuorviros, et ſexviros praefectos ex corrupto Feſti loco eliciat? Ita nempe deſipuit clariſſimus Souicetus *Mem. Trevolt. Decemb.* 1714. *p.* 94., contra quem merito inſurgit cl. Ioſephus Bimardus Epiſt. ad Scipionem Maffeium apud Murat. *Inſcr. ant. tom.* I. *p.* 114.

aliud prorſus videat, quam argumenti minimum, unde Aedilitas in Praefecturis ſtatui quoquo modo poſſit. Rem curſim expediam. Sane ex Praefecturae ſtatu coloniam evaſiſſe Peltuinum, ſundus et auctor eſt Frontinus *Lib. de Colon. p.* 145. *Colonia Peltinorum* (ſic pro Peltuinorum). *Iter populo debetur. Ager eius limitibus intercifivis eſt adſignatus*. Quum vero in ea tabula Peltuinates IN CVRIA AVGVSTANA ordinem habuiſſe dicantur, nihil ita ſtatim incurrit in oculos, quam quod ab Auguſto Colonia Peltuinum ita fuerit deducta, ut in praefecturarum numero relinqueretur (a); ſcilicet ut antiquo ſervato praefecturae nomine, revera Colonia Auguſtana eſſet (b). Quo animadverſo, iam Aediles ad coloniam in Peltuinati Praefectura conlocatam (c) perſpicuo intelliges ſpectare.

Cui rei, quominus labili innixa videatur fundamento,

(a) Certe vero Curia Auguſta Peltuini, non ſecus accipienda, ac Curia Aelia Auguſta Gabiis. Sed Gabii, Municipium et nomine et facto erat, uti expreſſe in recens eruto marmore: GABIS. IN. MVNICIPIO. IN. CVRIA. AELIA. AVGVSTA. Peltuinum contra, quum revera colonia, et municipium erat, nomine tamen Praefectura dicebatur.

Quid, quod ea ipſa Nummiae Variae aetate, coloniam fuiſſe Peltuinum, manifeſto lapis alter arguit eiusdem inluſtris feminae ap. Murat. p. DXLIV. 1. *In honorem Nummiae Variae C. filiae M. Nummio Iuſto Plebs Peltuinas patrono* cet. *HVIC SPLENDIDISSIMVS ORDO Biſellium decrevit cubitumque conceſſit. Locus datus decreto decurionum. Ordo ſplendidiſſimus fieri pecunia ſua fecit*. Quem vel eo adpoſui, ne ultra tricis locus remaneat.

(b) Nec ſecus cl. Mazochius ſenſit ad *Tab. Heracl.* p. 396. *Sub Gordiano Pio, etſi pleraeque praefecturarum in coloniarum aut municipiorum iura et adpellationem tranſierant, adhuc tamen fuiſſe quae in vetere praefecturae nomine ſibi placerent; etſi ubi a nomine diſceſſeris, cetera iuxta cum coloniis et municipiis ſibi omnia vindicarent*.

(c) Quo magis Conſules initio tabulae ſignati C. Vettius Atticus, et C. Aſinius Praetextatus pertinent ad an. V. C. DCCCCXCIV., Chriſti vero CCXLII. ſub Imp. Gordiano Pio.

to, tantum ego ponderis nunc addam, ut vel ariete admoto concuti nequeat. Nam praeſtantiſſimo veterum monumentorum teſtimonio conſtat, Peltuini, etiam quum Municipium exſtiterit, ſuoſque municipales magiſtratus Aediles, Quaeſtoreſque habuerit, non Duumviros tamen, vel Quatuorviros, qui Iuri dicundo praeeſſent, uti in ceteris municipiis, ſed Praefectum obtinuiſſe. Ac profecto non quod Praefectum adhuc (uti quum vera erat Praefectura) ab Principe urbe acciperet; ſed quod ad ſervandam quamdam veteris politiae ſive formam, ſive memoriam, Duumvirorum, Quatuorvirûmque loco ſummus municipalis magiſtratus, qui quotannis Iuri dicundo creabatur, Praefectus audiebat. Rem univerſam in plano ponit vetus Peltuini lapis in baſi arcus ad portam Eccleſiæ Sancti Valentini Auſinatium (nunc Ofena, pagus Bazzani in Veſtinis) apud Donium Cl. IV. n. 24. in hunc modum: Q. STATIO. P. F. QVI. VERECVNDO. AEDILI. PRAEFECTO. QV*aestori*. CVR. VIAE CLAVDIAE. FLAMINI. DIVI. AVG ..... Ecquis vero eo vix audito magiſtratu, maxime quum expreſſe nihil ex adverſo exhibeat inſcriptio, non continuo inclamabit, Praefecturam tunc etiam temporis Peltuinum fuiſſe, ubi et Aedilitas, et Quaeſtura obtinuerit? Nimirum ita iudicare inepti homines ſolent, quorum tamen fallaciam, niſi valido ſaxo, vix aliud habes, unde tuto confringas. Atque praeclare mecum actum video, quod ea prorſus ipſiſſima aetate municipium exſtitiſſe Peltuinum, eique municipio Praefectos, non vero Duumviros, Quatuorviroſve Iuri dicundo praefuiſſe, opportuniſſi-

niffime fynchronus Peltuini titulus alter eiufdem Statiae gentis fuffragetur, qui adhuc, dum haec fcribimus, ad turrim campanariam Ecclefiae S. Nicolai ibidem proftat, qui talis eft (a):

Q . STATIO . Q . F . QVIR . SYRO . AED
QVAEST . ALIM . QVAEST . MVN . PELT
PRAEF . IVR . DIC . MVN . PELT
CVR . VIAE . CLAVD . FLAM . DIVI . AVG
Q . STATIVS . Q . F . QVIR . SEVERVS . PATRI
PIENTISSIMO

Hem quantam lapis lapidi lucem adfpergit! Ibi Q. Statius P. F. Quirina Verecundus, Aedilis, Quaeftor, et Praefectus audit; Hîc vero Q. Statius. Q. F. Quirina Syrus, Aedilis, Quaeftor, et Praefectus Iuri dicundo Municipii Peltuinatis explicatiffime dicitur; ut nihil amplius defideretur. Atque fi paullum adnitar hanc in rem praefidia, praeter illa quae expofita funt, corrogare, finis nullus erit. Interim alterum adfuam tantum ex Infcriptione Foro-Vibienfi apud Gudium p. CXXXIV. I. C . OLIESIO . C . F . PAL . LEVINO . EQ . ROM . PRAEFECTO . FORI . VIBIENSIVM . PATRONO . MVNICIPI. Nimirum in eo municipio, pro Quatuorviris Iuri dicundo, Praefecti creabantur; quoad ceteros vero magiftratus, res non fecus ac in veris municipiis tranfigebatur, uti cui cuilibet

Q ex

(a) Habet et Muratorius p. DCCXLVII. I. fed verfu 4. pro CVR . VIAE perperam legit RIOCRIAE. Poterat faltem facilem lapidi parare medicinam ex Doniano lapide, quem paullo ante recitavimus.

ex eodem titulo patet, ubi mox Oliesius QVATVORVIR QVINQVENNALIS ITER*um* dicitur.

Ergo ut eo revertar, unde sum digressus, patefacto demum, quî Peltuinum Praefectura (nomine tenus, revera autem Colonia Augustana, ac mox municipium) Aediles habuit, facile antiqua cetera huiusmodi monumenta [a] explicantur. Atque ne ab vicinia discedam, hocce non alio sensu Arae Amiterninae inscriptio est accipienda, quae in aedibus Magistratus Aquilani exstat [b]:

T . VINIO . RVFO . T . TISIENO . OC
Q . ORFIO . FVLGINO . C . LEGIO . AED
PRAEFECTVRA . AMITERNINA . PRO . REDITV
IMP . CAESARIS . AVGV
FORTVNA

Vbi Octoviros [c], et Aediles in Praefectura Amiternina vides sub Imperatore Caesare Augusto, non quod tunc in praefecturae conditione adhuc perstiterat Amiternum,

(*a*) Nec enim secus accipienda marmora ap.Grur. p.LI.2. C. ALBINIVS MASCELLIVS IIII. VIR. A. P. PRAEF. I. D. Et p.CCCCLXXIII. 5. C. TERENTIVS VALENS IIII. VIR. AEDIL. POT. PRAEF., & ap.Murat. p. CCCXLVI.2. C. GEMELLIVS VALERIANVS IIII. VIR. A. P. PRAEF. I. D., in quibus omnibus manifeste vides tantumdem haec sonare, ac in sexcenris aliis IIII. VIR AEDILIS IIII. VIR IVRI DICVNDO.

(*b*) Vid. et apud Muratorium *p.* LXXX. 7.

(*c*) Octoviros Amiterninos habes item in maculosissima epigraphe ap. Murat. p.DCCIII.11., quam non piget heic ad fidem marmoris exhibere: D. M. S. P. FVLLONIO P. F. CELERI VIII. VIRO. FVLLONIA. P. F. CELERINA FILIA PATRI PIISSIMO. Nimirum pro Fullonio Muratorius posuit *Fulloni*; et pro Celerina filia, legit *Celer Naenia*. Fortasse exscriptori imposuit filiae repetitio. Sed non rarum id in antiquis inscriptionibus; uti apud Donium class. II. n. 35. C. ALBIVS T. F. PANSA FILIVS cet.

num, ſed quod in veteri tantum nudiſſimo nomine etiamnum ſibi plaudebat. Nam ſub Auguſto Caeſare Coloniam Amiternum deductam, compertiſſimum eſt ex Frontino *Lib. de Colon.* p. 134. *Amiternum oppidum muro ductum, a III. VIRIS munitum. Iter populo non debetur. Ager eius militi medico* (cor. metoeco) *eſt adſignatus in laciniis, & limitibus interciſivis*. Quod rurſus in Collectaneis agrariis (ex Libro Balbi *Provincia Valeria*) enucleatius repetitur p. 144. Quo loco quum Triumviros Coloniae auctores, agrumque militibus adſignatum habes, nihil iam ſupereſſe vides, quo ſit amplius in militarem conſtituendam coloniam opus. Atque ex eo demum peremptorie peractum negotium omne vides, tum de Octoviris, Aedilibusque ad Amiternum, quae vera tunc Colonia erat, pertinentibus; tum de antiquo praefecturae nomine, verbo tantum tenus, etiam quum auſpicato a Triumviris eo adſcripta colonia fuerat, adhuc ſervato. Atque hinc probe lux maxima adfulget, cur Tullius *Orat. pro Plancio Cap.* VIII. urbem Atinam praefecturam vocat, ac mox ibidem plebem Atinatem comitiis interfuiſſe ſcribit, ac *Cap. ſeq.* de eadem tamquam de municipio loquatur [a]. Nimirum nonniſi in veteri tantum adpellatione adhuc manſerat Atina, tametſi Municipium eſſet, uti expreſſe antiqua litterata urbis ſaxa [b] produnt.

Q 2 Sen-

(a) Idem de Reate dicas, quam Tullius *Catil. II.* inter praefecturas recenſet, Suetonius vero municipium adpellat in *Veſpaſ. Cap. I.* Tum de Fulginia in Vmbria, quam modo praefecturam, modo municipium Tullius idem dicit in *Fragm.* ap. Quintilianum *Lib. V. Cap. XIII.* & Priſcian. *Lib. VII.*

(b) De Atinati municipio lapis apud Murat. p. MCII. 4. Q. HERIO Q. F. TER. OCTAVIO. IVSTO PATRONO. MVNICIPI. cet. OB MERITA. EIVS. ATINATES.

Sentio iam nunc, me iusto longiorem in proposito argumento fuisse; at certe non poenitet incommodasse lectori aliquantulum, siquidem non adhuc eruditis viris tentata disputatio, vix in pauciora contrahi poterat. Modo at longe spinosior illa manet disquisitio, quid sibi PRAEF. DVVMVIRI, vel PRAEFECTI QVATVORVIRI in municipiis ac coloniis velint, quorum crebra est in veterum titulis mentio. Namque in eam demum tractationis ambagem me Corfiniense marmor coniicit, quo Mammius primo *Aedilis* dicitur, tum *Praefectus Quatuorvir*, demum vero *Quatuorvir Iuri dicundo*.

Atque initio quidem, quoad mihi ex ipso veterum monumentorum testimonio deprehendere datum est (nam frustra aliunde, quam ex litteratis saxis, praesidium advocaverim) sic statuo, Praefectos extra Romam non alios esse, quam qui, deficiente ob Decurionum dissidia ordinario municipali magistratu, ne interim iurisdictio deesset, extra ordinem loco Duumvirorum, Quatuorvirorumque creabantur. Scilicet quum ad Principis Vrbis aemulationem in cunctis fere rebus se municipia, ac coloniae compararent, quemadmodum in Vrbe, si quando summus Reipublicae Magistratus, idest Consules creari nequibant, INTERREX eligebatur; ita extra urbem sicubi Duumviri, vel Quatuorviri, qui iuri dicundo praeessent, creari quavis caussa non poterant, PRAEFECTI, qui iurisdictione fungerentur, eligebantur (a).

Sane

(a) Atque non raro, etiam Principis Vrbis exemplo, *Interreges* dicebantur, ut in marmore Narbonensi apud Gruter. p. CCCXCIV. 5. T. COMINIVS C. F. PO. DVVMVIR AEDILIS INTERREX. Vide et lapidem Formianum apud eumdem p. CCCCXCI. 10.

Sane rem vir summus Cardinalis Norisius *Cenotaph. Pisan. Dis. I.* ex Cai Caesaris Augusti lapide coniecerat, cui sic inscriptum: CVM IN COLONIA NOSTRA PROPTER CONTENTIONES CANDIDATORVM MAGISTRATVS NON ESSET *cet.* et paucis interpositis: VNIVERSI DECVRIONES COLONIQVE QVANDO EO CASV IN COLONIA NEQVE II.VIR. NEQVE PRAEFECTI ERANT, NEQVE QVISQVAM IVRE DICVNDO PRAEERAT, INTER SE SE CONSENSERVNT. Et mox: VTIQVE CVM PRIMVM PER LEGEM COLONIAE DVOVIROS CREARE ET HABERE POTERIMVS. Ac demum: QVICVMQVE POSTEA IN COLONIA NOSTRA II.VIR. PRAEFECTI, SIVE QVI ALI MAGISTRATVS ERVNT. *cet.* Ex quo facta viro acutissimo edocendi opportunitas, Praefectos in Coloniis tunc obtinuisse, quum nulli essent Duumviri.

Atque vero si uno tantum Pisanae inscriptionis testimonio summa rei inniteretur, cederem fortasse, nec nisi in mera coniectura summum virum versatum existimarem. Sed struem argumentorum incredibilem ex ipsis veterum monumentis adparare hic possem, quo nihil ea sententia tutius statui posse videatur. Tale est in primis vetus Campani magistratus fragmentum apud Grut. p. CCIC. ubi haec recitantur:

EX . K . IVL . AD . K . IVL
C . AEMILIVS . Q . PONTIENVS . II . VIR
EX . K . IVL . AD . K . SEP
PRAEFECTI
T . LICINIVS . L . CORNELIVS
EX . K . IVL . AD . K . FEBR
C . PLOTIVS . C . ANNAEN . II. VIR

Quo

Quo loco vides, ex kalendis Iuliis anni V. C. DCCXXI. ad kalendas Iulias fequentis anni Duumviros creatos C. Aemilium, et Q. Pontienum; quibus Duumviratu functis pridie kalendas Iul. anni DCCXXII. quum ob candidatorum fortaffe contentiones creari Duumviri fucceffores nequiffent, Praefectos nominatos effe T. Licinium, et L. Cornelium, qui Duumvirorum loco, ius in Colonia dicerent.

Adhuc vero, etfi nemo fit, qui ad huiufce monumenti vim fefe ftupidum praebeat, tamen, ut rei quantacumque eft moles, folidiffimo fundamento fuperftruatur, Aquileienfe Senatusconfultum addam apud doctiffimum Philippum a Turre Epifcopum Hadrienfem in de Colonia Foroiulienfi; in quo L. Nonius Rufinus, et Q. Vefonius Fufcus PRAEFECTI IVRI DICVNDO dicuntur. Quid vero, fi nulli per id temporis in Colonia Aquileienfi Quatuorviri fuerint? Praeclare factum, quod rem exertiffime ipfa infcripta tabula prodat, quae talis eft: KALENDIS NOVEMBR. L. NONIVS RVFINVS POMPONIANVS Q. VESONIVS FVSCVS PRAEFECTI IVRI DICVNDO. SCRIBVNDO ADFVERVNT LVCRETIVS HELVIANVS. M. TREBIVS PROCVLVS. L. CAMMIVS MAXIMVS SENATVS CONSVLTO. CVM PRONA VOLVNTATE HONESTISSIMO ANIMO VLTRO CALVIVS POLLIO IIII. VIR. I. D. IN PROXIMVM ANNVM PROFESSVS SIT. QVO FACTO HAESITATIONI PVBLICAE IN PARTEM MORAM ADEMERIT. PLACERE EI QVO MAGIS ETIAM CETERI AD BENEFACIENDVM IN REPVBLICA PROVOCENTVR STATVAM EQVESTREM AVRATAM IN FORO NOSTRO PONI CENSVERVNT. PRIMVS CENSVIT C. LVCRETIVS HELVIANVS.

Nimi-

Nimirum igitur, quum ob Decurionum moram Quatuorviri iuri dicundo creari Aquileiae non potuissent; ne interim colonia sine summo magistratu esset, iurisdictio Praefectis L. Nonio Rufino, & Q. Vesonio Fusco tributa est, usque dum Calvius Pollio ultro Quatuorviratum Iuri dicundo in proximum annum professus sit.

Praeterea et huc facit, quod in Municipio Gabiorum, quum Quatuorviri Iuri dicundo creari consueverint, ut ex insigni lapide Gabino Domitiae Augustae (a): VIII. K. MAIAS GABIS IN MVNICIPIO IN CVRIA AELIA AVGVSTA SCRIBENDO ATFVIT VNIVERSVS ORDO DECVRIONVM REFERENTIBVS L. VIPSTANIO L. F. CL. PVBLICOLA L. SERTRIO L. F. PAL. PRISCO IIII. VIR. cet.; tamen deficientibus ibi aliquandiu Quatuorviris, Praefecti obtinuerint; quorum amplius Praefectura haud secus, quam Romae Consulatus, inscriptionibus signabatur, quemadmodum ex Gabino titulo recens eruto anno MDCCXCVI., quem nefas duco hîc praeterire (b):

L . ANTISTIO . C . F
VETERI . PONT . PR
X . VIR . STL . IVD . Q
TI . CAESARIS . AVGVSTI
DECVRIONES . ET . POPVLVS
MVNICIPES . GABINI
PRAEFECTVRA
SEX . MARCI . TERIS . ET . C . VARINI . CANACIS

Quod

(a) Vide Ennium Quirinum Visconte. *Monumenti Gabini della Villa Pinciana*. Rom. 1797. pag. 146.

(b) Vide eumd. *Mon.Gab.* cet. p. 15.

Quod idem, vel obtutu uno, in lapide Abellano in Campania advertas (a), cui dextrorsum inscriptum: T. ANTISTIO . T . F . GAL . CILONI . DVOVIR . IVRI . DICVNDO . Ad laevam vero: L . ANTISTIO . T . F . GAL . CILONI . PRAEF . IVRI . DICVNDO . DECVRION . DECRETO . Quo uno lapide duos habes Antistios; patrem ordinario magistratu, Duumviratu nempe, functum; filium vero ex defectu Duumvirûm in colonia, Praefectum Iuri dicundo. Nunc vero, his ad fastidium prope animadversis, nemo unus demum intelliget, inter Municipales magistratus etiam Praefectos Iuri dicundo esse connumerandos (b).

Sed quid me ultra excrucior, quando innumera paene marmora Praefectos municipales memorent? Ap. Grut. p. CXCV. 4. L. FABIVS L. F. GAL. RVFFINVS II. VIR. PRAEF. IVR. DIC. AB DECVRIONIBVS CREATVS. Et in lapide Telesino, quem nuper mecum Vir clarissimus Vincentius Lupoli frater patruelis patris mei, Telesinorum Episcopus communicavit:

L. MVMMIVS L. F. C. MANEIVS C. F
PR. DVO. VIR. PRO LVDEIS TVRRIS DVAS
D. D. S. FACIVNDAS COERARVNT

Et

(a) Corruptissimam adfert Capacius *Hist. Neap. Lib. II. Cap. XXX.*

(b) Id quod apertissime observare est in insigni tabula aenea detecta anno MDCCLX. in agro Placentino, quae nunc prostat in Museo Parmensi. SEI . EX . DECRETO II . VIR . IIII . VIR . PRAEF . VE . MVTINENSIS; et mox: IS . II . VIR . PRAEFEC . EX . LEGE . RVBRIA . SEIVE . ID . PL . VE SC . EST . DECREVERIT. Ac rursus: II . VIR . IIII . VIR . I . D . PRAEFECTVSVE . D . Q . R . IVS . ITA . DEICAT . CVRETVE . VT . cet.

Et ibidem apud Murat. p. CLXXIII. Q. VILLIVS L. F. RVFVS Q. AGRIVS C. F. CELER PR. II. VIR. Et ap. Donium Class. V. n. 225. M. SVRINVS. M. F. MARCELLVS. PRAEF. I. D. II. VIR. (*a*) Quibus locis TO PRAEF. I. D. II. VIR. tantumdem valet, ac Praefectus Iuri dicundo loco duumvirorum. Quid? perorata equidem caussa omnis erit, si inter tot inscripta veterum saxa, quae passim e tenebris eruit aetas, adposita conceptis ad amussim verbis ea interpretatio alicubi reperiatur. Atqui ecce in promptu vetus lapis ap. Murat. p. DCXXVI I. C. MEMMIO. MACRINO. Q. II. VIR. QQ. ITEM. PRAEFECTO. PRO. II. VIRO (*b*); et p. DCCXLVI. 8 L. STATILIO. L. F. AEM. SVLPICIANO. PONTIF. PRAEF. PRO II. VIR. Fragmentum accedit Aquis Sextiis apud eumd. p. DCCLXIX. ubi quidam AEDILIS. PRAEF. PRO II. VIR. pari modo inscribitur (*c*). Demum vero explicatissimus omnium in rem eamdem est Sponianus lapis ex schedis Peirescianis

R *Miscel.*

(*a*) Huc facit et nummus Leptimensis, cum inscriptiona PR. II. VIR. C. V. I. L. quam egregie est interpretatus Vir doctissimus Carolus Patinius in hunc modum: *Praefectus Duumvir Coloniae Victricis Iuliae Leptis.* Non enim adsentiar Harduino, Havercampio, et Pellerinio *Tom. III. Rec. de Medail. de peupl.* p. 16.

(*b*) Dederat Sponius *Miscel. erud. antiq.* p. 191.

(*c*) Attamen vix credas, nihil huiusmodi olfecisse Muratorium in marmore p. DCCXXIV. 4. (ac rursus p. MLXXVII. 8.) *L. Porcio L. F. Gal. Himero. II. Vir. Praef. pro. Divorum. ris. ob. merita. Pie. Psalre . . . honore impensam. remisit.* Quamobrem, per me licet, foedatissimam inscriptionem sic in integrum restituas. *L. Porcio. L. F. Gal. Himero. II. Vir. Praef. pro Duumviris ob merita Pleps Salaciensis Recepto honore impensam Remisit.* Salaciae enim repertus lapis, hodie Alcazar de Sal in Lusitania.

Miscel. Erud. antiq. p. CLXIV' DIS. MANIBVS Q. CAETRONI. Q. F. VOLT. TITVLLI. VETER. COH. VII. PR. LOCO. II. VIR. PONTIF. COL. AVG. ARIM. PRAEF. PAGI. EPOT. FLAM. AVG. ET. MVNER. PVBLICI. CVRAT. AD. DEAM. AVG. VOC. HERED. EX. TEST. ubi Caetronius Veteranus Cohortis septimae PRAEFECTVS LOCO DVVMVIRORVM dicitur.

Vt vero hinc tandem solvam, non aliunde locupletius Corfiniense marmor explicatur, quam ex Muratoriano lapide p. CLXVII. 4. C. LVCCONIVS TETRICVS PRAEF. PRO II. VIR. II. VIR. BIS. Quemadmodum enim Tetricus iste, quum nulli essent in colonia ob candidatorum contentiones Duumviri, *Praefectus Produumvir* est creatus, idest Praefectus loco Duumvirorum; ac mox ad ipsum ordinarium magistratum, nempe Duumviratum non semel, sed et iterum est evectus; ita Mammius, uti ab initio edixeram, primo PRAEFECTVS QVATVORVIR, sive Praefectus loco Quatuorvirorum, qui in Municipio Corfiniensi non erant, est creatus, mox vero QVATVORVIR I. D. ordinario iure factus. Haec ad fastidium enucleata fortasse quis queretur. Sed rem satis in incerto appositam efecisse tandem haud displicebit.

SECTIO IX.

Vbinam Corfinium positum fuerit, disquiritur. Vetera milliaria cum hodiernis comparantur. Pollanus lapis iniusta Cluverii censura vindicatur. Corfinii litterata marmora, ex veteris urbis situ eruderata, proferuntur, et illustrantur.

Postremo autem ubinam Corfinium positum fuerit, sedulo erit disquirendum; quod sane multi pervestigarunt, nec sunt adsequnti. Discrepantium opinamenta scriptorum haud moror heic tamen; nam in alienas res vel paullulum excurrere ex animo piget. Dicam ego quod res est, ibi nimirum Pelignorum caput Corfinium sedisse, ubi sequiori aetate ex vetustae urbis ruderibus haud ignobilis pagus *Pentima* ad sextum ab urbe Sulmone lapidem emersit. Quod sane praeterquam quod intuentium oculis, vel nemine commonstratore, apertissimum est, adprime Caesaris auctoritate firmatur *Lib.* 1. *Cap.* IX. *Bel. Civ. Interim*, ait, *Caesari nuntiatur, Sulmonenses, quod oppidum a Corfinio VII. millium intervallo abest* (1), *cupere ea facere, quae vellet.* Neque enim obstare quidquam videtur, quod Caesar Sulmonem a Corfinio septem millium passuum intervallo abesse testetur, Pentima vero

* non-

(1) Idem spatium et in Tabula Augustana signatur in itinere a Teate Sulmonem per Corfinium.

nonnisi inter quintum, et sextum milliarium nunc ab Sulmone distet. Nam cui compertum non est, vetera Romanorum milliaria longe contractiora iis fuisse, quibus hodie in Italia utimur, aut quae Romae saltem nunc obtinent? Quod sane vel ex veteris cippi positu, qui ad viam Valeriam iuxta Arsulas, ac ad eum prope fontem, quem Somnulam adpellitant, adhuc cernitur, facile cuivis patebit:

XXXVIII
IMP. NERVA
CAESAR AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNICIA
POTESTATE COS. III.
PATER PATRIAE
FACIENDVM CVRAVIT

Ex quo loco ad Vrbem usque, tametsi Traiani Caesaris aetate octo supra triginta millia passuum numerabantur, nunc tamen nonnisi XXVIII excurrunt milliaria. Dicam amplius. Vrbem Romam ab Sulmone XC. mil. pas. distitisse locupletissimus auctor est Sulmonensis Poeta *Lib. IV. Trist.*

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab Vrbe decem.

Anne idem nunc est Romae ab Sulmone milliariorum numerus? Nunc enim LXX numerantur, ut ex Ciophano patet in *descript. Vrb. Sulmon.* (2). At videndum nunc

(1) Neque hic moror, qui antiquitus non per Carseolos, et Marsos, quod vulgare nunc est Sulmonensium iter, sed per eam sane regionem, ubi Aquila extat,

nunc quantum antiqua milliaria expeditiora iis, quibus hoc tempore in Italia utimur, fuerint.

Ecquas confusionis ambages passa sit superiori aetate Geographia, nemo unus est, quem prorsus lateat; opinati quippe sunt maiores nostri excurso aevo, vetera Romanorum milliaria nihil omnino ab iis discrepare, quae nunc in Italia adhibentur, quorum sexaginta nonnisi uni gradui telluris respondere cordatiores viri constituerunt. Quo factum, ut sicubi illi hodiernis mensuris, quas veteribus aequales iudicabant, signata in marmoribus spatia haud respondere offenderint, quandoque lapides inde spurios existimarint. Ex his certe exstitit Cluverius, sollertissimus quidem omnium, ac magni nominis Geographus, qui insigne marmor, quod Pollae in Lucania adhuc ad cauponam prostat, suspectum habuit, nedum omnino falsum (3) *Ital. Antiq. Lib.* IV *Cap.* XV.

VIAM.

extat, veteres transire solitos arbitrantur, ac proinde de hoc itinere Ovidii locum intelligendum. Quid namque inde extricant, quando ipsemet obstat Ovidius? quippe se aestate Sulmonem petiturum, per Carseolos transiisse testatur. En tibi eius verba *Lib. IV. Fastor.*

Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos natalia rura petebam.
Parva, sed adsiduis obvia semper aquis.

(3) Per sexcentas exscriptorum manus traductus lapis, tam graves passus est manes, ut nihil supra. Exactissime omnium exscripsit Gualterius *Tabb. Brutior. et Sicil.* ed. Messan. MDCXXV. tum et Celsus Cittadinius, cuius ex schedis profecit Graeviana Gruteri editio Amstalod. MDCCVII. pag. CL. n. 7. Ego vero de Goltzio (quem videsis in fine *Magn. Graec.*) minus miror. Miror magis de summis viris Antonio Augustino, Fulvio Vrsino, et Aldo Manutio, qui postremus lapidem ex Tegeano in Calabria (ubinam id?) ad statuendam Regii lectionem eum H produxit, contra quam in marmore deprehenditur.

VIAM. FECEI. AB. REGIO. AD. CAPVAM. ET
IN. EA. VIA. PONTEIS. OMNEIS. MEILIARIOS
TABELARIOSQVE. POSEIVEI. HINCE. SVNT
NOVCERIAM. MEILA. LI. CAPVAM. XXCIIII
MVRANVM. LXXIIII. COSENTIAM. CXXIII
VALENTIAM. CLXXX. ▭ AD. FRETVM. AD
STATVAM. CCXXXI. ▭ REGIVM. CCXXXVII
SVMA. A. F. CAPVA. REGIVM. MEILA. CCC
XXI. ▭ ET. EIDEM. PRAETOR. IN
SICILIA. FVGITEIVOS. ITALICORVM
CONQVAESIVEI. REDIDEIQVE
HOMINES. DCCCCXVII. EIDEMQVE
PRIMVS. FECEI. VT. DE. AGRO. POBLICO
ARATORIBVS. CEDERENT. PAASTORES
FORVM. AEDISQVE. POPLICAS. HEIC. FECEI

Nimirum vir summus vel ideo male de marmoris fide iudicavit, quod easdem omnino in eo distantias quaerebat, quae nunc ponuntur; qua de re haud immerito ab Cl. Holstenio castigatur, quod huiusmodi venerandae antiquitatis cimelia non satis ex merito aestimaverit (4). At

(4) Omnino audiendus hanc in rem clarissimus Islaeus *Hist. Academ. an.* 1714. *p.* 229. *et seq. edit. Amstel.* 1719. » C'est sur ces mêmes principes, que » Cluvier, qui outre son érudition à en » encore l'avantage de voir par lui » même le païs dont nous parlons, aïant » trouvé dans la Bourgade de Polla au » Royaume de Naples une inscription, » qui rapportoit les distances de cette » branche de la Voye Appienne, qui » conduit à Reggio; et trouvant ces » distances opposées à l'idée qu'il » s'étoit faite des mesures des Anciens, » a voulu rendre cette inscription su- » specte; quoi qu'elle ait paru très » authentique à Holstenius qui l'a vue » aussi bien que lui: (inscriptionem heic

At ubi primo elaboratissimae Cassinii, Jslaei, Hiraei, Regiaeque scientiarum Parisinae Academiae observationes prodierunt, mirum quantum, tota litteratorum cavea plaudente, est in propatulo positum, hodierna Italica milliaria eam ferme rationem ad Romana vetera, quae in tabulis itinerariis signantur, habere quam quaternio ad quinionem; ita ut quina antiquorum milliaria nonnisi quatuor nostris, quae vulgo in Italia obtinent, respondeant (5). Observavit id primo acutissimus Cassinius; qui in

» heic recitat, ac statim subdit): « Et » ainsi des autres lieux de cette route » dont les distances sont marquées, et » ces distances dont la plupart sont con» firmées par l' Itinerarie d' Antonin » concourent à la situation de ce Païs, » telle qu'elle resulte de la réduction » des anciens milles à leur véritable » valeur. Non seulement les modernes » se sont trompés lorsqu' ils ont voulu » contredire les anciens, mais il les » ont aussi mal expliqués, lorsqu' ils » ont voulu les suivre.

(5) Martinerii verba *le Grand Dictionaire Geographique tom. VII. art. Mesures Itineraires*, heic inferne adsuere haud abs re est: « Le mille » Romain étoit précisement de mille » pas geographiques, chaque pas de » cinq pieds Romains. Mais comme » l'ancien pied Romain étoit de diver» ses mesures, selon les divers usages, » il y a eu de la difficulté sur l'appré» tiation. Cluvier et presque tous les » Géographes du siècle passé ont cru » faussement que l'ancien mille Romain » étoit semblable au mille Italique dont » soixante font un degré. De là ce de» rangement dans les cartes où pourtant » on croïoit suivre les mesures des an» ciens, losqu'on s'en écartoit en effet. » Cette fausse évaluation a jetté dans » la Géographie une infinité de fausses » positions. C'est, dit Mr. de l' Isle » *Hist. de l'Academ. Royale des Sciences an* 1714. *p.* 230., ce qui a fait » tomber en erreur la plupart de nos » modernes qui ne connoissant pas as» sez la véritable grandeur des milles » anciens, ont voulu mal à propos » corriger une mesure exacte et uni» forme par une autre fort inégale et » fort incertaine. Cluvier entre autres » un de nos plus célèbres Géographes, » qui a donné un ouvrage si ample, » et si détaillé sur l' ancienne Italie, » sur lequel Holstenius et Cellarius » n'ont presque pas pu encherir, Clu» vier, dis-je, n'a pas fait de difficulté » de reprendre en plusieurs endroits les » anciens, et de vouloir regler leurs » distances sur celles d' aujourd' hui. » Voici des preuves incontestables de » l'erreur des modernes sur la valeur » de l'ancien mille Romain dont 75 » font un degré; c' est la difference » d' un cinquième; et ce qui est très» remarquable c'est que cette differen» ce se trouve dans tous les égaremens » des Géographes quand on les examine » sur l'ancienne mesure, qui en recom» pense s' accorde parfaitement bien » avec les distances que fournissent ses » observations Astronomiques ».

in Gallico opere *de la grandeur, et de la figure de la Terre. Amstel.* 1723. notiores locorum distantias, apud veteres Geographos signatas, exactissimis dimensionibus percurrens, omnem prope dubitandi viam interclusit, quin ratum apud omnes haberetur, vetus milliare Romanum pedibus Parsinis 4600 respondere, pedisque Romani mensuram pollicibus Parisinis 11.0400 aequalem esse. Hinc, quod et opportune idem animadverterat Cassinius, ex Antonini Itinerario, tum ex Tabula Peutingeriana Bononiam inter, ac Mutinam XXV MIL. PAS. intererant; nunc vero ex mensura italica nonnisi XX MIL. PAS. in eodem itinere signantur (6). Haec ita se ex nudis observationibus habebant, quum forte fortuna tandem, factum, ut post tam multas magni nominis Geographorum elucubrationes, concertationesque, vetus aerea Romani pedis mensura ex novissimis Herculanei effossionibus emerserit, cuius ope omnis demum quantacumque succisa est controversia. Nam hinc primum exploratissime commodum fuit discere, Romanorum pedem ad amussim palmo Neapolitano uni, unciae uni 5807. respondere (sive pollicibus parisinis 11.0250); ex quo fit, ut quinque millia pedum Romanorum, sive mille passus, quod milliare dicebatur, exacte respondeant palmis Neapolitanis 5658.600. (sive pedibus parisinis 4593. et pollicibus 9.) Qua animadversione extra

(6) Martinerius ibidem: » Les anciens » donnent 25 milles à la distance de » Bologne à Modene (*Cassini l. c. p.* 186.) L'Itinerarie d'Antonin marque plusieurs fois cette distance, et » toujours de 25 milles. La Table de » Peutinger la fait aussi de 25 milles. » Les modernes ne comptent que 20 » milles de l' une de ces deux Villes » à l' autre.

extra dubitationem omnem postremo conlocata, iam vides milliaria Neapolitana, quae palmis septingentis constant, eam rationem ad vetera Romana habere, quam numerus 7000 habet ad numerum 5658.600. (7). Quam milliariorum contractionem nullibi non quisquis deprehendet, modo veterem mensurationis regulam ad eam exigat, quae passim est apud nos in usu. Nisi quod nolim adhuc, quis huiusmodi calculorum proportionem constantissimam ubique locorum sibi auguretur. Nam plura intercedunt profecto, quorum est quandoque habenda ratio. I. Quum milliare spatium in Italia (maxime per id temporis, quo barbaricis divexabatur incursionibus, quemadmodum est ab Sociis Palatinis Mediolanensibus animadversum *ad Tab. Italiae P. Berettae apud Murator. Annal. Ital. tom. X.*) pro diversa provinciarum ratione modo longius, modo brevius excurrerit, fit ut ex incerta huiusmodi milliariorum mensura nihil quandoque certi statui possit ad Romana vetera milliaria cum nostris comparanda. II. Viae non eamdem omni aetate lineam retinuerunt; qui enim flexus, amfractusque olim inerant quibusdam, temporum vicibus deperiisse videmus, uti ex adverso procedentibus temporibus novi emerserunt, qui nulli antehac erant. Proinde haud

S raro

(7) Parum ergo discriminis inter aereum pedem Romanum Herculanei effossum, et Casiniani pedis mensuram intercedit; nimirum partis 0. 018. unciae Neapolitanae: ac proinde in singulis milliaribus tota differentia est palmorum Neapolitanorum 7. 750., sive palmorum septem, et unciarum novem, quibus Casinii mensura excedit. Videant docti quam prope rem tetigerat accuratissimus Casinius.

raro incassum quisquis in veterum novorumque itinerum ratione dignoscenda Islaeanos invocat calculos. Ac re vera Boldettus *de Coemet.* MM. *Lib.* III. *Cap.* XVIII. *p.* 535. in actis SS. Abundii, et Abundantii adfirmat, horum corpora in Coemeterio S. Theodorae Ariniani deposita, quod licet olim XXVIII ab urbe Roma lapide distabat, hodie tamen XX abest tantum. Id quod nonnisi ex viae mutatione factum probe repetunt Bollandiani: *Hodie*, inquiunt, *XX tantum numerantur, hac, ut putamus, de caussa, quod olim et iusta erant milliaria, h. e. breviora quam hodie sunt, et via Flaminia (quod ex illius adparet vestigiis) agrum Veientem secans, et per summos colles ducta, multos flexus, atque amfractus habebat: posteris vero temporibus, ea ob vetustatem, incuriamque conrupta, et interrupta, dum diverticula, et compendia quaeruntur, brevitatis magis, quam facilitatis est habita ratio.* Sed vero ut eo demum revertar, unde digressus sum, quum id in aperto sit apud omnes, vetera Romanorum milliaria quinta prope parte italicis nostris contractiora fuisse, profecto nullus adhuc dubitandi remanet locus, quin septem illa milliaria, quibus Corfinium a Sulmone distare adfirmat Caesar, quinis hodiernis cum dimidio respondeant; atque hinc nonnisi ubi nunc Pentima, adstipulante Caesare, Corfinii situs constituendus (8). Atque absque eo esset, satis idipsum

(8) Pentimam ab Sulmone ad quinque millia passuum nunc distare, locupletissimus auctor est Ciuphanus *ad Ovid. Trist. Lib. IX.* Quo facit ipsum Pentimae nomen, ei pago, ex quinto ab Sulmone lapide per mediam aetatem (nam

psum Strabonis constaret auctoritate *Lib.* v. *p.* 370. Ατερνος ποταμος ρει γαρ εκ της Αμιτερνινης ζευγματι περατος· διεχει δε το ζευγμα τεσσαρας, και εικοσι ςαδιους απο Κορφινιου. *Aternus amnis ex Amiternino agro defluit, traiiciturque ponte, qui stadia XXIIII. a Corfinio abest.* Tot enim stadia nonnisi tria millia passuum conficere, notius est quam ut ulla indigeat probatione; Caesarisque ipsius testimonio firmatur *Bel. Civ. Lib. 1. Caesar Corfinium contendit. Eo quum venisset, cohortes quinque praemissae a Domitio ex oppido, pontem fluminis* (Aterni) *interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter III. Ibi cum antecursoribus Caesaris praelio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt. Caesar legionibus transductis ad oppidum constitit, iuxtaque murum castra posuit.* Ex quo duo potissima emergunt momenta, tum inter Asculum, et Corfininm Aternnm amnem ponte traiiciendum; tum vero ab eo ponte Corfinium ad III. MIL. PAS. distitisse. Sed veteris pontis reliquiae, ac ipsa fundamenta adhuc hodie manent, et quisquis,

* vel

(nam nonnisi XI. saeculo inclinante sub Transmundo Episcepo Balbensi emersisse traditur) arcessitum. Quod non rarum per ea tempora. Sic veteri Aeculano everso, pagus emersit *QVINCTODECIMVM*, quod nempe ad decimum quintum lapidem a Beuevento distaret. Vide nostrum *Iter Venusinum* ad Aeculau. *p.* 84. Quoad Pentimam vero neque id praeteream, per hanc aetatem non amplius oppiduli, sed urbis nomine salutari. Quum enim ex reliquiis splendidissimae urbis Corfinii orta, passim apud Historicos, tum in rescriptis Priucipum Vrbs audiret, Potro Alberto Terragnolio Iurisconsulto gravissimo caussam agente apud Quinqueviros a latere, initio huius aevi decretum fuit, quod *manuteneatur, et quatenus opus, reintegretur in possessione se denominandi, et adpellandi civitatem.*

vel etiam omnino coecus, Strabonis, ac Caesaris manu ductus, ibi Pentimam emersisse videt, ubi olim positum erat Corfinium. Accedit percelebre, ac stupendum prorsus Aquaeductus opus, quo ab Sagittario amne per montem perforatum, atque effossum plusquam per mille passuum aqua in urbem derivabat; irrefragabile quidem vetustatis monumentum, quod neque temporum iniuria deleri potuit, ut antiquae urbis positum neque post futurae ignorarent aetates.

Postremo et huc facit, quod innumera prope litterata Corfiniensium marmora ex Pentimae latifundiis, atque ex iis, qui in proximo sunt, *Sancti Pelini campis*, ubi magnificentissimae urbis rudera perspicne visuntur, emerserint; quae sparsim pro re nata huc illuc in nostrum commentarium adduximus, praeter ea, quae velnti extra opportunitatem, modo in unum collecta, huc adsportamus.

I (*a*)

IVLIAE . DRVSI . F
AVGVSTae
ti. CAESARIS . ET drnsi.germanici
MATRi

Iulia,

(*a*) In agro Pentimano in ruinis veteris Corfinii. Nunc Populii extat.

Iulia, quae et Livia, Tiberii Caesaris Augusti perpetuo Mater in antiquis inscriptionibus audit, ex adoptione nimirum, qua Tiberius Augusti filius evaserat,

II (b)

SER . CORNELIO
SER . F . P . NEP . P . PRO
NEP . P . ABNEPOTI
DOLABELLAE . METILIANO
POMPEIO . MARCELLINO
III . VIR . A . A . A . F . F
SALIO . PALAT . QVAESTOR
DIVI . TRAIANI . PARTHICI
SEVIR . EQVIT . ROM . TVRM
III . PR . COS . FLAM . QVIR
CORFINIENSES . PVBLICE . PATRONO

In Corneliae gentis clientela, sive antiquitate generis, sive multis, ac magnis in Rempublicam meritis splendidissimae, Corfinienses fuisse ab elegantissimo saxo admonemur. Pauca attamen habeo, ac fortasse adprime digna

(b) Satis mendosam dedit Gudius p. cxxi. 8. Mendosissimam Muratorius p. cccxiii. 2. Sed mox emendatiorem rursus p. mxli. 3.

gna, quae vel cursim adtingere pretium operae erit. Ac primum de Serv. Cornelii huius Consulatu, tametsi ignoto adhuc, non esse prorsus dubitandum, ipso vindice lapide censeo. Miror tamen in id fallaciae incidisse Clarissimum Muratorium (*Thes. Inscr. p.* CCCXIII. 2.) ut hunc non alium, quam Servium Cornelium Dolabellam autumaverit, qui Consul an. LXXXVI. cum Domitiano processit, de quo Iulius Capitolinus in Anton. Pio: *Ipse Antoninus Pius natus est XIII. Kal. Octobris Domitiano duodecies, et Cornelio Dolabella Coss.* Quid? ac qui pote, ut qui cum Domitiano Consul, nunc sub Traiano Quaesturam gerat? Potius id vero arbitror simile, patrem illum fuisse huiusce nostri, quippe Servii filius in Corfiniensi audit. III. VIR. A. A. A. F. F. idest *Triumviro auro, argento, aere flando, feriundo.* Quo Tullii pertinet locus *Ep. Fam.* VII. 13. satis tritus: *Treviros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, aere essent.* Quo, opinor, loco adductus Cl. Vrsinus in Gente Cornelia *p.* LXXXV. monetales istos Tullii aetate, vel paullo ante creatos suspicatur. At omnino fallitur vir doctissimus, nec tantum ex auctoritate Pomponii *L.* 3. *D. de Orig. Jur. Eodem tempore* (quo capitales) *creati sunt triumviri monetales, aeris, argenti, auri flatores* ante captam Sardiniam scilicet, ducentis prope ante Ciceronis aetatem annis; verum etiam quod fasti Capitolini triumviros capitales satis aperte anno CCCCLXV. innuant institutos. Postremo peremptorium habeo et apud Fabrettum *Cap.* x. *n.* 553. veteris inscriptionis fragmentum................................

III. VIR. A. A. A. F. F. COS. CVM. M. PERPENA. Is est C. Claudius P. F. qui anno DLXXIV. (nimirum prope centum antequam Tullius inclaruisset annis) cum M. Perpena Consul processit; quique honorum suorum tirocinium in triumviratu monetali posuerat. Fuit enim in multis primus ad honores gradus triumviratus iste, uti tum ex Corfiniensi lapide, ac aliis passim, tum dilucide vero ex Tullio constat *Lib.* III. *de Leg. Cap.* III. *MINORES MAGISTRATUS aes, argentum, aurum publice signanto.*

Atque haec de magistratus antiquitate; nunc quamdiu perdurarit, videndum; idque ex litteratis lapidibus (quando nulla heic ex nummis, et scriptoribus lux) eruendum. Profecto autem falluntur, qui, quod nullam post aevum Augusteum horum triumvirorum mentionem in nummis animadverterint, abolitos eos sub sequentibus Imperatoribus suspicantur. Nam ecce sub Tiberio, Claudioque Caesaribus Plautii duo, unus *P. Plautius Pulcher* apud Grut. *p.* CCCCLII. 5. alter vero *Ti. Plautius Aelianus Comes Claudii Caesaris ibid. p.* CCCCLIII. 1. uterque ante alios a se gestos magistratus III. VIR. A. A. A. F. F. fuit. Porro hic recensendus *M. Aruntius Aquila* III. VIR. A. A. F. F. in lapide Patavino ap. Grut. p. CCCLVI. I. qui quamvis incertae aetatis adhuc usque habitus, extra tamen omnem dubitationem est, ad Vespasianeum aevum pertinere, quo imperante C. Aruntius Catellius Celer, et M. Aruntius Aquila Consules processere. Adhaec sub Traiano Caesare *C. Iulius Proculus* III. VIR. A. A. A. F. F. in

vete-

veteri lapide Antiati occurrit apud amicissimum Caietanum Marinium *Mar. Alban. Class.* III. *n.* 44. Alius nescio quis in mutilo lapide Gruteriano p. CCCCXCVIII. 5. aevo Hadrianeo III . VIR . MONETALIS . A . A . A . F . F . memoratur; tum *L. Fulvius C. F. Popin. Aburnius Valens* III . VIR . A . A . A . F . F . sub IMP . HADRIANO AVG . II . COS . idest anno Christi CXVIII. quo Hadrianus Consul iterum processit ([a]) apud Murat. p. DCCIV. 1. Et *A. Gabinius M. F. Quir. Priscus* III . VIR . A . A . A . F . F . sub Imp. Caes. Hadr. ap. Gud. p. CXXV 6. Item sub Imp. Caes. Antonino Pio *Annius Ravus* TRIVMVIR MONETALIS . A . A . A . F . F . in inscriptione ap. Maffeium Mus. Veron. p. CCCXX. 2. Rursus sub Severo, et Caracalla ap. Grut. p. CCCCXVII. 5. *Q. Hedius Gentianus* III . VIR . A . A . A . F . F . ac sub eodem Caracalla *ibid. p.* CCCLXXIX. *C. Caerellius Politianus* III . VIR. A. A. A. F . F . Etsi in hoc ultimo desideretur apud Boissardum το . III . VIR . A . A . A F . F . Taceantur iam mihi alii incertae aetatis quatuor, ut ap. Gruterum p. CCCC. I. *C. Curtius C. F. Pollia Rufinus*, et in Brundusino p. CCCCXXVII. II. *C. Laecanius Sab. Bassus Caecina Flaccus*, qui eo triumviratu fungebantur. Sed et apud Reinesium *Cl.* I. *n.*157. qui-

(*a*) Fabrettus p. 677. habet ex schedis Barberinis III . VIR . A . RA . F . F . notasque legit: *Triumviro a rationibus fisci frumentarii*. Sed Gorius ex marmoris fide Florentiae ap. Carolum Strozzium lectionem in integrum restituit; III . VIR . A . A . A . F . F .

quidam *L. Atronius* III . VIR . MONETALIS habetur, itemque apud Fabrettum *p.* 691. *M. Cassius Paullinus* III. VIR . A . A A . F . F . et ap. Murat. p. DCCXIV. 6. *Q. Licinius Proculus* III . VIR . AD . MONETAM . Sed hi inquam incertae aetatis.

Succedit iam L. Ti. Claudius Aurelius Quintianus in veteri marmore Campano, quod vidi egomet Casapullae apud Peregrinios: L . T . CLAVD. AVREL . QVIR . QVINTIANO . TRIVMVIRO . MONETALI . A . A . A . F . F. QVAESTORI.CANDID . PRAET . COS . PONTIF . TI. CL . FELIX . II . VIR . AMICO . INCOMPAR . L. D. D . D, qui Consul processit sub Maximino, anno nimirum CCXXXV. quique initio a se gestorum honorum Triumvir Monetalis fuerat. Nec non sub Gordianis alter, de quo inscriptio exstat apud Sponium *Miscel. Erudit. Antiq. p.* CCLXXIII. VENERI . SACRVM . PAVLLVS . L . L . AEGIVS . PASSER . III . VIR . A . A . A . F. F . PROCVRAT . PATR . IMP . CAES . GORDIAN . AVGVST . VOTO . SVSCEPTO . L . M .

Post ea tempora nihil de his III. Viris invenio. Sub Constantino certe alia prorsus Reipublicae facies fuit. Procurator Monetae sub Constantino M. occurrit in lapide ap. Murat. p. CCLX. 3. VAL. PELAGIONE. PROC. S. MV. quem ipse interpretatur: *Valerio Pelagione Procuratore Sacrae Monetae.* Attamen falsa omnino est Muratoriana lectio. Nam ad basim incisum: VAL. PELAGIOVE PROC. S. MV. VNA CVM PP. ET OFFICINATORIBVS, quam ita lego: *Valerio Pelagio Viro Egregio Procuratore Sacrae Monetae una cum Praepositis, et Officinatoribus.*

T Prae-

Praepositos Monetae habes ex Marcellino L. XXII. C. II. et ex lapide Musaei Albani ap. Marinium Nostrum p. 109. Officinatores vero occurrunt apud Grut. p. XLV. 3. et p. LXXIV. 1. Scio posteriori aevo officinam monetariam ἁπλῶς *Monetam* adpellatam, ut non raro in Codice Theodosiano, et Iustinianeo. In veteri descriptione Constantinopoleως: *Monetam, portum Theodosiacum* cet. Ammianus XXII. 11. *Aram in moneta .... evertit.* Et apud Grut. p. CCCCXCIII. 3. MONETAE TRIVERICE. Et in nummis Antiochiae in Syria apud Eckel *Doctr. Num.* tom. I. Par. III. MONETA VRBIS. Hinc et Procurator monetae Triberorum in *Notitia Imp. Occid.* Sane Procuratores isti veteribus triumviris successisse videntur (*a*), qui et *monetam regere* Ammiano ibidem dicuntur.

SALIO PALAT. *Salio Palatino.* Patricii tantum in Saliorum collegium inaugurabantur, quos *decore conspicuos* Dionysius Halicarnasseus adpellat, et Romanorum nobilissimos Lucianus, tum et lectam iuventutem patriciam Lucanus. Porro Saliorum omnium Quirinalium, Collinorum, Albanorumque antiquissimi SALII PALATINI; quippe a Numa instituti. Horum sacra in monte Palatino peragebantur, teste Dionysio Lib. II. *Salios ipse Numa e patriciis delegit, iuvenes decore conspicuos, duodecim numero, qui sacra in Palatio celebrant, et Palatini cogno-*

(*a*) Quod nemo inficiabitur. Attamen non id praeteream, procuratorem huiusmodi sub Lucio Aelio Caesare mihi nuper occurrisse in veteri lapide, cuius exemplar, dum in his versabar, ab doctissimo viro Ennio Quirino Visconti accepi, ubi: *L. Domitius L. F. Quir. Rogatus PROC. MONETAE. AVG. ab. epistul. Lucii. Aelii. Caesaris* dicitur. Quid si et aevo Traianeo? Lapidem habes ap. Fabrettum Cap. III. p. 469.

gnominantur (*a*). Eorumdem meminit vetus inscriptio Neapoli in Ecclesia Virginis Coronatae: L. CAESONIO L. F. QVIRINA ORCINIO RVFINO MANLIO BASSO CLARISS. VIRO SALIO PALATINO PONTIFICI MAIORI PRAETORI QVAESTORI CAESONIVS HEDVLVS PROC. PATRIS, quam vel ideo adtulisse non piget, ut Reinesiana lectio *Clas*. VI. *n*. 17. corrigatur.

SEVIR. EQVIT. ROM. TVRM. III. *Seviro Equitum Romanorum turmae tertiae*. Haud infrequens horum mentio in antiquis titulis (*b*); tametsi vix pauca ex scriptoribus. Atque non parum doleo in primis, quod Cl. Muratorius ad inscriptionem p. DCCXXVIII. 2. ubi SEVIRO EQVITI. ROM. haec interpretationis ergo adpinxerit: *idest Sevir et Eques Romanus*. Nimirum praeterfugerat virum profundissimae doctrinae, rem ibi esse de SEVIRO EQVIT. ROM. idest *Seviro Equitum Romanorum*. Equites Romani, maximeque qui equo publico honorati (*c*), sex in turmas erant divisi. At vero quum tres seniorum, tresque iuniorum essent turmae (quae et *cuneus iuniorum* vocabantur, teste Tacito *Annal. Lib.* 11. *Cap.* LXXXIII.),

* tres

(*a*) Livius *Lib.* 1. Plutarch. *in Num.* Fabr. *Cap. II. p.* 115. Panvinius *Lib. de Civit. Rom.*

(*b*) Lapidem nuper in Cathedrali Ecclesia Gemonensi detectum, per omnia ferme huic nostro supparem, libens adscribam: *C. Matio. C. F. Collin. Sabino. Sullin. Vatinian. Anicio. Maximo. Caesulen. Martiali. Pisibano. Lepido. Allect. Inter. Quaest. Salio. Palatin. III. VIR. A. A A. F. F. Seviro. Equit. Roman. Flam. Iulian. Patricio. Praetori. Candidat. Cos. Curat. Et. Patron. D. D.*

(*c*) Passim in litteratis saxis *Equites Equo publico*, idest ab Imperatore honorati occurrunt. Ii qui sint, brevi aperiam. Equites Romani ii ab initio dicti, qui equo stipendium merebant; tum ii, quibus census erat equester; et qui demum comitiis centuriatis suffragium in equitum centuriis ferebant.

Primi

tres item et Seviri erant, qui senioribus, tres qui iunioribus praeerant; qui omnes et initio *Principes Iuventutis* salutabantur (*a*). At ubi Augustorum filii seviratum acceperunt, soli iam ipsi, atque in titulis praesertim, Principes Iuventutis adpellari coepti sunt. Hinc vetus inscriptio apud Murator. *p.* CLXXXIX. 3. NERONI . CLAVDIO . DRVSO . GER . COS . DESIG . EQVESTER . ORDO . PRINCIPI . IVVENT. Et passim in nummis, ubi Iuventutis nomine ipsum equestrem ordinem designari certum est. Nam Domitianus, qui in Vespasiani nummis *Princeps Iuventutis* adpellatur, expresse a Iuvenali *Sat.* IV. 2. 32. Princeps equitum dicitur.

CORFINIENSES PVBLICE PATRONO statuam posuerunt. Pari modo in lapide Puteolano: CN. ASINIO PVTEOLANI PATRONO PVBLICE; et in Atinati ap. Murat. *p.* MCX. 6. M. RVBRENO MAECIANO CIVI ET PATRONO ORDO ET PLEBPS. (sic) ATINA PVBLICE. Sane vero *τὸ* PVBLICE in bisce inscriptionibus idem est ac publico nomine, sive publica auctoritate, ut expresse quis-

Primi quidem, si census eorum non esset H. S. CCCC. plebs erant, et equo suo merebant, non publico; quod Tullius haud obscure indicavit *Philip.* V. *Cap.* VIII. Qui vero censum equestrem habebant, neque eos omnes equum publicum habuisse certum est; namque nonnisi spectatis adolescentibus tantum, ac Senatorum filiis equum a Censoribus datum scimus. Postremo qui in equitum centuriis suffragium ferebant, eos omnes equo publico donatos auctor est Tullius. Quum enim dixisset *Philip.* VI. positam L. Antonio statuam *ab Equitibus Romanis equo publico*, mox *Philip.* VII. L. Antonium patronum dicit *Centuriarum Equitum Romanorum*, eorum nempe, qui patrono Antonio statuam posuerunt. Quamobrem quum equitum centuriae ad primam classem pertineant, nullum hinc dubium, quin Equites equo publico ii fuerint, qui dignitate, ac auctoritate ceteris praestarent.

(*a*) Livius *Lib.* XLII. *Cap.* XLV. Tullius *Epist. Fam.* XI. *Lib.* III.

quisquis ex Tullio intelliget *Act.* II. *in Ver. Neque illam statuam esse ex pecunia publica, neque publice datam: sed eos qui hereditatis diripiendae participes fuissent, faciendam, statuendamque curasse.* Tum vero, sicubi aliquid sumptu publico fit, ut apud Cornelium in *Vita Aristid. Vt filiae eius publice alerentur.* Et apud Livium *Lib.* V. *Cap.* XXX. *Tegula publice praebita est.*

III. (*a*)

HONORE . AB . DECVRIONIBVS . POPVL
AVGVR . TR . MIL . A . POPVLO

AVGVR. Publici augures in coloniis, lege Triumvirali constituti, ex decreto decurionum creabantur. Quod vel ex tabula intelliges apud Gruter. *p.* CLXXII. I. Horum quanta fuerit apud veteres dignitas, adprime ex Plinio habemus, qui Traiani Caesaris indulgentia augur factus, haec ad Arrianum scribit Lib. IV. Epist. VIII. *Gratularis mihi, quod acceperim auguratum; iure gratularis: primum quod gravissimi principis iudicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est: deinde quod sacerdotium ipsum cum priscum et religiosum, tum ho quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi. Nam cetera, quamquam dignitate prope- mo-*

(*a*) Vetus fragmentum Pentimae ad Sacellum Sancti Alexandri ex Muratorio *p.* DCCLXV.

modum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur; in hoc fortunae licet, ut dari possit.

TRIB. MIL. A. POPVLO. *Tribunus militaris a populo* idest Comitiatus. Quis hìc prorsus alucinatum non sentiat Hultnannnm *Misc. Epigr. p.* 172. qui alios alucinatos queritur, quod in litterato Musei Veronensis lapide ap. Maffeium *p.* CXIX. 6. P. BAEBIO. P. F. POB. TUCIANO. TRIB. MIL. A. POPVLO. PRAEF. EQ. *cet.* το *Trib. Mil: a populo* de tribuno militum comitiato intelligant? Sane nulla tam gravis alucinatio, quam sui ipsius, qui *a populo* interpretatur A POPVLONIA. Quo quid ineptius? Nec minus equidem miror, virum clarissimum Muratorium, Tribunos hosce a populo non vidisse in veteri lapide *p.* CCCCLXXXII. 2. ubi ad vers. TRIB. MILIA POPVLO, haec adnotat: *vitium habes, neque legens* TRIB. MILIT. *idest Tribunus militum, vulnus sanare potes*. Atqui nullum ibi vulnus, neque medico indigebat, si TRIB. MILI. A POPVLO (*a*) vir subactissimi ingenii legisset. Comitia autem veteri more etiamtum sub Augusto habita vel ex Tacito constat *Annal. Lib.* 1. *Cap.* XV., qui Tiberium a campo ad patres ea transtulisse auctor est. Vnde et de Caio Caesare prodit Suetonius in *Cai. Cap.* XVI. *Tentavit et, comitiorum more revocato, suffragia populo reddere.* (*b*).

IIII.

(*a*) Atque sic in lapide, qui non Romae, ut ponit Muratorius *loc. cit.*, sed in pago Galiani prope Aquilam adbuc prostat.

(*b*) Atque de Tribunis militum certe Livius auctor est *Lib.* VII. vel ab anno V. C. CCCXCIII. suffragiis populi eos creari coeptos; quum antehac ab ipsis Consulibus eligerentur. Tametsi vero variatum aliquando eo in more, ut ex eodem Livio *Lib.* IX. ad an. CCCCXLIV. tamen ad extrema usque tempora sub Im-

IIII.

C. ALFIUS. T. F. MAXIMVS
PECUNIAM . LEGAVIT . L .
PERENNIO . C. F. RVFO . IS .
AEDEM . PODIVM . CRYPTAE .
PARTEM . FACIVNDA . CVRAVIT.
PROBAVITQ.

Gudius p. LXV. 7. sed ult. vers. legit FACIENDA. Fabret. Cap. IX. n. 183, sed tert. vers. legit IN.

PODIVM. Proiectura nimirum, quae in summo muro paullulum provehitur, atque propendet, unde et nomen (*a*). Id non amphitheatro tantum (*b*), sed ante aedes privatas etiam aedificare veteres consuevisse tradit Turnebus: *Si quis privatus ante aedes suas podium posuisset, aut moenianum proiecisset, eum id demoliri Cato apud Livium iubebat*: Porro etiam in Templis extructa ex veteri lapide Salernitano habemus apud Grut. p. *XCIV*. 2. TITTENVS. FELIX. AVGVSTALIS. SCRIBA. LIBRAR. AEDIL. CVRVL. VIATOR. AEDIL. PLEBIS. ACCENSVS. CON-

Imperatoribus adhuc viguisse Asconius testatur *Comment. ad Verrin.* sed id luculentius ex veteribus titulis. Vide nostros ex Pompejanis effossionibus infra, ubi de Augustalibus agemus; tum et lapidem Gruter. *p.* ccccxxxi. 1.

(a) Vitruvius *Reg. Sing. tit.* 13. podium circa aedem ex tribus lateribus fieri dixit, quando in fronte tantum gradus habet: spatiis nempe, quae inter stylobatas patent, infra columnarum spiras occlusis.

(b) De Amphitheatri podio vide Lipsium Lib. I. de Amphith. cap. XI.

CONSVLI. H. S. L. M. N LEGAVIT. AD. EXORNANDAM. AEDEM. POMONIS. EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM. INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA. MARMOREA. OPVS. TECTORIVM. (*a*). Nimirum templi podia ista ad profanam arcendam turbam porticibus erant circumposita. Quid si et podia in aris? Lapis apud Grut. p. *DCCIII* 1. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX TABVLA. AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN CAPITOLIO AD. ARAM. GENTIS. IVLIAE. DEFORAS. PODIO SINISTERIORE. Quum vero nulla templi mentio heic, sub dio potius constitutam arbitror aram, nec nisi ad loci religionem tuendam podio circumclusam; unde ap. Grut. p. *CLXXII.* 14. OPUS PODIO CIRCVMCLVDI.

CRYPTAE PARTEM. Crypta universim fornix subterranea audit. Hinc Iuvenalis *Sai. V.*

Et solitus mediae cryptam penetrare suburrae.

De Theatri crypta vetus lapis Interamnae apud Fabrettum *Cap. IX.* n. 160. C. DEXIVS. L. F. MAXIMUS. AED. CVR. PORTICVM. THEATRI. CRYPTAM. PERFICIENDAM CVRAVIT. cet. Sed et sacella subterranea, ac fornicata quandoque cryptae nomine dicebantur, ut apud Petronium C. XVI. *Quartillae sacra ante cryptam turbasti.* Praeclarissima hanc in rem, dum haec scribo (an. 1817.), eruta est Pompeiis inscriptio: EVMACHIA. L. F. SACERD. PVB. NOMINE. SVO. ET. M. NVMISTRI.

(a) Vid. eumd. lapid. ap. Aldum in Orth. p. 338.

STRI. FRONTONIS. FILI. CHALCIDICVM. CRYPTAM. PORTICVS. CONCORDIAE. AVGVSTAE. PIETATI. SVA. PEQVNIA. FECIT. EADEMQVE. DEDICAVIT.

CVRAVIT. PROBAVITQue. Nihil in operum publicorum titulis frequentius, quam hoc ὁ δεῖνα: *faciundum curavit, idemque probavit.* Fundis in Campania lapis apud Grut. *p. CLXVIII.* 1. AEDILES. PORTAS. TVRREIS. MVRVM. EX. S. C. FACIVND. COERARVNT. EIDEMQ. PROBARVNT. Et ibidem p. *CLXXXVII.* 4. P. LENTVLVS. CN. F. SCIPIO. T. QVINCTIVS. CRISPINVS. VALERIANVS. EX. S. C. FACIVNDVM. CVRAVERE. IDEMQUE. COMPROBAVERE. Id, quid sibi velit, paucis expediam. Sane ad magistratus, sive operum curatores, exactoresque pertinebat, opera quae redemptoribus facienda locaverant, de iis cognoscere, tum et probare, si quae receperant, facto praestitissent (*a*). Nec nisi in eorum gratiam probatio ipsa operum titulis inscribebatur; ne si ea vitium facerent, redemptorum malo verteretur. Atque hinc et publicos architectos magistratibus fuisse patet, quos certe Rullum decemviris suis constituisse tradit Tullius *De Leg. Agr. Or. II. cap. XII. Deinde ornat apparitoribus, scribis librariis, praeconibus, architectis.*

(*a*) Livius *Lib. IV.* cap. XI.

V.

CN. ZECHIVS. T. F. PHARETRATUS
VIVENS . SIBI . ET . POST . AEDIFICAVIT . ET
VIAM . PVB . CVRATOR . INCVRIA . INVIAM
PRIVATO . SVMPTV . PVBLICAE . COMMODITAT
RESTITVIT

Murat. p. *CIↃLXXXVII.* 4. nunc Populii extat.

VIAM PVB. CVRATOR. INCVRIA. INVIAM. Satis arroganter dictum, maxime in publico hominis privati monumento. Certe idem sonat, sed minus invidiose quod in inscriptione habemus Imp. Caesari Vespasiano Augusto posita apud Gruter. p. *CCXLIII.* 2. QVOD VIAS VRBIS NEGLIGENTIA SVPERIOR. TEMPOR. CORRVPTAS. INPENSA SVA RESTITVIT.

VI.

VI.

OPERAE . VRB. SCABILLAR
Q. HONORIVS . ANTEROS . C. SALVIVS . PHILODAMVS . C . LVCILIVS . MALCHIO
L. AVFIDIVS . L . L . VTILIS . Q. ANCILIVS . HEROS . . . .
C. LVCILIVS . LVPERCVS . C . RV . . . . . . OF . . . . . . FELIX. . . . . . .
L. PETICIVS . PRIMVS . L . HELVIVS . PROBATVS . Q. CORNELIVS. P. F. NIGER
L. CORNELIVS . MODESTVS. L. ACCAVVS. PHILADESPOTVS . C. . . . SECVNDVS
L. CORNELIVS . PRIVATVS . L . VESCLARIVS . AVCTVS. . . . .
C. ATTIDIVS . FAVSTVS. . . . .
P. OCTAVIVS . PHILEROS . L . OCTAVIVS . ALEXANDER . . . .

Foede corruptum produxit Fabrettus Cap. XIX. n. 40. tum antea Gruterus p. CCCCLXVII. 7. demum paullo emendatius Murat. p. DCXXXI. 1.

OPERAE . VRB . SCABILLAR . Scabillariorum operas apud Corfinienses obtinuisse praegrande saxum edocet. Porro musicorum genus id fuisse, nemo, cui scabillorum in antiquitate compertus sit usus, inficiabitur. In sacris enim scabilla pedum pulsibus sonare tibicines consuevisse, auctor est Statii interpres *Ad Theb. VII.* 170. Erant autem scabilla instrumenta quaedam ex ligno, scabellorum instar fabrefacta, quae pedibus, et sandaliis quidem, vel ferreis, vel ligneis concutiebantur. Unde scabillorum crepitus apud Arnobium Lib. VII. *Quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum.* Verum non in sacris tantum huiusmodi crepitaculi genus obtinuisse, sed in theatris quoque, ex Tullio pronum est ediscere Orat. pro Coel. Cap. XXVII. *Mimi ergo est*

* *exi-*

exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant. Qno diserte facit Suetonius in Calig. Cap. LIV. *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu: et quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaque, et extrema metuentes super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum, et scabellorum crepitu cum palla, tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.* Ex quo et id opportune edocemur, quod Lucianus περι ορχησεως testatur, scabillorum crepitacula fere semper cum symphoniis, tibiis, cymbalis, aliisque crotalorum generibus iungi solita, ut ad ictum scabillorum, tibiarum incentiones moderarentur, et una etiam alia instrumenta, sicut eodem numero ac tempore simul concinerent omnia. Atque in hunc sensum accipiendus Vopiscus in Carin. *Item et centum salpistas uno crepitu concinentes, et centum camptaulas, choraulas centum etiam, Pithaulas centum.* Nimirum tot simul musicos ad unum crepitum aequaliter concinuisse vides. Atque hanc in rem egregius extat Sancti Augustini locus Lib. XVIII. de musica: *Quaero ex te, utrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quemdam numerum creare, ubi nullus finis certus appareat: veluti cum symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriant certis quidem numeris, et his, qui sibi cum aurium voluptate iunguntur, sed tamen tenore perpetuo, ita ut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, et unde rursus ad caput redeatur.*

At-

Atque de scabillorum usu satis; nunc vero aliquantulum in ipsum vocabulum inquirere necesse est. Miror equidem Casaubonum in Suetonii locum supra recitatum eo confidentiae devenisse, ut *scabelli* vocem non latinam, sed in latinitatem mox receptam autumaverit: *Eam vocem*, inquit, *non magis latinam puto esse, quam barbitus, sambuca, nabla, et alia pleraque omnia instrumentorum musicorum nomina: quae simul cum usu rerum, quas significant, in civitatem Romanam sunt admissa.* Quid at hoc? falsus ne Quintilianus *Lib. I. Cap. IV.* qui a scamno factum scabellum auctor est? Falsus ne Varro *Lib. IV. de Ling. Lat. Cap. XXXV.?* Quid diceret Casaubonus, si scabillarios in Corfiniensi inscriptione vidisset, quae purissimum latinitatis aevum sapit? Profecto enim a scamno diminutiva sunt *scabellum*, et *scabillum*, a quo *SCABILLARII* tum in Corfiniensi, tum in Fabrettiano Cap. V. n. 263. L. SVCCONIO. L. F. PAL. PRISCO. IIII. VIR. I. D. cet. OMNIVM. CORPOR. PATR. ITEM. TREBIS. DECVR. PONT. IIII. VIR. I. D. PATRON. MVN. DECVRIAE. III. SCABILLAR. VETERES. A. SCAENA; tum *scamellum*, et *scamillum* (de quo Apuleius *I. Hermag. Verum infirma scamillorum obice fultae fores*), unde SCAMILLARII in lapide Spoletano apud Grut. p. CCCCLXVII. DIS. SYRIIS. M. SEPTIMIO. M. F. HOR. SEPTIMIANO. EQVO PVB. C. ALBICIVS. C. L. RESTITVTVS. IIII. VIR. I. D. PRAEF. FABR. ROMAE. DEC. IIII. SCAMILLAR. OPERAE. VETERES. A. SCAENA. PATRONO. OB. MERITA. EIVS. L. D. D. D. Ex quo probe iam

iam tenes, *scabillariorum operas* in Corfiniensi inscriptione easdem esse, quae in Spoletana *scamillariorum operae* audiunt.

Porro Scabillarios, vel scamillarios ad collegium artificum pertinuisse, tum ex saxo Spoletano fit palam, in quo adposite Decuria IIII. signatur, tum ex Romano prope rupem Tarpeiam reperto, quod ex Gudianis producit Petrus Relandus in Fastis Consularibus p. XIX. MINERVAE. ERGANAE. SACRVM. QVINQVENNALIT.... CORPOR. DENDROPHORI. TIGNARI. CASSARI. SCRINIARI. SELLVLARI. SCABILLARI. CARPENTARI KAL. MART. L. AELIO. COMMODO. ET. SEX. SEXTILIO. LATERANO. COS. Quibus et alii lapides accedunt Romae item effossi. Talis est, quem exhibet Ficoronius in *de* Personis Cap. 69. qui sic habet.... *PVBLIVS.... ETTHVRI VRIES SEV DE COLLEGIO SCABILLARIORV.* D. X. et iterum: M. OFANIUS. ARISTIONIS. D. XVI. FECIT. SIBI ET. M. OFANIO. PRIMO. FIL. COL. SCAB. Eodem modo apud Murat. p. DXXVIII. ex Donio: C. GALERIO. FORTVN. COLLEG. SCAB. DEC. X. P. ININIVS FELIX. D. S. Et ibid. p. seq. n. 2. DEC. XII. C. IVLIVS. CYTHISVS. COLLEG. SCABILLARIORVM.

VII.

VII.

SEX . BETTIVS
SEX . L . ELEVTHER . PISTOR
VIVVS . SIBI . ET . FORTV
NATAE . FILIAE . PIISSIM
VIX . ANN . VIIII . DIES . XVII
ET.CERVIAE.SEX.L.HYMNIDI
(sic)
CONTIBERNALI . SVAE
L . D.

Perperam Gudius p. CCXXX. 8. *Bittius* pro BETTIVS; Elbuthir pro ELEVTHER. *Pisor* pro PISTOR. deest FORTVNATAE FILIAE. *Himniadi* pro HYMNIDI. *vivae* pro SVAE.

De Pistoribus plura notatu digna habes apud Plinium *Lib. XVIII. cap. XI.* De Pistorum Corpore passim antiquae inscriptiones. Apud Grut. p. LXXXI. 10. *ANNONAE.SANCTAE.AELIVS.VITALIS. MENSOR. PERPETVVS. CORPORI. PISTORVM. SILIGINARIORVM.* Et ap. Mur. p. DCCXXI. 1. *CORPVS. PISTORVM. MAGNARIORVM.* ET CASTRENSVM. Pistoriae artis instrumenta sculpta vidisse memini in antiquo marmore apud Fabrettum. De ara Iovi Pistori a Romanis dicata vide *Dissert. X. in Antholog. n. 22.*

VIII.

VIII.

C . ANTONIO AVDACI C . ANTONIVS IVSTVS . FILIVS ET . C . A......A PYR..........SIBI ....

Gudius p. CCLIII. 5. perperam legit *Canionio* pro C. ANTONIO.

IX.

D. M. P . NYMISIO . P . L THERMODONT DANNIA . CALLI TICE . MARITO BENEMERENTI ET . PROTECTVS . P

Idem p. CCLXXXI. 10. male legit Protoctenus pro PROTECTVS. Vide Muratorium pag. MCCCLXXXI. 14.

X.

L . ACCAVO . L . L PHILEROTI . ACV ARIO . LOLLIA . Ɔ . L FAVSTA . POSVIT

Murat. p. CMXXXV.

XI.

C . LVCILIVS ARCESTVS M . D

Idem p. MCCCLXXXIV. I.

Quid at *Acuarius*? acusne qui conficit, an qui vestimenta resarcit lacera? De acuario exstat et Fabrettianum marmor p. 308. n. 315. D. M. SYNTHROPHO . ATTIANI . SER . ACVARIO . VETTIA . RESTITVTA . CONIVGI . B. M. FECIT.

XII.

XII.

C . OPSIO . TCYMNO
HELVIA . FAVSTA . CONIVXS
ET . HELVIA . SCYMNIS . FILIA
P

Murat. p. MCCCLXXXIV 1

XIII.

D . M . S
C . IVLIO . C . L
EVANGELO
ET . GRATO
FILIO . EIVS
QVI . VIX . A . III . M . X
PAELINA . MATER

Extat Populii in hortis Ducis.
Gud. p. CCXXXVII. 4p. et
Mur. p. MCLXXVII.

XIIII.

IVLIE . BASILIAE . CONIVGI
DVLCISSIMAE . FEMINAE . QVAE
VIXIT . ANNIS . XVII . AVRELIARDVS
MARITVS . ET . FLAVIVS . FORTVNATVS . ET
B . M . POSVER

Detectus lapis anno MDCCLXXXII. in ruderib. Corfinii.
Nunc Sulmonem adsportatus apud Hannibalem Corbum.

X XV.

XV.

AP . FAVST . NVMISINAE . CONIVGI
CASTISSIMAE . ET . INCOMPARABILI
ADFECTIONE . FEMINAE . CVM . QVA . VIXIT
ANN . XVII . MENS . XI . DIEB . XXV . CVIVS
DE . OBSEQVIS . REFERRE . MINVS . SVPPLET
DOLOR . HVIC . OB . MERITA
Q . HERCVLANVS . MARITVS
VNA . CVM . PIGNERIBVS (sic) . DE . EA . NATIS
DIS . MANIBVS . LOCVM . CONSECRAVIT

Deturpatam dedit Gudius p. DCCCVII. 12. Perperam is vers. 1. legit *P. Memisianae Vxori*. tert. et quart. vers. deest *cum qua*, usque ad DIEB. XXV. Quinto vers. pro REFERRE legit *Dicere*. Octavo versu legit *defanatis*.

XVI.

XVI.

Supplementum Auctoris

DIS . MANIB	*us*
VLPIAE . EPHIRE	
ACHILLA	*Mater · f*
BENEMER	*enti*
REDDERE . TE . FATIS . EPHIRE . SI . POS	*sit · Achilla*
PARTITA . TECVM . VIVERE . LV	*ce · velit*
CONDITA . TV . PLENO . SECVRA	*quieveris · aevo*
FRIGORE . QUA . GELIDO . TUSCVLVS	*alget · ager*
QVAQVE . VIA . SILICEM . TERIT . ORBITA	*et · ungula · currus*
ET . DAT . POST . DECIMVM . TERTI	*a · signa · lapis*
HIC . FINEM . DOLOR . ALTVS . HABET	*tua·ubi·addita·sedes*
QVAE . DABIT . ADFECTO . NOMI	*ne · posse · frui*
HVC . ANIMAM . TRANSMITTE . TVAM . P	*ulcherrima · nata*
ADSIDVE . VOTIS . AD . PIA . SA	*cra · veni*

Mutilum marmor pulcherrimum apud Murat. p. MCCCCXXII. n. 9. quod in hunc modum suppleri posse reor.

XVII.

PVBLICIA . REPARATA
MIHI . ET . TIBI
MARCO . ALLIDIO
OB . . MEMORIAM
FECIT

Apud Fabrettum Inscr. antiq. Cap. X. n. 254.

XVIII.

D. M.
FORTVNATAE
VIX . ANN . XX
DIEBVS . XIV
ANNIA MARSILIA
MATER
FILIAE.PIISSIMAE
P

Dedit Gudius p. CCXXXV.

XIX.

ANNIOLENA
Q . L . ARIADNE
ANN . III
Q. ANNIOLENVS
Q . L . XANPHVS
P

Murat. p. MDCXXXII. 2.

XX.

FLAVIAE.T.L
PERGAMIONI
SEX . FLAVIVS
PRIMVS.VXORI
P

Murat. p. MCCCXLII. 12.

XXI.

POMPVLLIAE . Ɔ . L
APATENI . ANTEROS
P

Murat. p. MDXXVI. 3.

XXII.

AGAPHE . ME
RIANO . AVLI
PRISCI . SERVO
AGAPHE . TYCHE
ET . AGRESTES
PARENTES
FILIO . DVL
CISSIMO
POSVERV

Murat. p. MCXXIII.

XXIII.

MARITIMAE
LVCILLAE . BENIGNAE
LVCILIVS . NEO
P

Murat. p. MCCCCLXXXII. 4.

Demum vero, ne quid praetermittere videar, quod ad Corfinium pertinet, neque micis me hoc postremo loco prohibebo. Huiusmodi est gemma litterata, quam superiori anno MDCCLXXVIII. Andreas Pagonatius ad Pentimae viciniam in ipsis quidem veteris urbis ruinis detexit, quamque mecum Alphonsus Ayroldius Archiepiscopus Heracleensis humanissime communicavit. Inscriptio haec est:

DOMITI
ESVTERE
FELIX

idest *Domities utere felix*. Quam scilicet adprecationem vel artifices solebant operibus insculpere, gemmis nimirum, pateris, et aliis hoc genus cimeliis, quum absoluta iis redderent, quorum gratia erant elaborata; vel ut plurimum illi-met, qui ista dono dabant cimelia. Huiusmodi est patera vetus ex aere apud Bonarottium *Numism. Tab. XXXVII.* in qua graphio expressae bestiarum immanes aliae, quaedam cicures, venationis argumentum, atque hae infra; in medio vero clypeolum nudum; superiori parte aquila cum fulmine; utrinque demum quini milites, scutati omnes, cum inscriptione:

AVRELIVS CERVIANVS
VTERE FELIX

Talis est et gemma Sponiana *Misc. Er. Antiq. p. 297. n. XI.* tum et Medicea in Regia Dactyliotheca, quae delphino et papilione ornatur, inscriptionemque habet EYTYXEI. i. e. *Sis felix.* Porro huiusmodi adclamationem in nuptiis maxime obtinuisse, praeter cetera multa, argumento est gemma Goriana ex iaspide viridi *Inscr. Antiq. Tom. I. Tab. X.* in qua Sponsi, et Sponsae manus iunctae visuntur

in fidei coniugalis indicium, cum inscriptione: VT. FX. idest *utere felix*. Immo recens nuptis ubi claves, et sigilla etiam obsignatoria ad domesticae supellectilis custodiam traderentur, non raro iisdem ista insculpta adprecatio; cuiusmodi est sigillum aheneum ap. eumdem Gorium *Loc. cit p.* 458. cui inscriptum: VT. F. VT. F. Atque haec, quae dicerem habui; plura dicturus, ubi ad cetera passim deveuero marmora.

CAPUT III.

Postrema prioris lineae pars restituitur. Supplementi ratio. Mammius Corfiniensium Patronus. Plura de Coloniarum, Municipiorumque Patronis.

PATRONO PRAESTANTISSIMO.

Quum ex priori hac nostri tituli linea nonnisi elementa sex supra quadraginta exciderint, uti supra adnotavi, horum viginti quatuor iam dextero lateri restituere conatus sum; remanet nunc, ut quae adhuc viginti duo ad occludendum laevum latus, totamque proinde integre integram restituendam lineam desiderantur, adponam. At eccur voce PATRONO, non alia, laevam hanc superioris anguli partem adaequaverim, in promptu ratio est, eaque meo quidem iudicio certissima. In prototypo namque inscriptionis, quod ex contactu marmoris ad amussim exprimendum curavit humanissimus Franciscus Gasparrus Sulmonensis, post

STVMIO. TITIANO. V. CONS. PROCOS. PROV. AFRICAE cet. PATRONO. PRAESTANTISSIMO. Et *p. CCCCLXXIV.* 3. *BETICIO. PERPETVO. cet. THVSCI. ET VMBRI. PATRONO PRAESTANTISSIMO.* Et Puteolis ap. Murat. *p. DCCII.* 3. *Q. FLAVIO. LOLLIANO. DEKATRENSES CLIENTES. EIVS. PATRONO PRAESTANTISSIMO.* Quid reliqua persequar (a)? Veniamus ad rem nostram.

Solemne coloniis, et municipiis fuisse se in illustrium virorum clientelam recipere, nemo est qui ambigat (b). Moris antiquitatem prodit Dionysius Halicarnasseus *Lib. II. Hist.* quippe vel ipsa prima urbis aetate testatur, *non plebem modo urbanam in clientela patriciorum fuisse, sed colonias quoque, ac foederatas civitates, atque eos ipsos, qui victi essent, quorum ii saepe patroni exstitere, qui eos armis subegissent.* Sic Fabii Allobrogum, Marcelli Siculorum patroni fuerunt, quemadmodum a Tullio accepimus *Act. VI. in Verrem*, et Livio *Lib. XXXVI.* Patronos item suis temporibus urbibus singulis fuisse Appianus tradit Εμφυλ. *Lib. II. p.* 430. Απασαις πολεσιν εςι τις εν Ρωμη Πϱοςατης. Atque ipsius Tullii auctoritate scimus (*Or. in Pis.*) Capuanos in sua clientela fuisse, ut et Puteolani Brutos habuerunt patronos, Bononienses

Y An-

(a) Civitatum exemplo etiam collegia eodem titulo patronos suos honorabant. Ap. Grut. p. CCCLI. 1. COLLEGIVM PISTORVM PATRONO PRAESTANTISSIMO. Et *p. CCCCXIV.* 1. *CAPLATORES . PATRONO . PRAESTANTISSIMO*, et millies passim.

(b) Hanc consuetudinem Romulum in Rempublicam invexisse, arbitratus est Sigonius de *Antiq. Iur. Ital. Lib. II. Cap. IV.*

Antonios, Tralliani Flaccos, Lacedaemonii Claudios, Corfinienses Cornelios, atque Traiani Caesaris aetate, ut ex antiquo lapide, quem supra produximus, Sex. Cornelium Dolabellam. Porro patronorum erat civitates in clientelam receptas quoquo modo defendere. Ut enim inquit Dionysius Halicarnas. *Lib. II. Saepenumero Senatus controversias civitatum, ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque iudicia rata habuit.* Et Tullius *Orat. pro Sylla: Primum omnis Pompeianorum, colonorumque dissensio delata AD PATRONOS est; quum iam inveterasset, ac multos annos esset exagitata, deinde a patronis res cognita est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sylla dissenserit.* Quantum autem patronis istae deferebant clientelae vel ex eo uno disces, quod memoriae prodidit Paterculus *Lib. II. Cap. XXIX. Sub adventum in Italiam L. Sullae, Cn. Pompeius.... ad vindicandam, restituendamque dignitatem Patriae firmum ex agro Piceno, QVI TOTVS PATERNIS CLIENTELIS REFERTVS ERAT, contraxit exercitum.* Nimirum a parentibus ad filios dimanabant clientelae; id quod in ipsis stipulationibus profitebantur, quemadmodum mox ubi ad Corfiniensium Patrocinales Tabulas deveniemus, erit adnotandum. Atque huc facit, quod Dionysius idem testatur *loc. cit.* Per multas aetates permansit mutua patronorum, ac clientum copula, haud secus quam cognatae necessitudines, posteris per manus tradita. Et maxima laus erat nobilium habere clientes quamplurimos, non hereditariis tantum clientelis conservatis, verum etiam novis propria virtute comparatis; ingensque certamen

men erat utrisque, ne vincerentur mutua gratia, et benevolentia: clientes enim Patronis omnia pro virili obsequia praestare nitebantur, et vicissim patroni nullis corrumpi muneribus poterant, ut clientes molestari sinerent.

Ex adverso clientelam ipsam coloni, ac municipes tanti aestimabant, ut non unum quandoque, sed duos, vel plures patronos cooptare gratissimum habuerint. Id quod Caesaris auctoritate abunde confirmatur *Lib. I. Bel. Civ. Cap. XXXV.* Ait enim a Massiliensibus designatos *Cn. Pompeium, et C. Caesarem patronos civitatis, quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum, et Helvetiorum publice iis concesserint: alter bello victas Gallias adtribuerit, vectigaliaque auxerit.* Quid quod Tullius *Act. II. in Ver.* quum narrasset quae, se, et fratre praesentibus, in Curia Syracusanorum acta essent, haec e vestigio subdit? *Discessi cum fratre e Curia, ut nobis absentibus, si quid vellent, decernerent. Decernunt statim primum, ut cum Q. Fratre hospitium publice fieret, quod is eamdem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in aere incisum nobis tradiderunt.* Ex quo intelliges, Syracusanos praeter M. Tullium Ciceronem, etiam Q. fratrem habere Patronum gestivisse. De Puteolanis autem sic idem *Philip. II. Vexavit Puteolanos, quod C. Cassium, et Brutos patronos adoptassent.* Quid at couradendis immoror testimoniis? Nisi frequentissimum id coloniis fuerit, quaeso, eccur sibi tantopere plaudit Cicero, quod solus ipse a Campanis patronus fuerit adscitus? En tibi ille contra Pisonem: *Quo-*

* *rum,*

rum, ait, *Capuae me praetextatum* (scilicet II. Virum, hi enim praetexta in coloniis utebantur) *nemo adspexit, qui non gemeret desiderio mei, cuius consilio cum universam rempublicam, tum ipsam illam urbem meminerunt esse servatam. Me inaurata statua donaverunt; ME PATRONVM VNVM ADSCIVERANT, a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur* cet. Et in Sextiana pariter gloriatur, quod Capua SE VNVM PATRONVM adoptasset. Quod idem Plutarchus *in Cicer.* satis insinuare videtur. Atque huc facit ipsa *cooptationis* vox, hac in re passim frequentissima, ut quum Plinius *Lib. IV. Ep.* 1. scribit, se a Tiphernatibus *paene adhuc puerum patronum cooptatum.* Nimirum id amplius ex eo palam fit, et pueris quandoque, iisque vel gratia, vel nobilitate illustribus civitatum delata patrocinia; quemadmodum de Puteolanis ex basi marmorea ap. Vignolium *Inscr. Select. p. CCCXIII.* accepimus, T. Annonium Boionium Chrysantium puerum egregium eiusdem ordinis, et populi patronum fuisse.

At vero praeter alias, easque insignes honoris significationes, quas in patronos suos ostentare municipia, coloniaeque solebant, maxime illud invaluit, ut statuarum honor, sive equestrium, sive pedestrium, vel ex marmore, aut etiam ex aere iisdem municipali Senatusconsulto decerneretur (a). Prostat adhuc, dum haec scribimus, vetus

(a) Praeter statuas video et Bisellium Patrono decretum in lapide Peltuinati ap. Mur. *p. DXLIV.* 1. NVMMIO IVSTO PLEBS PELTVINAS PATRONO OB EXIMIAM ADFECTIONEM EIVS QVAM VNICE EXERCVIT HVIC SPLENDIDISSIMVS ORDO BISELLIVM DECREVIT CVBITVMQVE CONCESSIT.

vetus lapis Neapoli in atrio Ecclesiae divi Antonii Abbatis extra portam Campanam: *L. MVNATIO CONCESSIANO V. P. PATRONO COLONIAE PRO MERITIS EIVS CIRCA CIVES cet. REG. PRIMARIA SPLENDIDISSIMA HERCVLANENSIVM PATRONO MIRABILI STATVAM PONENDAM DECREVIT* (a). Et in lapide Nolano: *POLLIO TVLLIO CLEMENTIANO cet. VNIVERSA REGIO ROMANA PATRONO PRAESTANTISSIMO STATVAM COLLOCAVIT.* Et in Salernitano: *ARRIO MECIO GRACCHO PATRONO COLONIAE SALERNITANORVM ORDO POPVLVSQVE SALERNITANVS STATVAM PONENDAM CENSVERVNT.* Facit huc, quod ipse de se Tullius testatur, huiusmodi honore, et quidem statuae inauratae, a Capuanis donatum *Orat. in Pison.* Idem et *in Ver. Act. VI.* statuas Marcellis, ut patronis posuisse Siculos scribit. Et *Philip. VI.* indignatur, statuam L. Antonio, tamquam populi Romani patrono, positam: *Adspicite*, ait, *a sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? Quinque et triginta Tribus Patrono Populi Romani. Igitur et patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem.* Et Seneca *de Benef. VIII. Nemo statuam sibi tamquam patrono ponit.* Statuam praeterea aeneam L. Baebio L. F. Gal. Cominio Neapolitanos posuisse, testis est inscriptio ap. Murat. *p. CXII.*

(a) Gruterus adfert. *p. CCCCXXXIX.* ex agro Neapolitano *Terra Alba*, pago scilicet ad Herculani viciniam. Capacius Hist. Neap. II. 9. in Herculani agro marmor effossum monet.

CXII. n. 6. ubi in fin. *PROPR. AFRIC. ET AEGYPT. CVRAT. VIARVM STERNENDARVM PATRONO. COLONIAE. H. V.* (i. e. honorato viro) *STAT. AENEAM S. P. Q. NEAPOLITANVS D. D. D.* Et ap. Grut. *p. CCCLXXXVII.* 2. *ORDO NARNIENSIVM VNA CVM CIVIBVS STATVAM CONLOCAVERE PATRONO DIGNISSIMO.* Quid plura? Sane quantum id increbuerit moris, vel ex uno Plinio est intelligere *Lib. cit. IV. Prius*, ait, *honos clientium instituit sic* (de statuis agit) *colere patronos.* Quid quod honorem eundem cum feminis communicatum, easque etiam coloniarum, municipiorum, praefecturarumque patronas adoptatas, innumera expresse produnt monumenta? Hinc apud Fabrettum *Cap. IV. n.* 115. *Olliana Attiana PATRONA MVNICIPII ET COLLEGII* audit, quem lapidem, absque Gorio esset, cui potius oppido referres, non haberes. Is enim Interamnae erutum testatur in Collectaneis Donii *Cl. V. n.* 56. Quo pertinet et lapis ap. Grut. *p. CCCCXVI.* 4. *Helvidia Burrenia Modesta PATRONA CIVITATIS INTERAMNAE.* Eodem modo *Cantia Saturnina PATRONA COLONIAE ARIMINENSIS* in lapide ap. Grut. *CCCXXII.* et ibid. *n.* 8. *Abieiena Balbina Flaminica Pisauri et Arimini PATRONA MVNICIPII PITINATIVM PISAVRENSIVM.* Et ap. Grut. *p. CDXLIII.* 6. *Nummia Varia Sacerdos Veneris Felicis PATRONA PRAEFECTVRAE Peltuinatium* dicitur. Consistamus hic. Nam de patronis abunde inferius, quum ad tabulas *patrocinales* sermo devenerit.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

Municipalia sacra quae. Coloniae propria, an Romanorum sacra habuerint. Tullius illustratur. Sigonius notatur. Pontifices in coloniis perpetui, an temporarii. An ad quinquennium creati. Quae Corfiniensium numina. Patria marmora producuntur.

PONTIFICI. Alterius lineae primam vocem vocabulo PONTIFICI esse restituendam, quovis pignore decerto. Verebar equidem antehac, ne quo alio verbo esset inscriptio restauranda; at ea dubitatio ex animo statim aufugit, quum vir diligentissimus Franciscus Gasparrus, litteris ad me datis tertio idus Februarias huius an. MDCCLXXXVI. de universa re me monitum voluit, atque, ut in marmore iacent, elementa descripsit, hac forma, quae quis non leget PONTIFICI? Atque haec de marmoris restitutione.

Porro autem, Italicas urbes propria habuisse sacra, iisque proprios praefuisse pontifices, antequam in easdem Romanorum deducerentur coloniae, scitissimum est. Hinc Tullius *pro Flacco: Sui cuique civitati religio est; nostra nobis. Et Lib. II. de legibus*, Arpinatium suorum antiqua commendans sacra: *hic*, ait, *sacra*, *hic genus*, *hic maiorum multa vestigia.*

Quam rem luculentissimo sane Tertulliani testimonio *Apolog. Cap. XXIV.* liceat confirmare: *Per ipsam quoque Italiam Municipali consecratione censentur: Crustuminiensium Belventinus, Narniensium Viridianus*,

nus, *Asculanorum Ancharia*, *Volsiniensium Nursia*, *Ocriculanorum Valentia*, *Sutrinorum Nortia*, *Faliscorum in honore est Pater Curis, unde accepit cognomen Iuno.* Accedit et Taciti auctoritas *Annal. Lib. III.* qui ab Antiatibus templum FORTVNAE EQVESTRI positum tradit, cuius nullum Romae tali erat nuncupatione. Qua de re S. C. decretum, *cunctas caeremonias Italicis in oppidis, templaque, et numinum effigies, iuris atque Imperii Romani esse.* Atque haec sunt, quae passim in antiquis inscriptionibus SACRA MVNICIPALIA (a), vel SACR. PVB. MVNICIPAL. adpellantur, ut apud Gruterum *p. LXVI.* 3. Nam expresse Festus: *Municipalia sacra vocantur, quae ab initio habuerunt ante Civitatem Romanam acceptam: quae observare eos voluerunt pontifices, et eo more facere, quo fecissent antiquitus.* Quo pertinent SACRA TVSCVLANA in lapide ap. Grut. *p. CCCCLXXIX.* 6. Et SACRA IVNONIS LANVVIANAE, ad cuius flaminem prodendum solemne iter instituisse Milonem Tullius testatur *Orat. pro Mil. Cap. X.* Nam locupletissimo auctore Livio *Lib. VIII. Cap. XIV. Lanuvinis civitas data*, *SACRAQVE SVA REDDITA*, *cum eo, ut aedes, lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset* (b).

Sed praeterea Coloniis etiam suos fuisse pontifices, qui sacris praeirent, adprime ex eodem Tullio patet *Agrar. II.*

(a) Sic apud Gudium p. XLV. *L. Calpurnius L. F. Gal. Silvanus flamen SACRORVM MVNICIPALIVM.*

(b) Pontifices Lanuvini non raro in antiquis inscriptionibus habentur. In arae Amiterninae titulo: C. GALLIVS. C. F. PROCVLVS PONTIFEX. LANVVINORVM. Vid. infr.

II. Huc isti decemviri, quum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, SEX PONTIFICES constituent. Quo facit Sorae in Campania antiquus lapis:

L. FIRMIO. L. F
PRIM. PIL. TR. MIL
IIII. VIR. I. D
COLONIA. DEDVCTA
PRIM. PONTIFICI
LEGIO. IIII. SORANA
HONORIS. ET. VIRTUTIS
CAVSSA

Tametsi vero nihil prorsus in veterum libris de Pontificatu extra Romam occurrat, passim tamen coloniarum, municipiorumque pontifices antiqua memorant marmora. Exstat adhuc Patavii vetus lapis, Salonae in Dalmatia detectus, cui lex dedicationis arae Iovis consignata apud Farllat. *Illyr. Sacr. tom.* I. C. DOMITIVS. VALENS. II. VIR. I. D. PRAEEVNTE. C. IVLIO. SEVERO. PONTIF. LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QUAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT. Et apud Gruter. *p. CCCV.* 10. Q. FLAVIVS. Q. F. POLLINVS. PONTIFEX. COLONIAE. SVTRINAE. Et p. CCCXLV. 8. P. AELIVS. FLAVIVS. PONTIFEX. COLONIAE. AVRELIAE. ANTONINIANAE. OVIL. Ibidemque *n.* 9, P. AELIVS. P. FIL. GENIALIS. PONTIFEX. COL. APVL. Et *p. CCCCXXVIII.* 9. M. SEVERIVS. M. F. FABVLATOR. IIII. VIR. PONT. COL. REIOR. APOLLINAR. Et p. CCCLXXXIII. M.

 CAL-

CALPVRNIO M. F. GAL. LVPERCO. AED. II. VIR. PONTIFICI. MANLIA. CN. F.

Nisi quod id disquirendum, Romana ne sacra cives Roma in Colonias deducti retinuerint, an propria urbium adsciverint, in quas habitatum concesserant. Equidem I. omni prorsus haesitatione abiecta, constanter teneo, novos colonos nonnisi Romanos deos, eorumque sacra, ac festos dies, ne dum collegia etiam, et sodalitates, quae Romae summo erant in honore, in colonias importasse (a). Quis enim ita sibi facile suaserit, Pontifices in coloniarum deductionibus, ex civium Romanorum numero electos, publicis populi victoris gentium sacris derelictis, in peculiaria cuique genti sacra transiisse? Atque id ipsum nihil aeque luculenter ostendit, quam vetus inscriptio Coloniae Pisanae, in qua T.

(a) Is enim populorum omnium communis, ac perpetuus mos fuit, ut ex Urbe migrantes patria sacra secum adsportarent. De coloniis Assyriis in Iudaeam deductis scriptum est *Lib. IV. Reg. Cap. XVII. diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant*. De Phocoeensibus tradit Strabo *Lib. IV. p.* 179. Dianam Ephesiam in suis coloniis, nec non et ritus, ac simulacrum ipsum; prout in metropoli adsueverant, coluisse. Dionysius *Lib.* I. *Cap. XXX.* ex eo Tyrrhenos negat Lydorum esse colonos, quod eosdem deos non haberent. Praeterea Corinthios Corcyraeis infensos Diodorus Siculus prodit *Lib. XII. Cap. XXX.* quia ex more reliquarum coloniarum sacra patria Corinthum mittere neglexerint. De Agrigentinis Polybius *Lib. IX. Cap. XXI. In summo vertice Minervae aedes visitur, et Iovis Atabyrii; sicut apud Rhodios; nam quum Rhodiorum colonia sit Agrigentum, iure merito hic deus eodem nomine colitur, atque apud Rhodios*. Demum nec id silentio praeteream, quod Pelasgica colonia populi Eumelidarum Neapolim deducta Eumelum Deum patrium coluerit; cuius rei testis locupletissimus est lapis Neapolitanus, quem primus edidit Reinesius Cl. I. n. 56. Ευμελῳ Θεῳ Πατρῳῳ Φρητορες Ευμηλειδων Τ. Φλαυιος Πιος φροντιστης ανεθηκεν συν Τ. Φλαυιῳ τεκνῳ. *Eumelum deum patrium Phratoribus Eumelidarum T. Flavius Pius curator dedicavit cum T. Flavio filio.*

T. Statulenus expresse *Pontifex minor SACRORVM PUBLICORVM POPVLI ROMANI* inscribitur (a).

Porro quamvis molem omnem, quanta quanta est, huiusce opinamenti exturbare Tullius videatur *Agrar. II. Vos vero, Quirites, retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum;* tamen id non eo arbitror a Cicerone dictum, quod cives in colonias deducti Romana Sacra desererent, quemadmodum Sigonius in cortice haerens dictitavit (b); sed vere quod coloniarum res, imago quaedam erant eorum quae Romae agebantur, idcirco commoda omnia principis urbis illis ostentat, quae veluti erant amissuri, si in colonias deducerentur, quo eorum nempe animos a patrio solo relinquendo absterreret. Quod nisi ita foret, qui tu ea accipias, quae e vestigio subdit: *Nisi forte mavultis, relictis his rebus, atque hac luce Reipublicae, in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentiae finibus, Rullo duce conlocari?* Adhaec quis novicius adeo in rebus veterum, ut ignoret, ludos Circenses in coloniis maxime frequentatos. Vel unus, ut millia prorsus mittam marmora, satis sit Tertullianus *Lib. de Spect. Cap. VII. Ea*

si

(a) Facit huc quod habemus in *Actis Apost. Cap. XVI.* nimirum Philippenses, quum Paulus, et Silas Sacra Christiana praedicarent, in ius eos vocasse dicentes: *Annunciant ritus, quos non licet nobis excipere, neque usurpare, quum simus Romani.* Atqui Philipporum urbem inde ab Augusti temporibus Romanam Coloniam fuisse cum ex nummis, et lapidibus constat, tum etiam ex *L. 32. D. ad SC. Treb.* et *L. 6. D. de censib.*

(b) Sigonius Lib. I. *de ant. Iur. Ital. Cap. VIII.*

*

si minore cura per provincias pro minoribus viribus administrantur, tamen omnes ubique circenses illuc deputandi, unde et petuntur; inde inquinantur, unde sumuntur. Immo et sacrificia ipsa nonnisi more Romano in ludis facta ibidem testatur. Nec vero comitia, neque fortasse quid aliud coloniis defuisse, quod in aeternae Urbe erat, alibi opportunius me persequutum memini. Ergo coloni non sacra Romana, non ludos, neque comitia relinquebant, sed id tantum, quod inter ea quae Romae celebrabantur intercedebat, et quae extra Romam; pompam nimirum, dignitatemque, quam nemo inficiabitur longe splendidiorem in urbe domina gentium, quam in aemulis urbibus fuisse.

Quod autem ad Pontificatus adtinet durationem, illud est sane animadvertendum, uti Romae, ita et in coloniis perpetuos Pontifices fuisse, nisi ultro sacerdotio abirent; nec nisi posteriori aetate ad tempus eos creatos, quemadmodum ex antiquis titulis palam fit, ubi colonici Sacerdotes *Perpetui* laudantur. Sic apud Gruter. *p. CLXVIII.* 5. C. VALERIVS. C. F. GAL. VALERIANVS. CISIMBRENSIS. II. VIR. PONT. PERP. Et p. CCCCXXXI. 1. SEX. LIGVRIVS MARINVS OB HONOREM PERPETVI PONTIF. DONVM DAT. CVIVS DONI DEDICATIONE cet. Et p. CCCLI. 5. SEXTO. ALLIO MAMERCO. PONTIFICI. PERPETVO. COLONIAE. Et *p. CLXXXI.* C. SEMPRON. C. F. SAL. SEMPRONIANVS. II. VIR. PONTIF. PERP. et alibi centies. Ecquis autem non videt perpetuos hosce pontifices ita dictos, ut a temporariis secernerentur, qui saepissime in vetustis monumentis

mentis Pontifices absolute dicuntur? Porro annuum quoque creatum esse quandoque in coloniis Pontificem ex Tullio est intelligere *Act. IV. in Verr. Syracusis*, ait, *lex est de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem sortito capi iubet.* Et inferius: *Cephaledi mensis est certus, quo mense Sacerdotem maximum creare oporteat.* Quae vel ideo adtigisse iuvat, ne quis in transversum ab iis agetur, qui ex lapide Brixiano apud Grut. *p. CCCCXXXVII.* 5. C. MEFFIO. C. F. CLA. SAXONI . PRIMO . PILO . PRAEF . FAB . PONTIF . QVINQVEN . opinandi ansam arripuerunt, pontifices ad quinquennium creatos. Ecquae ista fatuitas? Binas enim ibi enunciari dignitates, easque diversas, pontificatum nempe, et Quiquennalitatem, vel ex eo abunde patet, quod diserte alibi distinguuntur, ut ap. Grut. *p. CCCXCIV.* 7. ubi COMINIVS QVINTVS in colonia sua PONTIF. ET . QQ. audit. Atque quod omnino peremptorium est, Cominius idem, quum adhuc Pontifex esset, et iterum Quinquennalitatem inierit, aperte in alio marmore ibidem *n.* 4. inscribitur PONTIF . ET . BIS . QQ . COL . SARMIZ. EQ. R. Sed absque eo foret, dicam amplius, quemadmodum in Brixiano titulo PONTIF . QVINQVEN. ita et apud Grut *p. c. n.* 5. II . VIR . I . D . QVINQ. et ibid *p. CCCC.* 7. IIII. VIR. I. D. QVINQ. occurrit: Quid? an Duumviri, Quatuorvirique, et Quaestores ad quinquennium creabantur? sed nemo talia effutiret. Quemadmodum igitur Duumviratus alius a Quinquennalitate, ita honor alius Pontificatus, alius vero Quinquennalitas.

His expediti videamus parumper quae sibi numina con-

confinxerit stulta Corfiniensium superstitio. Atque primo de Iove Lyceio dicendum, cuius haec extat Corfinii inscriptio (a) ad Ecclesiam S. Venantii prope Rodianum.

I.

RESPVBLICA . POPVLVSQVE
CORFINIENSIS
SACELLVM . LYCEIVM . VETVSTATE
DELAPSVM . ADIECTIS . BASILICIS
SVA . PECVNIA . RESTIT
DECRETO . DECVRIONVM

Quo vindice epigrammate, nemo, arbitror, inficiabitur, Iovi Lyceio Corfiniense sacellum fuisse sacratum. Nec mihi suadere satis queo, qui in tantum aberraverit Foebonius *Histor. Mars. Lib. I. Cap. VIII.* ut τo LYCEIVM nostrae inscriptionis de Corfiniensi Gymnasio acceperit ad scholasticas quaestiones discutiendas. Nec ex adverso quidquam heic V. Cl. Fabrettum moror, qui *Inscr. domest. Cap. X. n.* 252. pro LYCEIVM legit LVCEIVM, certe contra marmoris fidem.

Sed vero eccui Iovis Lycaei non notum in antiquitate nomen? Miror equidem haesisse aquam heic plerisque, qui utinam Graeciam, fabularum silvam feracissimam, excusserint. Sane Lycaei fanum in Cyrenaicae colle, qui ob id ipsum

(a) Foebonius *Histor. Mars. lib. I.* Fabrettus *Inscr. Domest. Cap. X. n.* 252. Muratorius *Thes. Inscript. p. CXX. I.*

ipsum Διος Λυκαιου οχθος vocabatur, expresse ab Herodoto didicissent *Musa IV. Cap. CCIII.* Ες ὁ διεξελθουσι, και ἱζομενοισι επι Διος Λυκαιου οχθον, μετεμεληησε σφι ου σχουσι την Κυρηνην, και επειρων το δευτερον παριεναι ες αυτην. *Postquam vero* (**Persae**) *transierunt* (Cyrenen), *et ad collem Lycaei Iovis subsederunt, poenitentia eos subiit, quod Cyrenen non occupassent; eamque iterum ingredi conati sunt.* **Sed porro** Lycaei cultum apud Arcadas maxime omnium obtinuisse, vel ex Pausania intelligere est *Messenic. Lib. IIII. Arcades obrutum lapidibus Aristocratem* (Tyrannum) *insepultum extra fines abiecere:* COLVMELLAM AVTEM IN LYCAEI FANO EREXERVNT, *in eius rei memoriam his versibus incisis.*

Ρηιδιως χαλεπον δε λαθειν Θεον ανδρ' επιορκον:
Χαιρε Ζευ βασιλευ, και σαου Αρκαδιαν.
Difficile est periurum hominem fallere Deum:
Salve Iupiter rex, et Arcadiam serva.

Quin et celebre Lycaei templum alibi apud Megalopolim idem describit *Arcadic. Lib. VIII. In dextera urbis parte, qua fluminis ripae eminent ad septemtriones forum expositum est, lapidea circumseptum maceria:* *TEMPLVM ILLIC IOVIS LYCAEI, QVO NVLLA DVCIT SEMITA; nam quae sunt intus, in conspectu sunt omnia: altaria dei duo, mensae duae, totidem mensae pares aquilae, cet.* Εν μερει τω προς αρκτους, δεξιω δε κατα το μετεωρον του ποταμου πεποιηται σφισιν αγορα. Περιβολος δε εςιν εν ταυτη λιθων· και ἱερον Λυκαιου Διος· εσοδος δ' ες αυτο ουκ εςι· τα γαρ εντος εςι δη συνοπτα· βωμοι τε εισι του Θεου, και τραπεζαι δυο, και αετοι.

ται.

ταις τραπεζαις ισοι. Porro Lycaeon adpellitatum Iovem, non aliunde vetus lexicon apud Henricum Stephanum tradit *Thesaur. Tom. II. p.* 735. quam ab Lycaone Pelasgi filio, qui *τα λυκαια* Lupercalia Iovi primus instituit (aperte de *λυκαιοις* istis haec habet Plutarchus *Quaest. Rom. λυκος μεν ὁ λουπος εςι, και λυκαια τα λουπερκαλια*). Atque eius Sacra mox Romae recepta Iustinus auctor est *Lib. XLIII. c.* 1. *Evander*, ait, *in Palatini montis radicibus TEMPLVM LYCAEO, quem Graeci Pana, Romani Lupercum adpellant, constituit.* Hinc quid mirum, quod inter Corfinienses deos relatus is fuerit, cui Romae fanum exstabat? Iam supra demonstratum abunde, colonias Sacra Romana, quoquo habitatum concesserint, retinuisse. Quid vero, si longe antiquior in hisce nostris regionibus Lycaei cultus dicatur? Certe enim in *Λυκια* Italica, quae urbs, Aletium *Lecce* communi nunc sermone adpellatur (a), frequenter nummi cum Iove Lycaeo occurrunt, (quominus ad Lyciam Asiaticam pertinere dicas) non alibi terrarum, quam in Lycia nostrae Iapygiae in dies prodeunt. Quid quod in Italia percussos ipsa nummorum scalptura suadet, omnino Brettiorum nummis simillima? Talis est grandioris moduli nummus, in cuius adversa parte *Διος Λυκαιου* h. e. *Iovis Lycaei* imberbis, et *λυκεᾳ* (lupina pelle) cooperti caput praefert. In postica Pallas, sive quaevis alia bellatrix, galeata, hastata, et scutata. Atque haec de Sacello Lyceio. Valde tamen me

(a) De Urbis antiquitate, eiusque primaevo nomine plura Mazochius ad Tab. Heracl. p. 521. et Galateus de situ Iapygiae.

me turbat, quod sacello eidem adiectae basilicae a Republica, populoque Corfiniensi dicantur. Novum id omne! satis enim mihi compertum est, Ethnicorum basilicas, amplissima aedificia fuisse templorum instar porticibus concameratis cincta, in quibus agitari iudicia solebant. Atque hinc mihi coniiciendi aditus patet, basilicarum nomine in hac inscriptione fortasse cubicula indicari. Nec vero Muratorio adsentiar, qui *loc. cit.* ea nomenclatione vel cubicula, vel porticus designari arbitratus est. Porticus enim in marmore Maffeiano (*Gal. Antiquit. selectae epist. X.* ad Firminum Abauzit.) apertissime a basilicis distinguuntur (a). Inscriptio haec est:

IMP. CAES. DIVI . HADRiani Fil. Divi
TRAIANI . PARTHICI . NEpos . Divi Nervae
PRONEPOS . T. AELIVS . Hadrianus Antoninus
AVG. PIVS . PONT. MAXImus . Trib. Pot. xx.
IMP. II. COS. IIII. PP. THErmas . Vetustate
CONSVMPTAS . CVM . PORticibus
ET . BASILICIS . ET . OMNI . Cultu . Impensa
SVA . Restituit.

Quod ipsum animadvertere est in antiquo lapide Beneven-

 tano

(a) Basilicas non idem, ac porticus valere contendo dumtaxat. Nam scitum id, quod antiquis familiare fuerit porticus ad templa exstruere; quales Plinius diserte narrat *Hist. Nat. Lib. III. cap. XII.* se ad Aedem Cereris in praediis suis aedificasse, ut paganis, colonisque suffugium esset aut imbris, aut solis: *Videor munifice simul, religioseque facturus, si aedem quampulcherrimam exstruxero, addidero porticus aedi, illam ad usum deae Cereris, has ad hominum.* Ac Puteolis quidem ad Templum Iovis Custodis porticus exstructas ex marmore Puteolano scimus: IOVI CUSTODI SACR. eet. AEDEM CVM PORTICIBVS A SOLO SVA PEC. FECIT ITEM MENSAM ET ARAM. Tum et ad Iovis Victoris Aedem ex altero lapide ibidem: IOVI VICTORI TREBONIVS GALLUS COS. PORTICVM EX VOTO FECIT DEDICAVIT X. K. MAIAS APPIO ANNIO . M. AC. COS.

tano apud Donium *Cl. IV. n.* 68. IDEM . BASILICAM. IN . QVA . TABVL . MVNERIS . AB . EO . EDITI. POSITAE . SVNT . cet. PORTICVM . OMNI . ORNATV. ELEGANTIAE . FECIT. Accedit et Svetonii locus *in Aug. Cap. XXIX. Quaedam opera sub nomine alieno, nepotis scilicet, et uxoris, sororisque fecit, ut PORTICVM, BASILICAMQVE Lucii, et Caii, item porticum Liviae, et Octaviae, Theatrumque Marcelli.*

Venio ad lapidem alterum; quo Liberum Patrem a Corfiniensibus cultum edocemur (a):

II.

LIBERO
PANTHEO
SACR

Cur autem Bacchus *Panthei* nomine hic dicatur, vel ex eo probe equidem eruam, quod ubique gentium, ac multis quidem nominibus is coleretur. Cuius rei indicium Ausonius clarissime omnium facit *Epigr. XXIX:*

Ogygia me BACCHVM vocat
OSIRIM Aegyptus putat,
Mystae PHANACEN nominant,
DIONYSON Indi existimant,
Romana Sacra LIBERVM.
ARABICA GENS ADONEUM,
LUCANIANUS PANTHEUM.

Quo modo et in Praenestina Inscriptione nuncupatur apud Gru-

(a) Produxit Donius *Inscript. Antiq. Cl. I.* 64.

Gruterum *p. LXXVII.* 3. FORTVNAE . PRIMIGENIAE . SIGNVM . LIBERI . PATRIS . PANTHEI . CVM . SVIS . LYCHNVCHIS ET . CVPIDINES . II . CVM . SVIS . PAREGEIS . . ET . LVCERNA . LARVM . M . POPILIVS . M . F . TROPHIMVS . CVM . POPILIA . CHRESTE . LIB . ET . ATILIO . FILIO. Verum non Baccho tantum, sed aliis quoque dii commune PANTHEI nomen fuisse, ex Doniano marmore *Cl. I. n.* 66. ediscere est, ubi: SANCTO . SILVANO . PANTHEO . S . M . FVLVIVS . ERASTVS . CVM . SVIS. D . D; quemadmodum et Priapus item PANTHEVS inscribitur ap. Grut. p. XCV. 1. Quod fortasse inde arbitror factum, quod plurium symbola deorum una complecterentur imagine. Haud enim me nunc Dionis locus praeterfugit Lib. LIII. de Pantheo ab Agrippa excitato. Προσαγορευεται δε ούτω ταχα μεν, ότι πολλων θεων εικονας εν τοις αγαλμασι τῳ τε του Αρεως, και τῳ της Αφροδιτης ελαβεν: *ita forte adpellatur, quod multorum deorum imagines in Martis, et Veneris simulacris collectas continent.* Quin non absimili forma Iunonem ab Luciano descriptam video, ut quidpiam etiam Minervae, Veneris, Rheae, Dianae, Nemesis, et Parcarum habuerit. Neque fortasse secus accipiendum *το* SIGNVM AEREVM PANTHEVM, quod absolute (nisi me magnopere fallit memoria) in antiquo lapide me offendisse recordor apud Reinesium.

Bacchum Venus sequitur, cui proprii erant sacerdotes, ut ex Corfiniensi tabula, quae dum haec scribimus, in pago Populii extat (a):

III.

(a) Dedit Donius Clas. IV. n. 8. et Gudius pag. CV. n. 6.

III.

ACCIA
SACERDOS
VENERIS
MADIA
SACERDOS
VENERIS

Nimirum una in basi utriusque Sacerdotis statuae conlocatae ad Veneris Corfiniensis aedem. Id moris profecto ex Graecia derivatum. Sacerdotum enim statuas prope Mycenas ad vestibulum Templi Iunonis positas diserte narrat Pausanias *Lib. II. Cap. XVIII.* Ανδριαντες τε εστηκασι *πρωτης εσοδου γυναικων, ἁι γεγονασιν ἱερειαι, και ἡρωων.* Porro quemadmodum in tota fere Graecia, quantum ex antiquis constat monumentis, Veneris Sacerdotes nonnisi feminae erant (a), ita et in Latio etiam, atque in universa Italia (b). Hinc

(a) Αφροδιτης Ουρανιας, sive Veneris caelestis erebra est mentio apud Pausaniam, et Herodotum. Huius Sacerdotes, Smyrnae, et Magoesiae, quae urbes contermioae, ac foederatae erant in Asia, feminas fuisse, e veteri lapide patet apud Carolum Patinum: Ο ΔΗΜΟΣ ΣΜΥΡ. ΜΑΓΝ. ΟΥΛΠΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ ΟΥΛ. Θ. ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ ΕΡΩΤΙ ΟΥΡΑΝ; *Populus Smyrnensium, Magnesiorum, Vlpia Marcellina, Vlpii filia, Sacerdos maxima Veneris caelestis. Amori caelesti.* Et ap. Reinesium XI. Clas. V. ΜΙΝΥΡΑ ΑΡΤΕΜΟΝΟΣ ΙΕΡΑΤΕΥΟΥΣΑ ΑΦΡΟΔΙΤΑΙ ΟΥΡΑΝΙΑΙ; *Minyra Artemonis uxor, Sacerdos Veneris caelestis.*

(b) Pari modo ap. Mur. p. MMXCVIII. 6.
VEIDIA T. L. AVGE
IVLIA C. L. VRBANA
MAG. VENERI. D
Quam inscriptionem vel ideo integram exhibeo, ut Muratoriana lectio emendetur, habet enim AVG. F. Atque non Veoeris taotum, sed et Cereris sacra a feminis, iisque Graeci oris peragi mos erat. Romae certe in Sacris deae procurandis Graeca Sacerdos Neapolitana, vel Veliensis arcessebator, teste Tullio *Orat. pro Balb. Has sacerdotes video fere, aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, foederatarum sine dubio Civitatum.* Quid si Sicula etiam? facit huc lapis Romanus ap. Grut. p. CCCVIII. CASPONIA. P.F. MAXIMA.

Hinc Corfinii Acciam, et Madiam Veneris Sacerdotes habes. Ad viciniam quoque in agro Carapellis, Magistrae Veneris audiunt in veteri lapide (a):

CALVIDIA . T . F . SECVNDA
QVINCTIA . SEX . F . SECVNDA
CASNASIA . Q . L . RVFA
CASNASIA . Ɔ . L . SPERATA
SPERATA . MVNATIDIA
SER . VENERI . D . D
MAG . VENE

Peltuini item Nummiam Variam SACERDOTEM VENERIS FELICIS in aerea tabula habemus, quam supra produximus. Allifis in Campania vetus lapis habet SONTIAE SACERDOTI VENERIS EX TESTAMENTO ap. Grut. *p. CCCXVIII.* 3. Et in Reinesiano FAVSTA VERISSIMA SACERDOS VENERIS; et quid cetera moror?

Succedit Minerva, de qua et antiquus lapis Corfinii (b):

IV.

XIMA . SACERDOS . CERERIS . PVBLICA . POPVLI . ROMANI . SICVLA . Nec nisi ad Romani ritus imitamentum in Coloniis item Cereris Sacerdotes feminae erant, uti in ara marmorea ap. Grut. p. XXVI. 12. AEMILIA . C . F. . CHRESTE . Et ap. Maff. *Mus. Ver.* p. LXXXII. n. 2. Claudia Attica in sacrario Cereris Antiatinae doos sua impensa posuit Sacerdote Iulia Procula.

(a) Murat. p. CLXXIV. 3.

(b) Habet Gudius *pag. LII. n.* 8. tum et Muratorius *pag. LII.* 2. Sed omnium exactissime Donius *Cl. I. n.* 13:

IV.

MINERVAE.SACRVM
C . DECIMIVS
COMMVNIS.LIB
VITALIS
COLLEGIO.FABR
DEDIT

COMMVNIS LIBertus) Liberti communes qui fuerint, ex antiquo lapide nosces ap. Grut. *p. CMLXIV.* 7. Q. CAECILIVS . Q . L. PAPIA . SIBI . ET . LIBERTIS LIBERTABVS . QVI . SVNT . COMMVNES . CVM . CAECILIA . Q . L . DIONISIA . ET . POSTERIS . LIBERTORVM . ET . LIBERTARVM . EORVM . CAECILIA.Q.L. DIONISIA .SIBI . ET . LIBERTIS. LIBERTABVS . QVI . SVNT . COMMVNES . CVM . Q . CAECILIO . Q . L . PAPIA . ET . POSTERIS . LIBERTORVM . ET . LIBERTARVM . EARVM .

COLLEGIO FABRum) Romae instar, nullibi non Collegia fabrum in Coloniis obtinuere. Uti vero variae artes, ita et varia erant fabrum collegia. Hinc ap. Grut. p. CCLXI. 4. MAGISTRI QVINQVENNALES COLLEGI CORP . FABRVM . FERRAR . TIGNAR . DENDROPHOR . ET . CENTON . LVST . XXVII.

Isidem praeterea abs Corfiniensibus cultam, lapis edocet ibidem (a):

V.

(a) Produxit Phoebonius *Hist.Mars.* tum et Fabrettus *Inscr. Domest.* Cap.V.n.346.

V.

ISI . VICTRICI . SACR *Puella globo innixa, pectore, humerisque alatis, dextera galeam, laeva viridem laurum praeferens* C . PON . TIVS . C . L FIDELIS . SEVIR . AVG EX . IMP

ISI . VICTRICI. Isi pro Isidi non raro habent vetera marmora. Lapidem Venusinum exscripsi egomet (a) A . IVILLIVS . A . F . SEVINVS . AED . II . VIR . I . D . ARAM . ISIS . INCRVSTAVIT : OB . HONOREM. Sic et inscriptio Campana, quam vidi Casertae ad S. Clementis in domo V. Cl. itemque amicissimi Francisci Danielii, quam libens huc eo consilio transferam, ut Fabrettiana lectio (b) emendetur :

P . ATEIVS . P . L . REGILLVS . FECIT
SIBI ET
P . ATEIO . P . L. SALVIO . PATRON
POMARIO . ISI . ET . HERCVLI . DECVMAM . FECIT
VIXIT . ANN . CII . ET
PRIMAE . L . SVAE . CARISSIMAE . ET
ATEIAE . I . OLLAE . PATRONI . FILIAE

C.

(a) Conferas nostrum *Iter Venusinum vetust. mon. illustrat.* Marm. Ven. *Cl.* 1. *n.* 7. *pag.* 293.

(b) Refertur a Fabretto Cap. I. n. 8. sed in multis foedata.

C. PON. TIVS. Idest C. Pontius. Haud infrequens id in litteratis veterum monumentis, ut vel in uno etiam nomine bis ac ter repetita inveniatur interpunctio. Herculanensem inscriptionem primus ego vulgavi in Ephemer. Neap. (a), in qua D. EXTRA pro DEXTERA sculptum. Lapis huiusmodi est. D. M. SALLVSTIAE . CAPREOLAE . SALLVSTIA . D . EX . TRA . F . B . M . Quo facit et Calenum marmor, nuper praeterito anno MDCCLXXXV. ex agro *Santo Ianni a ponte Campano* haud procul a Calinulo effossum, quod tale est :

D . M
M . COC . CEIO . NEPOTI
COC . CELERINA
MATER . FILIO
RARISSIMI . EXEMPLI
PIETATIS . ERGA . SE . F
(sic)
QVI . OSPITIO . LVCIS
ERVITVS . EST
A . XXVIII . M . IIII
QVEM . NON . VIRTVTIS
EGENTEM . ABSTVLIT
A . LVCE . ATRA . DIES
(sic)
ET . FVNERE . MERSIT . A . CERVO

Cuius primo versu mediam interpunctionem in COC. CEIO vides, ac versu postremo in A . CERVO.

EX. IMP. idest *ex Imperio* ; nihil enim paganae superstitioni

(a) Vid. Mens. Maii an. MDCCLXXXV.

stitioni antiquius, quam quae diis vota exsolvebant, ea imperio, iussuque eorumdem nuncupata, persolutaque venditare. Vetus inscriptio Pompeiis: IMPERIO . VENERIS . FISICAE .. IOVI . O . M . ANTISTIA . METHE . ANTISTII . (a) PRIMIGENI . EX . D. D. Et in Museo Veronensi apud Maffeium *p. LXXXIV. n.* 4. LIBERO. ET . LIBERAE . SACRVM . P . GAVIVS . cet. IMPERIO . POSVT. Alibi *iussu.* Sic in marmore Villae Albanae SANCTO . AESCVLAPIO . EX . IVSSO . NVMINIS . DEI . POSVIT . MVSTIVS. Et ap. Gruter. *p. XX. 6.* IOVI . OPTIMO . MAXIMO . DOLICHENO . T . FLAVIVS . COSMVS . IVSSV . DEI . FECIT. In aliis *ex praecepto*, ut in Romano lapide ap. eumdem *p. XXI. 5.* ARAM . IOVI . FVLGERATORIS . EX . PRAECEPTO . DEORVM . MONTENSIVM, vel *ex oraculo*, ut in Tab. bilingui *ibid. n.* 12. ΔΙΙ ΠΑΤΡΙΩΙ . EX. ORACVLO. At vero τὸ ex *imperio*, *iussu*, *praecepto*, *oraculo*, idem est ac *ex viso*, vel *visu*, ut frequenter alias; cuiusmodi est Fabrettiana inscriptio *Cap. VI. p.* 467. DEO . SERAPI . M . VIBIVS . EX . VISO. Quo certe respexit Tullius *Lib. II. De divin. Cap. LIX. An Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis* (b)? Utraque for-

Bb mu-

(a) Male Capacius *Hist. Neap. Lib. II.* legit ANTISTITI.

(b) Nihil nempe a diis certius homini significari veteres putabant, quam morborum remedia. Quamobrem si quid aegroti somniassent coniectori somniorum narrabant, medicinam ab eo, quasi ex deorum praescriptione petituri. Quoquo modo convaluisset aeger, se ex visu, aut monitu deorum convaluisse existimabat; ut ex formulis potissimum constat in titulis Aesculapii, ac Serapidis, quorum in templis somno se dare consueverant, ut sibi dormientibus oraculum a diis ederetur. Atque hanc in rem dignissima, quam

mula in antiquo lapide Neapolitano occurrit : EX . IMPERIO . GENII . ALOTIANI . EVARISTVS . SERVITOR . DEORVM . EX . VISO . LIB . AN. idest libens annuit. Alibi praeterea *ex monitu* inscriptum , ut apud Maff. *Mus. Ver. p. LXXXIV.* ISIDI . SACRVM . EX. MONIT . EIVS . DD. Vel expressissime demum *somno, somniove monitus*, ut in Gruteriano *p. LXII.* 9. SILVANO . SACR . ET . NYMPHIS . LOCI . ARETE . DRVIS . ANTISTITA . SOMNO . MONITA . D. Et p. CII. 1. N. AVR . PACORVS. cet. SPEI . ARAM . CVM. PAEMENTO . SOMNIO . MONITVS . SVMTV . SVO. DD. Quo item et Tullius spectare videtur *Ibid. Lib. I. Cap. IV. Memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius de Senatus sententia refecit, ex Caeciliae Balearici filiae somnio.*

Recensendi modo et inter Corfiniensium deos ATTIS, cuius nomine Solem Macrobio teste *Lib. I. Saturnal. Cap. XXI.* venerati sunt Phryges; tum et MATER MAGNA Cybele , quae et Idaea mater, et mater Deum; tum et BELLONA , quorum omnium inscriptio meminit effossa Pentimae in aedibus Episcopi (a):

AT-

quam adferam , lamina aerea est , quam vir doctissimus idemque amicissimus Cardinalis Stephanus Borgia mihi Romae monstravit cum hac inscriptione : ESCVLAPIO . DICTV . ET . FACTV.
(sic)
ISOCHRISVS, idest ob sanitatem DICTV promissam , ac illico FACTV acceptam , ut apud Terentium *Heaut. IV. v. 12. Dictum, et factum reddidit.*

(a) Muratorius protulit p. CXLIV. Sed foedatam vers. 2. quem legit : P. POSIT P. MARIV. tum et postremo versu habet : IN EADEM ARA. Utrumque contra marmoris fidem.

ATTINI . ARAM
LVNAM . ARGENT
POSVIT . P . MARIVS
PHARETRA . SACER
ACCADE . PRIMA
MINISTRA . MATRIS
MAGNAE . MATREM
REFECIT . MAGNAM
ET . INAVRAVIT . ET
ATTINI . COMAM . IN
AVRAVIT . ET . BEL
LONAM . REFECIT

Ex qua proprios apud Corfinium habuisse Sacerdotes Attin, Matremque magnam, ac Bellonam, commodum cuivis est intelligere. At vero ut Attinis, ac Cybeles communia apud Phrygas sacra (a), ita et apud Romanos iunctim in antiquis inscriptionibus memorantur. In hunc modum vetus lapis Gruterianus *p. DCLV.* 3. quem praeter Wandalium, ac Petrum Burmannum Iuniorem nuper edidit inter litterata saxa Villae Albanae amicissimus idemque doctissimus vir Caietanus Marinius Tabulario Pontificio
*
Prae-

(a) De Attinis pastoris Phrygii in Ida fabula multa habent Lil. Gyraldus *Syntagm. de Diis.* Seldenus *de Diis Syris Syntagm. II.* Pignorius *de initiis Matris Deum, et Attidis*, tum et Vossius *Lib. I. Theol. Gentil.* Ante omnes vero Iul. Firmicus, Arnobius *contr. Gent.* et Augustin. *Lib. VII. de Civit. Dei.*

Praefectus *Cl. IV. n.* 91. QVI . COLITIS . CYBELEN . ET . QVI . PHRYGA . PLANGITIS . ATTIN . DVM . VAGAT . ET . TACITA . DINDYMA . NOCTE . SILENT. cet. Et lapis Caietae in Campania ap. Murat. p. CXXXI. 7. DECIMIA . C . F . CANDIDA . SACERDOS . M. D . ATTHIN . D . D . Idest *Sacerdos Matris deum signum Attinis dedicavit.* Et alibi ap. Grut. *p. XXVIII.* 2. DIS . MAGNIS . MATRI . DEVM . ET . ATTIDI. SEXTILIVS, AGESILAVS cet. Cui alteram, non amplius, Romanam addo inscriptionem: MATRI . DEVM . MAGNAE . IDEAE . ET . ATTIDI . SANCTO . MENOTYRANNO . Q . CLODIVS . FLAVIANVS . V . CL . PONTIF . MAIOR . XV . VIR . S . F . SEPTEMVIR . EPVLONVM . TAVROBOLIO . CRIOBOLIOQVE . PERCEPTO. Ubi Attis vel ideo Μηνοτύραννος salutatur, quod idem ac Sol habitus fuerit, qui merito μηνων τυραννος *Rex mensium*, et anni moderator audit.

Atque hinc est, quod LVNAM ARGENTEAM in Corfiniensi saxo Attini posuit P. Marius Pharetra Sacerdos. Sol, et Luna enim non raro, quod socia virtute generando, et conservando rebus omnibus aeternitatem inducere credebantur, socio ritu honorabantur; hinc apud Grut. *p. XXXII.* 9. AETERNITATI . SACR . SOLI . ET . LVNAE. Porro ut Attini Lunam argenteam, sic et *CLYPEUM ARGENTEUM* Minervae positum legisse memini in veteri lapide, et *REDIMICULUM ET THYRSUM ET CANTHARUM LIBERO PATRI* in inscriptione Ferrariensi T. Vibii Zotici; tum et *AURES ARGENTEAS* Minervae in lapide Placenti-

tino apud Philippum Thomassinium Cap. XIII. *De Donariis.*

MINISTRA MATRIS MAGNAE) Et Magistrae, et Ministrae passim in vetustis cippis occurrunt. Illae quidem in Sacerdotum classe, ut in Fabrettiano lapide *Cap. IV. n.* 526. CERVARIA . SP. F. FORTVNATA . MAGISTRA . MATRIS . MATVTAE. Ministrae vero inferioris ordinis erant, ut apud eumdem *Cap. X. n.* 158. DECIDIA . LEP . PAVLI . ET . PVPIA . L. L. PEREGRIN. MINISTRAE . BONAE . SIBI . AEDEM . FECERVNT. Utraeque simul in lapide Tridentino ap. Murat. *p. CLXXIV.* 2. *MAGistrae. Cassia Marcella. Iuventia Maxsuma. Firmia Modesta. Numonia Secunda. MINistrae Iuventia Secunda . Manneia Prima . Ettia Secunda .*

INAVRAVIT). Eodem modo in inscriptione Aldina p. XXXVI. 7. STATVAM . AVRO . SVPERFVSAM . LOCARI SVMPTO (sic) . PVBLICO . PLACVIT. Et in marmore Melitensi ap. Castellium Clas. II. n. 1. CHRESTION cet. COLVMNAS CVM FASTIGIIS ET PARIETIBVS TEMPLI DEAE PROSERPINAE RESTITVIT . ET PILAM INAVRAVIT.

CA-

CAPUT V.

Curatores Kalendarii qui. Municipiis, et Coloniis publica erat pecunia, quae foenori dabatur. Plura adnotantur.

CVRATORI KALENDAR. In cura Kalendarii Reipublicae Corfiniensis tirocinium munerum suorum posuisse Mammium inscriptio edocet (a). Sane vero uti Romae, ita in coloniis, Municipiisque sua cuique fuisse vectigalia, suumque aerarium, nemo erit inficiaturus. Tullius *lib. III. Fam. Ep. XI.* haec ad Brutum: *Omnia commoda* (municipii Arpinatis), *omnesque facultates, quibus et sacra conficere, et sarta tecta aedium sacrarum, locorumque communium, tueri possint, consistunt in iis vectigalibus, quae habent in Provincia Gallia.* Atque ut de Atella nostra loquar, notum est et Atellanos in Cisalpina Gallia agrum vectigalem habuisse, ex quo certa pecuniae summa quotannis exigeretur, eodem Tullio auctore *ibid.* Ep. VII. *Loquutus sum tecum de vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia;* subditque, fortunas omnes reipublicae Atellanae *in isto vectigali* consistere. De coloniis ab Augusto deductis diserte Svetonius in Octavio *Cap. XLVI. Italiam duo de triginta colonia-*

(a) Cura Kalendarii personale manus dicitur *L.* 18 *D. de Mun. et hon.* §. 2. *Kalendarii quoque curatio, et quaestura in aliqua civitate inter honores non habetur: sed personale munus est.* De eorumdem tamen honore vid. infra.

niarum numero a se deductarum frequentavit, *operibusque vectigalibus publicis plurifariam instruxit.* Vespasianus Imp. in rescripto ad Saborenses in Hispania apud Gruter. pag. CLXIV. 1. VECTIGALIA . QUAE . AB. DIVO . AUGUSTO . ACCEPISSE . DICITIS . CUSTODIO (a). Porro nunqnam non in saxis occurrit cum hujusmodi vectigalium mentio, tum eorum qui vel ea vindicarint, vel auxerint. Hinc vetus lapis Pisauri apud Oliverium *Marm. Pisaur.* n. XXX. M. ACCIO . PATRONO. MUNICIPI . OB . CONSERVATA . VECTIGALIA . MUNICIPES . Et ap. Grut. p. CLXXIV. 8. in marmore alio: VECTIG. PUB. VENDIC.

Accedit quae ex publicis coloniarum praediis exigebatur pecunia. Qnotus enim quisque est, quem lateat, id moris in coloniarum deductione fuisse Romanis, ut non universo agro multarent civitatem, sed partem aliquam relinquerent, quae ab ea Republica (idest Universitate) publice teneretur? Adde, quod municipales Respublicae non raro heredes instituebantur, ac frequentissime vero multum earumdem aerariis ex donationibus, legatisque privatorum adquirebatur, cuiusmodi exempla passim in veterum titulis occurrunt (b). Quid quod ex poenis, quas ipsi suis tabulis scribere consueverant testatores, non parum pecuniae Reipublicae viribus refundi credibile est? Facit

hanc

(a) Singulis municipiis, coloniisque propria fuisse vectigalia patet ex *L.* 6. §. 2. *D. de decur. L.* 2. §. 1. *D. de adm. rer. ad civit. pert. L.* 10. *C. de vectigal. L.* 48. *C. Theod. de oper. pub.* Meminit et Lampridius in Alexandr. *Sev. Cap. XXI. Vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit.*

(b) Aliquando vero legata ista in Opera publica erant: ut ap. Svetonium quidam Trabiania pecuniam in opus novi Theatri legasse dicitur; alter in lavationem gratuitam utriusque sexus in lapide ap. Malvas. *p.* 123.

hanc in rem vetus marmor, Romae nuper effossum an. MDCCLXXX. QUOD SI ITA FACTUM NON ERIT TUNC EA HS. L. M. N. DARI REIP. OSTIENS. SUB EADEM CONDICIONEM (sic) STIPULATUS EST. Et in lapide Gabino, dum haec scribimus, eruto: QUOD SI FACERE NEGLEXSERINT TUNC AD MUNICIPIUM TVSCVLANORVM HS. X. M. N. PERTINEANT, QVAE CONFESTIM EXIGANTUR. Et apud Murator. p. DCCLXXX. 3. HANC ARCAM, SI QVIS APERVERIT VEL TITVLVM MOVERIT DABIT REIPVBLICAE MVNICIPII RAVENNATIS SESTERTIORVM XX. M. NVM. Pluribus abstineo; quid enim huiusmodi multis frequentius, sive in honorariis inscriptionibus, sive in sepulcralibus passim? Quin et bona omnia aliquando poenae nomine Reipublicae addicta videmus, ut in lapide M. Lollii Arpocratis ap. eumd. p. MXXXV. I. NEQVE VLLI. LIQVEBIT. LOCATIONIS. CAVSA. IN. ANNIS. CENTVM. QVANDOQVE. TRANSVENDERE. QVOD. SI. QVI. ADVERSVS. ID. FECERINT. EORVM. BONA. PERTINERE. DEBEBVNT. AD. REMP. BRVNDVSINORVM.

Quoquo igitur fonte in Rempublicam manaret pecunia, ea certe in publico aerario recondebatur. Quo pertinet Tergestinum marmor apud Grut. p. *CCCCVIII. SINE VLLO AERARII NOSTRI IMPENDIO* (a). Atque ei porro aerario unus, vel plures praeficie-

(a) Tullius *Orat. pro Flac.* de plerisque Asiae urbibus inquit: *In aerario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus, duae rationes conficiendae pecuniae aut versura, aut tributo.*

ficiebantur, qui ante Augustum. *Quaestores* adpellati, mox sub eiusdem imperio PRAEFECTI AERARIO. Nisi quod Claudium aerario *quaestores rursum imposuisse*, auctor est Tacitus; quam rem neque ubique constantem video; in saxo enim Municipii Caeritum ap. Grut. p. CCXIV. C. Svetonius Claudianus Aedilis, simulque Praefectus aerarii sub Traiano dicitur. Atque vero id extra omnem dubitationis aleam est, sive quaestoribus, sive praefectis aerario posteriori aetate CVRATORES KALENDARII SVCCESSISSE (a), quorum erat praeter publicam coloniarum pecuniam, etiam tabulas accepti, et expensi custodire, pecuniamque ipsam, ne otiosa esset, foenori locare. Meminit huiusmodi municipalis Kalendarii Panegyris Constantino, Aeduorum Flaventium nomine, recitata: *Ob haec igitur merita et prisca pater tuus civitatem Aeduorum voluit iacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecuniis ad Kalendaria largiendis* cet. scilicet foenori dandis, ex quibus annuos facerent quaestus. Et in L. 62. D. *de Legat.* 3. *Kalendario destinatae pecuniae* dicuntur, i. e. foenerationi, et *in Kalendarium conversa pecunia* L. ead. et 39. §. 14. D. *de administ.* Quum vero singulis mensibus penderentur usurae (in Kalendas enim mos erat antiquis foenerari), idcirco codex ille, quo debitorum descripta nomina erant, KALENDARIVM est adpellatum, usuraeque ipsae menstruae dictae.

 Di-

(a) Extat de Curatoribus Kalendarii insignis titulus Cod. Theodos. Lib. XII. Vide et Pancirolum *de Magistr. Municip.* cap. XIV.

Dignus qui hanc in rem Plinii locus adferatur ex Epist. XIV. ad Traianum: *Pecuniae publicae ministerio nostro exactae sunt, et exiguntur, quae vereor, ne otiosae iaceant; nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est, nec inveniuntur qui velint debere Reipublicae praesertim duodenis assibus, quanti a privatis* (a) *mutuantur.* Sed vero Kalendarii curatores in Republica quavis vel ab Decurionum ordine (b), vel a Provinciae Praeside, ac nulla tunc quidem praestita cautione (c), creabantur (d). Eorum mentio passim in

(a) Privati enim pecunias etiam foenori locabant; atqoe codicem item, in quo Kalendis praescriptia debitorum subiiciebant nomina, Kalendarium dicebant, hoc tamen discrimine, ut Kalendario isti servum praeponerent, uti patet *ex L.* 14. *D. de reb. cred.* Porro Curatores hi *Kalendarium exercere* dicebantur *L.* 41. *D. de leg.* 3. §. 6., *ubi Kalendarii quod in patria sua, vel intra fines eius defunctus exercuit cet.*, eodem prope modo, quo foeneratores, et argentarii, qui ad Medium Ianum (Cic. *de Off. II.* 25.) in singulas Kalendas pecuniam foenerabant, de quibus Horatius *Epod.* II. v. 67.

Haec ubi locutus foenerator Alphius
Iam iam futurus Rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam
Quaerit Kalendis ponere.

Et Serm. lib. I. 3. v. 86,

Odisti, et fugis, ut Drusonem debitor aeris,
Qui nisi cum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat...

Seneca *Lib. I. de benef.* cap. II. *nemo*, inquit, *beneficia in Kalendario scribit, nec avarus exactor ad horam et diem adpellat. Et epist.* LXXXVII. *divitem*, ait, *illum putas, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus Kalendarii liber volvitur?*

(b) *Leg. I. C. Teod. de Cur. Kal.*

(c) Impp. Antoninus, et Verus *L. ult. D. de adm. Rer. ad Civ. pert.* §. 7. *rescripserunt, a Curatore Kalendarii cautionem exigi non debere, quum a Praeside ex inquisitione eligatur.*

(d) Nonnunquam vero, uti certa quaedam Reipublicae legata pecunia separatim administrabatur, ita et eidem singularem quemdam Kalendarii curatorem aliquando praepositum videmus. Rem sane non aliunde edidici, quam ex Pisaurensi lapide apud Grut. p. CCCCXL. 6. *C. Mutrio C. F. Pal. Quinto Severo CVRATORI KALENDAR. PECVNIAE VALENTININ.* HS DC. Quae autem ista fuerit pecunia, cujus Kalendarii Curator Mutrius edicitur, adprime ex Inscriptione Fabrettiana constat *Inscr. Dom. Cap. II. n.* 252. ubi Valentinus quidam Aedilis Testamento Colonis Coloniae Iul. Felic. Pisaur. Decies centena Millia NVM dedit, ita ut

in antiquis inscriptionibus occurrit, quas recenseam. Talis est in saxo Venafrano: *Sex. Fulfennius C. F. Salutaris* *CVRATOR. KAL. COLONIAE SVESSANAE. CVR. TEMPLI MERC. ET ARCAE VITRASIANAE CALENORVM FLAMEN DIVI TRAIANI.* Et in lapide Antinati in Marsis (a): *Q. Novius Q. F. Ser. Celer PATR. MVNI. CVR. KAL.* Item in lapide Arretino apud Gorium Insc. Etrur. tom. II. p. 288. *P. Quintianus Aedil. II. Vir. CVRAT. KALEND. PLEB. ARRET.* Et in Pisano ibid. p. 23. *Q. Obsequentius Severinus Aug. Pisis CVR. KAL. FLORENTINOR.* Et in Veronensi ap. Maffeium Mus. Veron. p. CCXXX. *L. Pompeius. L. F. Pol. Herennianus CVRATOR. KALENDARIOR. REI. P.* Et in Amerino ap. Grut. p. MXCI. 7. *T. Atticus. T. F. T. N. CVRATOR. KALE. AMERINORVM.* Et ibid. p. CCCLXVII. 6. *A. Atinius. A. F. Pal. Paternus sub Traiano Caesare CVR. KAL. FABRATERNOR. NOVOR.* Demum ap. Murat. p. CLXXXI. 7. *P. Acilius. P. F. Men. Paullus Cur. annonae. Cur. muneris publici. CVR. KAL.* Ac qua aetate potius isti Kalendariorum Curatores invaluerint, vel argumentum ab iis elicere tantum licet, qui ab Imperatoribus dati in anti-

* quis

ut per sing. annos ex sestertiorum CLCC usuris populo epulum die Natali Titi Maximi Filii eius divideretur, et ex sestertiorum DC usuris (eu aperte cuius summae Kalendarium C. Mutrius curabat, nimirum eius, quam Valentinus reliquerat) ut quinto quoque anno munus gladiaturium ederetur.

(a) Vid. Ab. de Sanctis: *Antino Municipio de' Marsi.* Nam antehac deturpatissimam exhibuit Muratorius p. MDCCXVII. 10.

quis inscriptionibus memorantur. Cuiusmodi est in lapide Beneventano ap. Grut. p. CCCCXLIV. 5. *C. Octavius C. F. Modestus Curat. Reip. Aecanorum. HONORATVS AD CVRAM KALENDARI REIP. CANVSINOR. A DIVO TRAIANO ET AB IMP. HADRIANO AVG.* Post hunc venit in marmore litterato Laquedoniensi ibid. p. CCCCXLI. 5. *C. Neratius C. F. Proculus . . . CVRAT. KAL. NOLANORVM DATVS AB IMP. ANTONINO AVG. PIO.* Tum et ex lapide quem alibi produximus (a). *P. Otacilius L. F. Pal. Rufus. CVRATOR KALENDARI R. P. AECLANENSIVM ELECTVS A DIVO PIO.* Quibus demum accedit apud Gorium Inscr. Etrur. Tom. II. p. 345. *L. Dentusius. L. F. Papia Proculinus. CVRAT. KAL. TIFERNAT. DATVS AB IMPP. SEVERO ET ANTONINO AVGG.* Atque ad hanc firmandam aetatem roboris multum accedere ex eo amplius videtur, quod nonnisi iisdem temporibus, ac sub iisdem Caesaribus dati audiantur Reipublicae Curatores, (b), quos,

(a) Vide nostrum *Iter Venusinum vetustis monumentis illustratum pag.* 111. *Marm. Aeculanensia num.* 12.

(b) Unum idemque esse Curatores Civitatum, et Curatores Kalendariorum pluribus contendit Valesius in Ammiani *Lib. XIV. cap. VI.* cui pro viribus resistunt Gothofredus in Paratitl. ad Cod. Theodos. de Curat. Kalend. et Reinesius Epist. XXIII. ad Rupertum. Utcumque res sit (nolo enim hac in lite misceri) profecto utrisque eadem est, communisque aetas. Atque de Curatoribus quidem ab Imperatoribus datis, quoad veteres lapides pertinet (mitto enim quod in lapide Nolano ap. Grut. p. MXCII. 4. *Caesius Q. F. Fistulanus Curator Oper. publicor. datus a Divo Aug. Vespasian.* et in Volceiano, quem egomet exscripsi: *C. Mettius. M. F. Rufinus* CVRATOR R. P. VOL. i. e. Curator Reipublicae Volceianae dicitur sub Divo Vespasiano) primus, quod sciam, est in lapide Brixiano ap. Grut. p. CCCXCII. 7. *P. Clodius P. F. Sura* CVRAT. REIP. BERGOM. *dat. ab Imp. Traiano CVRAT. REIP. COMENS.*

quos, ne longam heic instituam telam, in subiecta adnotatione recenseam. Atque ut ad Kalendarii Curatores redeam, ii quidem vel ideo ab Imperatoribus dati, ut pecuniae publicae cura ad integerrimos viros delata, Respublica salva foret (a). Ex quo quantum iisdem accesserit honoris, vel hinc coniectare liberum est, quod qui iudicio Principis dignitates in municipiis consequebantur, ceteris antecellerent, nominaque eorum in albo decurionum prae omnibus scriberentur, qui honore quovis in Republica functi essent.

CAP. VI.

MENS. dat. ab Imp. Hadriano. Cui soccedit ap. eumd. in Histoniensi p. CCCXXXII. 3. et ap. Mur. p DCLXIII. 4. ibidemque p. MCIX. I. *L. Valerius Pudens* CVRAT. REIP. ASERNINORVM *datus ab imp. Optimo Antonino. Aug. Pio.* In proximo est *P. Postumius P. F. Marianus* in agro Brixiano ap. Grut. *p. CCCCLVIII.* 8. *CVRATOR. REIPVBL. AVGVSTAN. TAVR. datus ab Augg. Severo, et Antonin.* Et in veteri fragmento Camerini ap. Murat. p. *DCCLV.* 1. *C. Veianus C. F. Rufus CVRAT. REI . . . . . LESTINOR* (fortasse *Aletrinorum* in vicinia) *DATO A MAXIMIS IMP. ANTONINO AVG. . . .* Nec nisi eadem tempora subolent bina fragmenta apud eumd. p. CCCLXIV. 2. et p. DCCLXVIII. 8.

(a) Inclinante saeculo tertio etiam qui ab Decurionibus creabantur, curam exercere non poterant, nisi impetratis ab Principe codicillis *Leg.* 20. *Cod. Theod. de decur.* Et de Theodorico Cassiodorus *Variar. L. VII. n.* 12. *Indubitatus honor est, qui nostra electione confertur, quia praeditus bonis institutis creditur, cui aliquid Principis auctoritate delegatur.*

CAPVT VI.

Quae vera Reipublicae notio in veteribus monumentis. Inscriptio Atellana producitur. Plurima animadvertuntur.

REI. PVBLIC. Rempublicam Romani quamcumque adpellabant civitatem, cui sui iuris, municipalisque magistratus relicta erat libertas (a). Nec in antiquis inscriptionibus, nisi ad loci cuiusque commune, seu universitatem significandam usurpata. Id quod apertissime omnium Tullius declarat *Lib. III. de Legib. Vtinam isto animo, atque virtute in summa Republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses.* Quo sane pertinet Corfiniensium elegantissimum marmor ad ianuam Ecclesiae Sancti Ioannis (b)

RESPVBLICA
POPVLVSQVE . CORFINI
ENSIS . FORMAM . AQVAE
DVCTVS . VETVSTATE
CORRVPTAM . D . D . REFECIT

Tum

(a) Vide Spanhemium *Orb. Roman. Exercit.* 1. *cap. XIII.*

(b) Protulit Murat. *p. CDLXXIII.* 12.

Tum et alterum, quod adhuc dum haec scribimus, in pago *Populii* secus antiquae urbis ruinas ad viridarium quoddam visitur.

SER . CORNELIV
(a) BALNEVM . SOLO
(b) M . ATILIVS . BRADVA
DOLABELLAE . METILLA
RESP . ET . POPVLVS . CORFIN

Porro

(a) Balineum pro Balneo quavis aetate latinissime usurpatum. Et sane in antiquissima inscriptione Aletrina: L. BETILIENVS. L. F. VAARVS. HAEC QVAE. INFRA. SCRIPTA. SONT. DE SENATVS. SENTENTIA. FACIENDA COIRAVIT. SEMITAS. IN. OPPIDO OMNIS. PORTICVM. QVA. IN. ARCEM. EITVR. CAMPVM. VBEI. LVDVNT. HOROLOGIVM. MACELVM. BASILICAM. CALECANDAM SEEDES. LACVM. BALINEARIVM. Accedit Pompeiis vetus locationis titulus: IN PRAEDIS . IVLIAE . FELICIS . LOCATVR . BALINAEVM.... TABERNAE . PERGVLAE . CENACVLA. Vid. Maz. Tab. Heracl. p. 445. Ac similis tabella marmorea, qua viatores de balnei, lavationisque commodo monerentur, ante hos annos ad viciniam Bononiae eruta est, ap. Marin. *Arv. p.* 532.

IN PRAEDIS
C . LEGIANNI . VERI
BALINEVM . MORE . VRBICO . LAVAT
OMNIA . COMMODA . PRAESTANTVR

Atque ex eo commodum mihi datur coniiciendi, hanc veluti communem, usitatioremque fuisse huiusmodi programmatum formulam. Namque iisdem prope verbis nuper programma alterum eruderatum est in pago quodam veteri ad octavum ab urbe Roma lapidem:

IN . S. PAEDIS . AVRE
LIAE . FAVSTINAE
BALINEVS . LAVAT . MO
RE . VRBICO . ET . OMNIS
HVMANITAS . PRAESTA
TVR

Satis haec. Porro Corfiniensis fragmenti balineum solo privato extructum. Memini quid tale saepius legisse, ac nisi prorsus fallor, in Novariensi titulo, ubi femina quaedam *balineum, et lavationem solo privato gratuitam in perpetuum dedit.* Sed vero id fragmentum huiusmodi est, ut nihil prorsus inde sit extricandum. Dicamque cum Pseudolo Plautino *Act. I. Sc. I. v.* 23.

Has quidem pol credo, nisi sibylla legerit,
Interpretari alium potesse neminem.

(b) M. Atilius Bradua Consul processit cum M. Cornelio Materno anno Urb. CMXXXVII. quique idem fortasse est, ac qui Proconsul dicitur in lapide ap. Mur *p. CCCXLIII.* Σμυρναιων Δημος ετιμησεν Μαρκον Αττιλιον Βραδουαν τον ανθυπατον. *Smyrnaeorum populus honoravit Marcum Atilium Braduam Proconsulem.*

Attamen potius arbitror non ad hunc, sed ad alterum M. Attilium Metilium Braduam Corfiniense marmor pertinere, qui Consul fuit anno Vrbis. DCCCLX.

Porro *Rempublicam* in huiusmodi titulis tantumdem valere, ac Universitatem, vel ex eo abunde datur intelligere, quod non raro Respublicae Coloniarum, municipiorumque audiantur. Qui enim tu id accipies, ut urbs eadem, et Colonia Romanorum esset, Romanoque imperio pareret, simulque Respublica diceretur, suoque imperio staret? Quod sane nullibi expressius, quam in veteri Atellana inscriptione habes, quae anno MDCCLI. Aversae prope Cathedralem Ecclesiam est effossa, quamque in aedibus Seminarii Aversani, cui totum me, quantus sum, debeo, conlocandam curavit avunculus magnus Michael Archangelus Patricellius, eiusdem Ecclesiae Archidiaconus, ac Seminarii moderator, quem Aversana Dioecesis litterarum, bonarumque artium fundatorem agnoscit. Inscriptio autem praegrandi, politissimoque charactere ita se habet:

A.

A . PLAVTIVS . EVHODVS . SIBI . ET . LIBERIS . SVIS
A . PLAVTIO . DAPHNO . ET . PLAVTIAE . PRIMIGENIAE . ET
PLAVTIAE . LAVRILLAE . ET . PLAVTIAE . FESTAE . ET . PLAVTIAE . SVCCESSAE . ET
A.PLAVTIO.ASBESTO.LIBERTIS.LIBERTABVSQVE.SVIS.POSTERISQVE.EORVM.IS.QVI
PLAVTI . VOCITABVNTVR . VICVS . SPVriaNVS . CVM . SVIS . MERITORIS . ET . DIAETA
QVAE.EST.IVNCTA.HVIC.MONVMENTO.CVM.SVIs.pariETIBVS.ET.FVNDAMENTIS.HVIC.MONVMENT.CEDET
SI . QVI . EX . IS . QVI . SVPRA . SCRIPTI . SVNT . HVNC (sic) . MONVMENTVM . AVT . VICVM . SPVRIANVM
AVT . DIAETA . QVAE . EST . IVNCTA . HVIC . MONVMENTO . VENDERE . VOLENT
TVNC . AD . REMPVBLICAM . COLONIAE . PVTEOLANAE . PERTINEBIT

Sic et apud Reinesium *Clas. III. n.* 28. RESP . COL . HELV i. e. Respublica Coloniae Helviae; et in lapide Casinati apud Gudium *p. CCVIII.* 5. L. ALPHIO. CVRAT. R.P.COL.CASINATIVM. Et alibi passim, ut apud Fabrettum *Cap. V. n.* 550. CVRATOR . REIPVBLICAE . AQVINATIVM, et ap. Muratorium *p. MLXXIII.* M. HELVIVS . CVRATOR . REIPVBLICAE . POTENTINORVM, et *p. MCIX.* L . VALERIVS . PVDENS . CVRAT . REI . P. AESERNIOR. Et apud Capacium *Antiq. et Hist. Camp. Cap. XXIX. L. LICINIO L. F. VALENTI CVRAT. REIP. NOLANORVM.* Et Volceiis exscripsi egomet: CVRATORI REI PVBLICAE VOLCEIANORVM, in quibus τὸ *Curator Reipublicae* Casinatium, Aquinatium, Potentinornm, Aeserniorum, idem est ac alibi: *Curator Coloniae*, ut ap. Grut. *p. CX.* 3. T. TERTIVS. SEVERVS. CVR. COLONIAE, et *p. CXIII.* 5. T. NAEVIVS . DIADVMEN . CVR. COL. SVBRVTOR (fortasse Sutrinorum); vel *Curator Civitatis*, ut ap. eumd. *p. CCCCXXII.* 7. L. IVLIO L. F. PAL. IVLIANO. CVRATORI CIVITATIS. INTERAMNATIVM; et

et *p. CCCLXXXIX.* 2. T . CL . CANDIDO . CVR . CIVITATIS . TEANENSIVM (a). Quid quod non municipiorum, coloniarumque tantum, sed praefecturarum etiam, quibus certe nullum erat publicum consilium, non raro Respublica legitur? uti apud Festum: *Erat quaedam earum* (praefecturarum) *Respublica, neque tamen magistratus suos habebant.* Nam sive Respublica, sive Civitas unum idemque apud veteres fuit, unumque pro altero passim usurpatum. Quo facit Seneca *Lib. VII. de benef. Cap. IV. Fines Atheniensium* (error heic, ac pro Atheniensium lege Teanensium, vel ut potius reor, Atellanensium; quid enim Athenis commune cum Campania?), *et Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt, et totus ager huius, vel illius REIPVBLICAE est.*

Sed adhuc levinsculum id, quod in veterum titulis Respublicae passim municipiorum, coloniarumque dicantur: imaginem enim quamdam Romanae Reipublicae repraesentabant. Nam habeo equidem, quod amplius dicam. Quid si municipalis Respublica AETERNAE invidiosum pror-

(a) Curatorum Reipublicae, qui et Civitatis, et Coloniae dicuntur, diversis temporibus, modo dignior, modo humilior functio fuit. Nec enim honorem, sed munus personale sustinebant, quod nempe solo vel labore, vel vigilantia absolveretur; *Leg.* 1. §. 2. *et L.* 18. §. 9. *D. de mun.* Quare Tullius *Orat.* II. *Agrar.* curationem a magistratu separat: *Sacerdotia, magistratus, imperia, curationes.* Eorum erat in primis reditus publicos curare, publicaque praedia cautione exacta locare, et alia huiusmodi, quae vides *Leg.* 33. *de usur. Leg.* 4. *D. de decret. ab. Ord. fac. Leg.* 5. *D. de op. publ. et Leg.* 1. *et* 15. *D. de Pollic.* Eligebantur vero a Decurionibus; sed sub Caesaribus aliquando ab ipso Imperatore dati. Vide quae paullo ante adnotavimus.

prorsus sibi adsciverit nomen? Sane priscas memorias, ac sparsa hic illic marmora mihi saepenumero perscrutanti nihil non adfectasse municipia, coloniasque visum est, quo se in omnibus ad Romae supra humanum fastum armis, ac potentia superbientis maiestatem compararent. Sed inauditum id hactenus, ac plane singularissimum, quod de una Gabinorum Republica, quod sciam, usurpatum in veteri inscriptione Domitiae Augustae Cnaei Domitii Corbulonis filiae, quam nuper Gabiis detectam primus edidit vir exquisitissimae eruditionis, itemque amicissimus Ennius Quirinus Visconti *Monum. Gabin. della Villa Pincian.* *CONFVGIENDO AD AETERNAM REM PVBLICAM NOSTRAM.* Atque haec ideo pluribus eloquutus sum, ne sicubi quis Rempublicam cuiuscumque civitatis, municipii, ac coloniae inveniet, quod passim tum in marmoribus, tum alibi frequentissimum est, veram Rempublicam credat (a).

CAP. VII.

(a) Hinc adverte, quantum a vero aberrarit P. Irenaeus a Cruce *Hist. Tergest. Lib. II. Cap.* 7. qui in inscriptione Gruteriana *p. CVIII.* ubi Tergeste RESPVBLICA adpellatur, eam coloniam veram tunc Rempublicam, propriisque legibus utentem arbitratus est. Cui refellendo satis est Lex *ult. de offic. Adsess.* ex qua docemur, Rempublicam pro qualibet civitate accipi, quae legibus (non utique propriis, sed Romanis), et magistratibus regatur.

CAPUT VII.

Eccur in nostro marmore bis IIII. vir. IIIIvir I. D. scalptum sit. Quae Aedilium iurisdictio extra Romam. IIviri, et IVviri an indiscriminatim in municipiis, et coloniis.

AEDIL . PRAEF . IIII . VIR . IIII . VIR . I . D idest *Aedili-Praefecto Quatuorviro-Quatuorviro Iuri dicundo.* Tria vario tempore gesta ab Mammio munera exhibet Inscriptio; Aedilitatem nempe, Praefecturam Quatuorviralem, ac ipsum demum Quatuorviratum Iuri dicundo. Atque de Praefectis Quatuorviris, ii qui fuerint in municipiis, et coloniis, abunde egimus supra. Nunc de Aedilitate tantum, ac de Quatuorviratu Iuri dicundo pauca. Nec enim contra instituti rationem faciam, uti, quos perbreves cancellos ipse mihi ab initio praefixi, illud nempe dumtaxat pertractandi, quod ad tituli interpretamentum proxime facit, in re praesenti refigam. Quapropter nonnulla tantum de utroque magistratu, quae mihi in antiquis lapidibus maxime in oculos observanda incurrerunt, adponam.

Ac in primis id animadvertendum e re censeo, alios in municipiis, et coloniis fuisse Quatuorviros Aediles, alios Quatuorviros Iuri dicundo, alios demum Quatuorviros Quinquennales; ut nonnisi per summam imperitiam pro uno accipiantur, qui apertissime in veterum monumentis dispe-

dispescuntur. Singulos exerte discretos habes in lapide Compsano, quem egomet exscripsi (a):

C. BEBIO. C. F. GAL. LVPVLO. IIII · VIR. AED
IIII. I. D. IIII. VIR. QVINQ. PLEBS. VRBA
NA. EX. AERE. COLLATO. L. D. D. D

Et in Ocriculano ap. Grut. *p. CCCCXXII.* 8. *L. IVLIO L. F. PAL. IVLIANO IIII. VIR. AED. IIII. VIR. I. D. IIII. VIR. QVINQ.* Et in Ferentinati ap. eumd. *p. CCCCLXI. A. QVINCTILIO A. F. IIII. VIR. AED. POTEST. IIII. VIR. IVRE DIC. IIII. VIR. QVINQ.* Quibus marmor addam adhuc ineditum, quod anno MDCCLXXV. in agro *Aulettae* in loco, qui vulgo dicitur S. Petrus, effossum est, quodque vir antiquitatis amantissimus Ioannes Baptista Soccodatus Ordinis Praedicatorum exscripsit, mecumque communicavit, atque id est:

M. INSTEIO. M. F. POM. SECVND
IIII. VIRO. I. D
M. INSTEIVS. M. F. POM. FIRMVS
IIII. VIR. AED. IIII. VIR. I. D. IIII
VIR. QVINQ
PATER. RARISSIMI. EXEMPLI. FILIO
ET. SIBI

In

(a) Lupulae gentis apud Compsanos meminit lapis alter inter Compsam, et Petrampaganam, qui adhuc extat in rupe:

C. BAEBIVS. LV
PVLVS. ET. C. BA
EBIVS. LVPVL. F
SILVANO. DEO
VOT. S. L. M

In quibus omnibus tres diversos habes, eosque praecipuos municipales vario tempore gestos magistratus. Nolim vero hinc ansam quis adripiat suspicandi, nullam Aedilibus fuisse in coloniis, ac municipiis iurisdictionem. Equidem haud ignoro eo in opinamento versatum Sigonium *Lib. II. de antiq. Iur. Ital. Cap. II. Quis ius dicit? Aedilis? non videtur*. Quid vero tale hoc? fortasse Sigonium virum summum praeterfugerat Svetonii luculentissimus locus de *Cl. Rhetoribus Cap. VI. Caius* Albutius Silus Novariensis, quum *AEDILITATE in patria FVNGERETVR, quum forte IVS DICERET, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus e tribunali detractus est.* Sed absque eo esset, Aedilium iurisdictionem abunde Iuvenalis confirmat *Sat. X. v.* 102.

Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere, pannosus vacuis Aedilis Vlubris.

Ex quo vide, municipalium Aedilium fuisse de mensuris, et ponderibus ius dicere, quemadmodum aperte in marmore Tusculano apud Donium *Clas. V. n.* 26. *AEDILES MENSVRAS, ET PONDERA INIQVA TOLLI IVSSERVNT.* In saxeo Centumpondio ex Herculanei effossionibus epigraphe:

TI . CLauDIO . CaeSAR . AVguS . IIII
L . viTELLIO . III . COS . PONDER . EXACT
a PraEF . III . CVR . AED . H*erculan*

Unde Persius *Sat.* 1. *v.* 144.

Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti Aedilis iniquas.

Quo facit et inscriptio Anxani in Frentanis ap. Murat. *p.* 483.

p. 483. 9. AEDILES . MACELLVM . S . P . RESTITVERVNT . MENSVRAS . ET . PONDERA . FECERVNT. Et ibid. in lapide Brixiano: M . SALVIDIENVS. VETTIAN . PRAEF . AED . POT . MENSVR . OLEAR . ET . SIGNVM .... Sed qui porro iurisdictionem in coloniis Aedilibus deneges, quibus facta potestas de aedibus privatis, balneis, ac viis cognoscendi controversias, quibus annonae, rerumque venalium cura incumbebat (a)? Porro autem ubi summus Iuri dicundo magistratus a Quatuorviris administrabatur, ibi etiam tum Aedilitas, tum Quinquennalitas quatuorviralis erat; ac ubi Iuri dicundo bini creabantur, ibi et Aediles duos, et Quinquennales duos continuo habes. Sic in lapide Aeculanensi (b). *C. Quintio C. Fil. Cor. Basso II. VIR AEDIL. II. IVR. DIC.* Et in Amiternino ap. Grut. *p. CCCCLXXX.* 6. *M. Caesio M. F. Pal. Magno* II. vir. I. D. II. VIR. QQ. Et in Venusino mihi p. 515. *P. Ennio P. F. Hor. Basso* AED. BIS. II. VIR. I. D. BIS. II. VIR. QVINQ. (c). Et Cl. IIII. 1. *M. Lollius M. F. Bassus L. Messius T. F. Afrius* II. VIRI I. D. II. VIRI QQ. Ac initio quidem haud dubium est, quin ad Principis Urbis aemulationem, ubi bini Consules creabantur, nonnisi II. VIRI tantum in coloniis obtinuerint; postea vero ancta civium ambitione IIII. VIRI, quorum par dignitas erat, et annua administratio, andiri coeperint, qui I. D. dicti, quod de universa cognoscerent politia. Ac de Corfinio quidem ex Cae-

(a) Everh. Otto de Aedil.

(b) Vid. nostrum Iter Venusin. Marm. Aeculan. p. 106.

(c) Vid. Ibid. in adnotat. p. 316.

Caesaris luculentissimo omnium testimonio patet *Lib. I. de Bel. Civ. cap. XIII.* Reipublicae summam apud Duumviros fuisse : *Sextertium sexagies, quod aurum adduxerat Domitius , atque in publicum deposuerat adlatum ad se AB II. VIRIS CORFINIENSIBVS, Domitio reddit , ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur.* Quid vero ? an continuo Duumviratus summus Corfinii magistratus? Profecto vetusta marmora vetant , cuiusmodi est nostrum hoc , ubi P. Mammius IIII. I. D. Corfinii dicitur , tum et alterum apud Donium Clas. V. n. III,

C . ACCAVO . C . F
SER . FRENTIONI
IIII . VIR . I . D
SENTIA . P . F . MATER
DE . SVO . FE

Quod sane nullibi non in veterum titulis est adnotare. Sic Patavii *C. Octavius Rufus* II. VIR dicitur ap. Grut. *p. CCCCXLV.* 2. ex adverso autem *C. Terentius T. F. Fab. Cetronianus* IIII. VIR. I. D. memoratur in lapide ap. eumd. *p. CCCCLXXII.* 7. Comi etiam, quae urbs Cisalpinae Galliae colonia erat II. Viros extitisse patet ex marmore Grut. *CCCCXXIII.* 2. ubi *P. Iulius Maximus* II. VIR. audit ; et contra *p. CCCCXLIX.* 2. *C. Petronius C. F. Crescens* IIII. VIR. I. D. Capuae demum Duumviros obtinuisse ex innumeris prope inscriptionibus patet; attamen in lapide Capuae in foro ap. Mazoch. *Amph.*

Amph. Camp. p. 64. P. PESCENNIO P. F. SECVNDO IIII. VIR. I. D. Tum et Gadibus, ubi *L. Fabius L. F. Gal. Ruffinus* II. VIR. PRAEF. IVR. DIC. dicitur in inscr. ap. Grut. *p. CXCV.* 4. quum contra Tullii aetate ad quatuorviros rerum summa pervenerit; nam in *epist. XXXII. Lib. X. Ep. Fam.* narratur Balbum minorem cum alia multa Gadibus flagitiose fecisse, tum vero Quatuorviratum sibi in ea urbe prorogasse. Nimirum igitur sive quod suis rationibus magis commodum visum fuerit, sive quod difficilis etiam rerum status quandoque poscere videbatur, non raro in eadem urbe a Duumviris ad Quatuorviros Reipublicae summa devenit (a).

Quod vel eo consilio maxime volo animadversum, ne cui offuciae ex Manutio (b) creentur, qui ex Tullii *Orat. pro Sextio Cap. VIII.* et *Ep. Fam. Lib. VII.*

(a) Quid si inter supremos municipiorum, coloniarumque magistratus praeter Duumviros, vel Quatuorviros, quandoque etiam Triumviri audiantur? Sane id ego mihi statueram ex marmore Puteolano T. Catinii Severi, quod infra integrum dabo, in quo is dicitur: AEDIL . ET . III. VIR . IN . COL . AVXIM . BIS . ET . AEDIL . COLON . PVTEOL. Sed modo me magis firmavit in ea sententia Regina Inscriptio ap. Cl. Morisanium in *Marm. Reg.* T. Ervenus T. F. Sabinus TRIVIR . AED . POT . II . TESTAMENTO LEGAVIT. cet. Profecto enim τὸ AEDiliciae POTestatis abunde demonstrat triumviratum illum ad municipales magistratos pertinere. Quo accedit et nota II. et in Puteolano BIS, idest triumviratos *secundo* initi, quae instar Consulatus Romani, nihil quidquam nova est inter supremos municipiorum magistratus, ut supra animadvorsum ex antiquo lapide Pisano Felicis Herculei. Vid. et hanc in rem Damadenum *ad Tab. Canusinam Cap. XVIII.* Demum vero ne suspicari quidem heic datur, vel de Triumviris coloniae deducendae, vel de quoquo alio Reipublicae Romanae triumviratu rem hic esse. Videmus enim, idque constantissime sive in nummis, sive in antiquis saxis huiusmodi III. Viros propriis notis distinctos, ut passim animadvertere est, quoties III. Viri memorentur Nocturni, Capitales, Monetales, Epulonum, Valetudinis, Mensarii, Senatus legendi, Sacris reficiundis, conquirendis, vel Locor. publicor. reficiendorum, persequendorumque, quos exertis notis habes apud Gruterum, Reinesium, Fabrettum.

(b) Vide Everhard. Otton. *de Aedilib.* p. 286.

Ep. XVIII. Qnatuorviros in municipiis, II. viros vero in coloniis obtinuisse arguit (a). Sed cur id in mentem venerit tanto viro, equidem non video. Certe Tullius *Lib. XIII. Ep. Fam.* 76. ad IIII. viros Fregellanos scribit; sed Fregellae colonia erat, uti ex Velleio patet. Contra vero de Duumviris municipiorum luculentissimus est Caesaris locus *Bel. Civ. Lib. I. Cap.* 30. *Duumviris municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant, Brundusiumque deducendas curent.* Sed absque eo foret, adprime vetusta marmora eam opinationem evertunt. Sic ap. Grut. *p. CV.* 12. *C. Cornėlius C. F. Gal. Caesus II. VIR MVNICIP.* Et ap. Mur. *p. DCCXXXVIII.* 7. *Q. Precio Q. F. Pol. Proculo II. VIRO designato MVNICIPES.* Et *p. DCCLIII. M. Valerio Gal. Paullino II. VIR. leg. perpetuo MVNICIPES, et incolae.* Et Verulis ap. eumd. p. MCIV. 7. *L. Alfio L. F. Cor. Vallentino II. VIR. II. Vir. QQ. M. V.* idest municipii Verulani. Contra vero Quatuorviri in coloniis ap. Grut. *p. CCCCXC.* 5. *L. Volumnio L. Fil. Pomp. Iuliano Severo IIII. VIro COL. Sign.* i. e. coloniae Signinae. Et Neriti ap. Murator. *p. MCXIII.* 5. *Q. Valerio L. F. Pal. Paraedio IIII. VIRO COL. Lup.* Et in Romano ap. Murat. *MCXV.* 6. *Sex Aurelio Terentiano IIII. VIR. COLON. Puteol.*

Porro sive Duumvirorum, sive Quatuorvirorum, qui su-

(a) Non minus a vero exorbitavit Velserus *Lib. V. Rer. Vindelic.* ubi scribit Duumviros principe loco, quatuorviros autem inferiori loco una simul iisdem urbibus praefuisse. Rectius dixisset, initio quidem II. viros creatos, postea vero ambitionis caussa. IIII. viros

supremus erat municipiorum, coloniarumque magistratus, par erat tum dignitas, ac munus, tum et annua administratio. De quibus omnibus memini fusius alibi (a) dixisse.

C A P V T VIII.

Decurionum ordo in municipiis, et coloniis parallelus Senatoribus Romae. Horum decretis plebiscita adiungebantur. Duo vetera inedita marmora producuntur.

HVIVS . PROPTER . MORVM . GRAVEM . PATIENTIAM.MAXIMAMQVE.VERECVNDIAM.SPLENDIDISSIMVS . ORDO . CONSENTIENTE . POPVLO.

Solebant veteres merita, ac virtutum honestamenta non raro in conferendis honoribus recensere, uti in nostro titulo morum gravitas, patientia, ac verecundia ostentatur, quibus motus *Splendidissimus Ordo*, *consentiente populo*, *tabulas patrocinales aheneas* Mammio, *liberisque eius offerri censuerunt.* Sic apud Gruter. *p. CCCCXLI.* 3. OB INSIGNEM BENEVOLENTIAM, AC SINGVLAREM ABSTINENTIAM. Et *p. CCCCLIV.* 8. OB EXIMIVM IN MVNICIPES SVOS AMOREM. Et *CCCCLXV.* 5. 6. PROPTER HVMANITATEM ABSTINENTIAM EFFICACIAM. Et *p. MC.* 8. OB LAVDABILEM VITAM ET MORVM EIVS ATQVE INNOCENTIAE PROPOSITVM. Et apud Murat. *p. DCLIX.*

* HVIC

(a) Vide nostrum Iter Venusin.

HVIC RESPVBLICA PRAENESTINA OB INSIGNEM AMOREM EIVS ERGA CIVES PATRIAMQVE. Et *p. MXLVII.* 4. OB MERITA EIVS QVOD INDVSTRIA SVA STATVM REIPVBLICAE AVXERIT. Porro vocabulum ORDO in veteribus titulis frequentissimum κατ᾽ ἐξοχὴν de Decurionibus accipitur, ex quibus minor (a) constabat Senatus ad maioris discrimen, qui Romae erat. Ac sicuti Romae *habere Senatum* dicebatur, sic et in municipiis, ac coloniis *habere Ordinem* dictum est. Hinc Ulpianus *L.* 3. *D. de Decret. ab Ord.* ait: *Ordo non aliter habeatur, quam duabus tertiis partibus adhibitis.* Et in aenea tabula Peltuinatium, quam supra dedimus: VESTINIS . IN . CVR . AVG . ORDINEM . HABENTIBVS. Senatum autem huiusmodi, sive Ordinem dicas, coloniis omnibus, ac municipiis fuisse, vigente praesertim Republica, nemo est qui ambigit. Qui sane pro ipsa civitatum dignitate, ac amplitudine modo NOBILISSIMVS in vetustis monumentis dicitur, ut apud Gr. *p. CCCCXXI.* 7. et SANCTISSIMVS *p. CCCXCIII.* 5. modo AMPLISSIMVS, ut ap. eumdem *p. CCCCLXXXI.* 9. et Cicer. *pro Coelio XI.* non raro SPENDIDISSIMVS, ut

(a) *Minor dicitur* (inquit Calvinus in Lexic. Iuridic.) *aliarum civitatum Curia, et qui in eum conscripti sunt, publici consilii caussa, proprie decuriales, seu decuriones sunt.* Hos *nervos Reipublicae*, et *viscera civitatum* Impp. Leo, et Maioranus adpellant. *Principales* etiam salutatos constat ex *L.* 189. *C. Theod. de Decur.* *L.* 40. C. *Theod. de Haeret.* tum ex Gruteriano lapide *p. CCCLXIII.* 2. Porro horum erat civitatis tranquillitati, ac commodis studere, et moderari Rempublicam; tum et caussas leviores cognoscere, absque tamen iurisdictione, et exequendi potestate *L. Et quae D. ad Municipal.* proinde sine coercitione, excepta modica, quam non quidem Iure magistratus exercebant, sed veluti a maiori communicatam magistratu.

ut in Corfiniensi nostro, et in lapide Doniano *Cl. V. n.* 88. C . GALERIO . C . F . AN . IVLIANO cet. AMANTISSIMO . CIVIVM . SPLENDIDISSIMVS . ORDO . ARIMINENSIVM; et ap. Grut. *p. CCCLXIII.* 2. ubi habes *viros perfectissimos, et principales, et* ORDINEM SPLENDIDISSIMVM vel eo fortasse, quod harum urbium Decuriones equestri fere censu essent, quippe equitum maxime adpositum illud habebatur, unde Tullius *equestrem splendorem*, et *splendidos equites* dixit. Porro Ordinem istum in singulis municipiis, coloniisque ex centum Decurionibus constitisse, quisque ex Tullio intelliget *Orat. II. de L. Agrar. Cap. XXXIII.* ubi a Decemviris agrariis centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices constituendos edicit. Quod sane et ex aereo albo municipii Canusini iam olfecerat Mazochius *ad Tab. Heracl. p.* 3. in quo demptis patronis, et praetextatis, Decuriones omnino centum describuntur. Atque hinc factum profecto, ut Decuriones haud raro *Centumviri* dicantur, ut in inscriptione Veientana ap. Fabrettum p. 170. *n.* 324. CENTVM . VIRI . MVNICIPI . AVGVSTI . VEIENTIS. At vero Fabrettus idem praeterquam in isto Veientium decreto, se in nullo alio lapide Centumvirorum reperisse nomen scripsit. Probe quidem, quod ego sciam, doctissimi viri aetate; sed nunc accedit et marmor villae Albanae, quod primo editum in Diario Pisano (a). CAESIAE . SABINAE . CN . CAESI . ATHICTI . HAEC . SOLA . OMNIVM . FEMINARVM . MATRIBVS . C . VIR . ET . SO-

(a) Vid. Diar. Pisan. *tom. VI. p.* 257.

SORORIBVS . ET . FILIABVS . ET . OMNIS . ORDINIS . MVLIERIBVS . MVNICIPIBVS . EPVLVM . DEDIT . DIEBVS . Q . LVDORVM . ET . EPVLI . VIRI . SVI . BALNEVM . CVM . OLEO . GRATVITO . DEDIT . SORORES . PIISSIMAE (a).

Est tamen sedulo advertendum, Decurionum ordinem SENATVM quoque adpellatum fuisse, ut vetera paene innumera testantur monumenta. Sic in veteri lapide apud Capacium *Antiq. Camp. Cap. XXIX.* L. LICINIO L. F. Ser. VALENTI PATRONO MVNICIPI cet. SENATVS POPVLVSQVE NOLANVS. Et Aquini in Campania ex schedis meis : SENATVS POPVLVSQVE AQVINAS. Et apud Gudium *p. CXIX.* 5. SENATVS POPVLVSQVE MVNICIPII INTERAMNATIS. Et apud Reinesium *Cl. III.* 13. SENATVS POPVLVSQVE Aletrinus. Eodem modo apud Murat. *p. MXXIII.* 3. SENATVS POPVLVSQVE ANAGNINVS , et p. *MXLVI.* 7. SENATVS POPVLVSQVE FERENTINVS. Et p. MCXVIII. 2.

(a) De Decurionum numero satis. Nonnulla inferne nunc de aetate adtingam. *Decuriones*, inquit Callistratus *L. II. D. de decur. et eor. fil.*, *neque minores viginti quinque annis adlegi nisi ex causa poterant*, *neque ii qui annum quinquagesimum quintum excesserant.* Plerique autem nisi pecunia non impetrabant, ut in decurionum ordinem adlegerentur. Hinc in veteri lapide, qui in Pompeiorum effossionibus ad Isidis aedem repertus est, Celsinus quidam et lege aetatis, et nummaria consuetudine solutus, quum annorum sexaginta esset, gratis decurionatus honorem est adeptus. Lapis hic est :

N . POPIDIVS . N . F . CELSINVS
AEDEM . ISIDIS . TERRAEMOTV
CONLAPSAM
A . FVNDAMENTO . P . S . RESTITVIT
HVNC
DECVRIONES . OB . LIBERALITATEM
CVM . ESSET . ANNORVM . SEXS
ORDINI . SVO . GRATIS . ADLEGERVNT.

Nimirum conlapsa Isidis aedes sub Nerone Imp. an. V. C. DCCCXVI. quo, ut Tacitus testatur *Lib. XV. cap. XXII. Motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit.* Expressius Seneca *Quaest. Nat. lib. VI. Cap. I.* motum hunc nonis Februariis accidisse, Regulo, et Virginio Coss. scribit, nimirum vicesimo prope anno ante extremum urbis casum sub Tito. Vid. *Xiph. Lib. LXVI.*

2. SENATVS POPVLVSQVE SIGNINVS (a). Favetque in primis Corfiniense marmor in Pratulano agro ante hos paucos annos erutum, tametsi pessimo malo fractum, accisumque, quod tale est:

P . CORNELIO
ONIMO .
NOBILISS
. CAESARI
S . P . Q . C

Quod et ex Tacito confirmare possem, qui *annal. XIII.* 481. sic ait: *iisdem Consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversas Senatorius ordo, plebsque ad Senatum miserunt*, ubi Senatorium ordinem pro Decurionum ordine Tacitus intelligit. Accedit Pacatus in Panegyrico *de laudibus Theodosii*, qui apud Hemonam *conspicuos veste nivea Senatores* praedicat. Et Theodosius I.

(a) Huiusmodi exempla quamplurima passim in antiquis lapidibus occurrunt. Apud Murat. *p. MXXV.* 2. SENATVS POPVLVSQVE ANTINOENSIVM. *p. MLVIII.* 1. SENATVS ET POPVLVS PALMYRENORVM. *p. CCLV.* SENATVS ET POPVLVS SAGVNTINORVM, itemque *p. MLXXXIV.* SENATVS POPVLVSQVE TARENTINORVM; et alibi frequentissime. Quid quod et innumera id passim Scriptorum exempla evincunt? *Senatus Rhemorum* meminit Caesar *Lib. II. bel. Gal. cap. V. Halesinorum, et Agrigentinorum.* Tullius *Ver. II.* cap. 49. Coloniarum Livius *lib. XXVII. cap. II. Senatus Carthaginis in L. 27. Cod. Theod. de Decur. De Senatu populoque Siracusano* loquitur Tullius idem Ver. IV. cap. 62. Quid plura? Ipsi quoque Imperatores hac dictione usi quandoque sunt: hinc Traianus ad Plin. *Epist. 84. lib. X. Senatum cuiusque Civitatis.* Quis igitur non videt ex his, toto coelo Cl. Donnellum in hac re errare, qui in *praelect. III. ad Spart. Hadrian. n.* 3. audacissime adfirmat, Senatoris nomen nunquam Decurionibus tributum fuisse? Gerrae quidem, ac nugae levissimae sunt, in quibus discutiendis non est, ut anxie laboremus. Quem enimvero latet, adeo id frequens in coloniis, ac municipiis fuisse, ut Senatores Romani discriminis ergo *Senatores Urbis, et Populi Romani* dicerentur, eorumque Senatus *maximus*; coloniarum contra *minor*, ut constat ex *L. 27. Cod. Theod. de Decur. L. 36. Cod. de Decur. et L. 239. §. 5. D. de verb. sign.*

Imp. *L.* 85. *de Decur.* prohibet *Decurionem*, (*et si sic dici oportet*) *Curiae Senatorem*, *plumbatarum ictibus subdi.* Quid quod et Maioranus Augustus *Novel.* 1. *Curialium coetum*, inquit, *recte adpellavit antiquitas minorem senatum?* Hinc *Senator Municipii* pro Decurione expresse in antiqua inscriptione Tusculana, quam ante hos annos edidit amicissimus Caietanus Marinius *Marm. Alban. Cl. II. n.* 24.

SEX . OCTAVIVS . SEX. F . PAL . FELICIANVS . SENATOR . MVNICIPI . ET . AEDIL . REXS (sic) . SACR . OB . HONOREM . OBLATVM . SIBI . PRAEFECTVR . A . COLLEGIO . DENTROFORVM (sic) . SCHOLAE . EORVM . LOCO . IMPETRATO . AB . ORDINE . PARTEM . AVXIT . TOTAMQVE (sic) (omne opere) . PECVNIA . SVA . COMMAVT (sic).

Eodem modo Senator coloniae in marmore Lugdunensi apud Grut. p. *CCCCLXIV.* 9. RVSP . ATROPHILI RVSON . SENATOR . COL . cet. Praeterea Senatusconsultum pro Decurionum decreto haud raro in veterum inscriptionibus inveni, ut in tabula Puteolana apud Capacium *Lib. II. Hist. Neap.* EX . S . C . DENDROPHORI . CREATI . QVI . SVNT . SVB . CVRA . XV . VIR . S . F . C . C . V . V . PATRON . L . AMPLVS . STEFANVS . SAC . M . DEI . cet. Cui titulum addo, quem egomet Canusii ante hunc annum vidi:

Vortumno . Sacrum
P . Curtius . P . F . Salaxus

P . Titius . L . F . IIII . Vir
De . munere . Gladiatorio
EX . S . C

Et apud Gruterum *p. CCCCLVI.* 1. M . ACILIVS . PLACIDVS . L . PETRONIVS . FRONTO . IIII . VIR . I . D . S . C . FERENTIN. et *p. CXCIV.* 6. P. MARCIVS . P . F . HISTER . C . MOENIVS . C . F . RVFVS . IIII . I . D . S . C . Quibus accedit et Inscriptio Campana, quam Cl. Mazochius (*Comment. in mut. Camp. Amph. titulum cap. V. adnot.* 34.) adfert, ubi P . PESCENNIO . P . F . SECVNDO . IIII . I . D . QVOD . AGRVM . LVCAN . RECIPERAVIT . SINE . IMPENSA . REIPVBLICAE . SEN . CONS . Queis quidem iu titulis, qunm IIII. viratns coloniarnm magistratus notetur, nullum profecto dubium, quin pro Decreto Decurionum Senatusconsultum intelligendum sit; atque id vel eo factum arbitror consilio, quod iu coloniis, et municipiis, idipsum Decuriones erant, quod Senatores Romae, uti praeter ceteros Cl. Montfauconius animadvertit (a). Quod enimvero nullibi vel manifestius, vel locupletius datur intelligere, quam ex ipsa facie Caleni huius inediti marmoris, auro contra non pretiosioris, quod amicissimus Petrus Marchiouius exscripsit, atque

Ff nuper

(a) Montfaucon antiquités expliquées *tom. V. p. 32. Ces decurions etoient dans les colonies, et dans les villes municipales ce que les senateures etoient a Rome. Ils faisoient des decrets, et avoient soin de la police: dela vient que nous voions souvent dans les inscriptions ex* Decreto Decurionum; *mais plus souvent*, locus datus decreto decurionum, *lieu donné par le decret des decurions.*

nuper mecum communicavit: marmor autem sic se habet:

PATER . POSVIT
C. FLAVIO . POLLION
FIMBRIAE . C . N . C. PRON
IN SENATVM . COOPTATO
LOCO . DATO . S . C . PER . TABELLAM

Ex quo observes et Senatum pro Curia, et S . C . pro Decurionum decreto poni.

Adhaec eodem modo, quo Senatus βȢλη dicebatur, et Senatores βȢλευται, sic eodem quoque vocabulo Curia, et Decuriones significabantur, uti erudite habet Antonius Augustinus *Lib. Sing. ad Modestinum:* quod et ex Tarentino lapide potissimum elucet ap. Murat. *p. MLXXXIV*. 3.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙ . ΠΑΤΡΙ
ΘΕΩ . ΜΕΓΑΛΩ . ΕΝΟΣΙΧΘΟΝΙ
ΚΑΙ . ΤΗΣ . ΠΟΛΕΩΣ . ΣΩΤΕΡΙ
(sic)
Η . ΒΟΥΛΗ . ΚΑΙ . Ο . ΔΕΜΩΣ
ΤΩΝ . ΤΑΡΕΝΤΙΝΩΝ

Id est: *Neptuno patri, Deo magno, terrae percussori, et urbis servatori Senatus, populusque Tarentinus.* Cui et Stabiensem lapidem suppono ap. Capacium *Hist. Neap. in fin.*

ΠΡΟΑΣΤΕΙΑ . ΛΙΜΕΝΑΤΕ . ΠΡΟΣ . ΠΟΛΙΤΩΝ . ΚΑΙ . ΝΑΥΤΙ
ΛΩΝ . ΕΠΙΤΗΔΕΙΟΤΗΤΑ . ΒΟΥΛΕΥΤΑΙ . ΣΤΑΒΙΑ . Σ . Σ
ΔΙΦΙΛΟΣ . ΚΑΙ . ΤΟΙ . ΒΡΑΔΗΣ . ΑΡΧΙΤΕΚΤΩΝ . ΠΡΟΣ . ΤΑΓΜΑ
ΟΜΩΣ . ΤΑΧΥΣ . ΕΡΓΑ . ΟΛΥΜΠΙΑΔΕ . Α

i. e. *Suburbia, portumque ad civium, et nautarum commodi-*

moditatem Senatores Stabienses construi curarunt. Diphilus, quamvis tardus Architectus, ad iussum tamen celer quinquennio absolvit. His accedit qnod uti Romae passim Patrum nomine adpellati Senatores, ita hand raro in municipiis, coloniisque Decuriones. Exemplo est vetus inscriptio ap. Reinesium *Cl.I. n.*263. TIBERIO.FLAVIO. PATRONO.FABRI.FERRARI.DIBIONENSES cet. L. D.D.PA. idest *locus datus decreto Patrum.* Porro dignitas quoque et Senatoribus, et Decurionibus quodammodo communis fuit, veluti iu albo, electione, muneribus, ac censu. Et de albo quidem, cui Decurionum inscripta nomina, inscriptio extat Tudertina apud Grut. *p. XIX.* 6. PRO. SALVTE.COLONIAE.ET.ORDINIS.DECVRIONVM. ET. POPVLI. TVDERTIS. IOVI. OPT. MAX. CVSTODI. CONSERVATORI. QVOD. IS. SCELEROSISSIMI. SERVI. PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO. DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINIS. DECVRIONVM. NOMINA. NVMINE. SVO. ERVIT. AC. VINDICAVIT. ET. METV. PERICVLORVM. COLONIAM. QVOQVE. LIBERAVIT. L. CANCRIVS. CLEMENTIS. LIB. PRIMIGENIVS. (a) Immo

* uti

(a) Decurionum albi exemplar habes in tabula ahenea Canusina apud Fabrettum *p.* 599. *n.* 9. cuius initium: L.MARIO.MAXIMO.II.L. ROSCIO. AELIANO. COS. M. ANTONIVS. PRISCVS. L. ANNIVS SECVNDVS II. VIR. QVINQVENN. NOMINA DECVRIONVM. IN. AERE. INCIDENDA. CVRAVERVNT. Hinc Decurionum nomina scripta; atque eo ordine, ut primo *Patroni CC. VV.* mox *Patroni Eqq. RR.* tertio *Quinquennalicii*, quarto *Allecti inter Quinquennalicios*, quinto *II. Viralicii*, sexto *Aedilicii*, septimo *Quaestoricii*, octavo *Pedani*, nono *Praetextati.* Quo nimirum spectat *L.* 48. et 142. C. Teod. de Decur. itemque Tit. D. de albo scribuodo, sic ut spectentur dignitates, et scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo in municipiis honore functus est. Videsis et hanc

uti Cives Romani inter Patricios, et Plebeios dispescebantur, teste Caio I. C. *L.* 238. *de V. S. Plebs est ceteri cives sine senatoribus*; ita coloniarum etiam cives inter Decuriones, et plebem distinguebantur *L.* 3. *D. de testib.* Hinc Tacitus *lib. XIII. annal. cap.* 37. *partem maiorem plebei, ac Decurionum in vincula coniecit.* Quod et ex veteribus monumentis palam fit, quibus ORDO ET POPVLVS nunquam non coniungitur (a): quorum omnium vel instar sit hoc ineditum Miseni marmor longe pulcherrimum, maculis licet undique conspersum.

T. FL.

hanc in rem Symmach. *Epist. LI. Lib. X.* Porro et id ex aere Canusino edocemur, huiusmodi *Album* nonnisi tabulam ex aere fuisse; quemadmodum illa adprime formula suadet: IN TABVLAM, IN ALBVM REFERVNDA ap. Murat. p *DLXXXII.*

(a) Apud Grut. p. *CLXXXVI.* 3. ORDO POPVLVSQVE NOLANVS occorrit; et in Abellinati (vide nostr. Iter Venus.) ORDO ET POPVLVS ABELLINATIVM; et in inscriptione C. Caelii Censorini ad fores Ecclesiae Grumensis apud Fractam ORDO. POPVLVSQVE. ATELLANVS. Et Volceiis in Lucania IOVI. CONSERVATORI. ET. MARTI. VLTORI. ORDO. POPVLVSQVE. VOLCEIANVS, uti etiam in nostra ORDO. POPVLVSQVE. CORFINIENSIVM. Aliquando vero *Decuriones, et Plebs*, uti apud Panvinium *de Imp. Rom. p.* 744. DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE. ANCONITANORVM, et *p.* 748. DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE. ASCVLANORVM: vel *ordo, et Plebs*, ut in Venusina ORDO. ET PLEBS. VENVSINORVM; et apud Murat. *MCX.* 6. ORDO. ET. PLEBS. ATINATIVM; et aliquando demum *Decuriones populusque*, ut apud Fabret. *p. X. n.* 163. DECVRION. POPVLVSQVE. COLONIAE. PRAENESTIN. Sic et in lapide ex schedis meis ORDO. DECVRIONVM. POPVLVSQVE. SIPONTINVS. Vel *Decuriones, et municipes*, ut apud Donium *Cl. III. n.* 14. DECVRIONES. MVNICIPESQVE. SVRRENTINI.

T . FL . AVITO
FORENSI . II
VIR . ITER . QQ . OMNIB
MVNERIB . FVNCTO . HIC
IDEM . AD . LAVACRVM . BAL
NEAR . PVBLICAR . LIGNI
DVRI . VEHES . N . CCCC . EN
THECAE . NOMINE . IN . PER
PETVVM . OBTVLIT . ITA
TAMEN . VT . MAGISTRATVVS
QVODANNIS . SVCCESSORIB
SVIS . TRADANT . FILIO
T . FL . AVITI . V . E . PATRON . COL
ORDO . ET . POPVL . MISENAT

Ex quo, et aliis huiusmodi quamplurimis luculentissime patet, plebis scitis decurionum decreta in coloniis adiuncta esse, adeo quidem ut ipsa quoque plebs sententiam rogaretur: id quod ex inscriptione Narbonensi apud Grut. *p. CCXXIX.* I. quisque intelliget, ubi Augusto PLEBS NARBONENSIVM aram in foro posuisse dicitur, ac tres equites Romani a plebe, et tres libertini annua sacra facere iubentur in honorem Augusti, quod IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT, vel quod Plebem abs Iudiciis excludere fortasse conati fuerint Decuriones, vel quod discrepantes Decurionum, ac Plebis sententias Augustus composuerit (a). Ex hoc igitur vide, totam

(a) Partem huius inscriptionis iam supra adtuli in Praefatione.

totam decretum condendi auctoritatem in coloniis penes Decuriones fuisse, hoc amplius, quod plebs etiam suam rogata sit sententiam: quod et ex Cenotaphio Gaiano apud Norisium nunc evincere libet, ubi: DVOVIRI . QVI . PRIMI . CREATI . ERVNT . HOC . QVOD . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSIS . COLONIS . PLACVIT . AD . DECVRIONES . REFERANT . EORVM . PVBLICA . AVCTORITATE . ADHIBITA . LEGITVME . ID . CAVEATVR . AVCTORIBVSQVE . IIS . IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERATVR. Et ibidem OB . EAS . RES . VNIVERSI . DECVRIONES . COLONIQVE. cet. INTER . SE . SE . CONSENSERVNT. Praeterea id etiam confirmatur ex inscriptione Grnteriana *p. CCLXXXVII.* 2. in qua ORDO . NARNIENSIVM . VNA . CVM . CIVIBVS; et *p. CDXXIII. 6.* itemque *p. CDXXXI.* 1. ubi SEXTVS . LIGVRIVS . II . VIR . DESIGNATVS . EX . POSTVL . POPVLI *ornamentis quinqueviralibus honoratus* SVFFRAG . SANCT . ORDINIS. Atque haec ideo fusius edisserui, ne quis *το* CONSENTIENTE POPVLO temere in nostra inscriptione scalptum arbitretur; ex eo enim mirum quantum intelligitur, Decurionum decreto populi etiam consensum accessisse, ut tabulae patrocinales aheneae, de quibus mox, Mammio nostro offerrentur.

CAP. IX.

CAPVT IX.

TABVLAS PATROCINALES AHENEAS.

Tabulae Patrocinales quae sint. Quid Hospitium. Unde mos derivatus. Syracusanorum tabulae patronatus cum Diodoto. Stipulationes nempe inter clientes, et patronos. Per Legatos oblatae. Non viris praestantibus tantum, sed et feminis. Etiam Collegia tabulis aeneis Patronos honorabant.

Nimirum id erat in more positum apud veteres, ut ubi Municipia, Coloniaeque patronum aliquem sibi consciverint, statim illi tabulas hospitales, quae PATRONALES alibi (a), et in nostra inscriptione PATROCINALES dicuntur, offerebant. Hinc Tullius actione ultima in Verrem haec de Syracusanorum senatu habet: *Decernunt, ut fratri meo hospitium publice fieret, quod is eamdem voluntatem erga Syracusanos habuisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in AERE INCISVM NOBIS TRADIDERVNT.* Atque morem hunc ego inter gentem, et gentem primo arbitror constitisse, quarum confoederatio, ut diuturnioris esset memoriae, aeneis tabulis consignari solebat (b). Huiusmodi illa mihi antiquissima omnium occurrit,

(a) Unde *Patronalis honor* in inscr. ap. Grut. p. MCI. 7. *Petendumque ab eo libenter suscipiat collegii nostri PATRONAL. HONOREM. tabulamque aeream cum inscriptione cet.*

(b) Caesar *Bell. Gallic. lib. I. cap. XXXI.* de Aeduis loquens: *qui et sua virtute, et populi Romani hospitio,*

rit, quae *Machab. Lib. I. Cap. VIII.* Hebraeos inter, ac Romanos est signata : *Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis aereis, et miserunt in Hierusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis, et societatis : BENE SIT ROMANIS, ET GENTI IVDAEORVM.* cet. Atque res eo deducta est, ut adamussim ea omnia adminicula, quum populi ac civitates in alicuius fidem clientelamque reciperentur, obtinuerint. Constabit id facile cuivis, modo Graecas parumper excusserit memorias. Neque id ego committam, ut Agrigentinorum aeneam tabulam praetermittam in Regio Neapolitano Musaeo, qua Hospitium a Senatu publice decretum est cum Demetrio Syracusano : ΔΕΔΟΧΘΑΙ . ΕΠΙ . ΑΓΑΘΑΙ . ΤΥΧΑΙ . ΚΑΙ . ΣΩΤΗΡΙΑΙ . ΤΟΥ . ΔΑΜΟΥ . ΤΩΝ . ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ . ΕΙΜΕΙΝ . ΠΡΟΞΕΝΟΝ . ΚΑΙ . ΕΥΕΡΓΕΤΑΝ . ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ . ΔΙΟΔΟΤΟΥ . ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ . ΟΠΩΣ . ΠΑΣΙ . ΦΑΝΕΡΟΝ . ΟΤΙ . Ο . ΔΑΜΟΣ . ΤΩΝ . ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ . ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ . ΧΑΡΙΤΑΣ . ΑΠΟΝΕΜΕΙΝ . ΚΑΤΑΞΙΑΣ . ΤΟΙΣ . ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ . ΠΡΟΑΙΡΟΥΜΕΝΟΙΣ . ΑΥΤΟΝ . ΤΟ . ΔΕ . ΔΟΓΜΑ . ΤΟ . ΔΕ . ΚΟΛΑΨΑΝΤΑΣ . ΕΣ . ΧΑΛΚΩΜΑΤΑ . ΔΥΟ . ΤΟ . ΜΕΝ . ΕΝ . ΑΝΑΘΕΜΕΙΝ . ΕΙΣ . ΤΟ . ΒΟΥΛΕΥΤΗΡΙΟΝ . ΤΟ . ΔΕ . ΑΛΛΟ . ΑΠΟΔΟΜΕΙΝ . ΔΗΜΗΤΡΙΩΙ . ΔΙΟΔΟΤΟΥ . ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΙ . ΥΠΟ . ΜΝΑΜΑ . ΤΑΣ . ΠΟΤΙ . ΤΟΝ . ΔΑΜΟΝ . ΕΥΝΟΙΑΣ. *Quod felix, faustumque, ac salutare*

spitio, atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare. Et Claudius in sua oratione ap. Tacitum *lib. XI. cap. XXV. Primi Aedui Senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.* De Romanorum item hospitio cum Caeretibus Livius testatur Lib. V. imperasse Romanos, *ut cum Caeretibus publice Hospitium fieret, quod sacra populi Romani, ac Sacerdotes recepissent.*

tare sit populo Agrigentinorum decerni publicum hospitem, et amicum Demetrium Diodoti filium Syracusanum, ut cunctis clarum sit, populum Agrigentinum scire gratias referre dignas iis, qui ipsi benefacere studuerint. Hoc autem decreto in Tabulas aeneas duas inciso, unam suspendere in hac Curia, et aliam dare Demetrio Diodoti filio Syracusano in monumentum eius erga populum benevolentiae. Cui accedit Psephisma alterum tabulae aeneae inscriptum, quo Melitenses cum eodem Demetrio Hospitium fecerunt: ΑΓΑΘΗΙ . ΤΥΧΗΙ . ΔΕΔΟΧΘΑΙ . ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ . ΔΙΟΔΟΤΟΥ . ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ . ΠΡΟΞΕΝΟΝ . ΕΙΝΑΙ , ΚΑΙ . ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ . ΤΟΥ . ΔΗΜΟΥ . ΤΩΝ . ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ . ΚΑΙ . ΤΟΥΣ , ΕΓΓΟΝΟΥΣ . ΑΥΤΟΥ . ΑΡΕΤΗΣ . ΕΝΕΚΕΝ . ΚΑΙ . ΕΥΝΟΙΑΣ . ΗΣ . ΕΧΩΝ . ΔΙΑΤΕΛΕΙ . ΕΙΣ . ΤΟΝ . ΗΜΕΤΕΡΟΝ . ΔΗΜΟΝ . ΤΗΝ , ΔΕ , ΠΡΟΞΕΝΙΑΝ . ΤΑΥΤΗΝ . ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ . ΕΙΣ , ΧΑΛΚΩΜΑΤΑ . ΔΥΟ . ΚΑΙ . ΤΟ . ΕΝ . ΔΟΥΝΑΙ , ΔΗΜΗΤΡΙΩΙ . ΔΙΟΔΟΤΟΥ . ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΙ. *Quod felix faustumque sit censeri Demetrium Diodoti filium Syracusanum hospitem esse, et beneficum populi Melitensis, et posteros suos virtutis ergo, et benevolentiae, quam continuo exhibet in nostrum populum. Hoc vero hospitium inscribatur in aeneas tabulas duas, et una detur Demetrio Diodoti filio Syracusano* (a).

Ut autem a Graecis ad Romanos veniam, nihil his anti-

(a) Utrumque Psephisma viri praeclarissimi Antonius Augustinus Episc. Tarraconens. *Lib. de Leg.* Martinus Smetius, Antonius Wandalius *Diss. IX. de antiq. marm.* Gualterius *Tab. Antiq. Sicil.* Ianus Gruterus, Iacobus Philippus Thomasinus Episc. Aemoniens. Scipio Maffeius, Ludovicus Ant. Murator. et tandem Castellius *Inscr. Sic. Clas. VIII.* 12. ediderunt.

quius profecto, sollemniusque, quam tabulis aere incisis hospitalitatem cum praestantissimis viris facere. Tribuam id Academiae Cortonensi, quae iam pridem adolescentem me in doctissimorum virorum coetum adscribere haud est dedignàta, ut ex tabulis, quae in musaeo servantur, unam saltem hic adponam. Quod eo lubentius faciam, quo vetustior omnium est, quotquot usque nunc prodiderunt (a). Inscriptio autem huiusmodi est :

P. SVLPICIO. QVIRINIO. C. VALGIO. COS

SENATVS. POPVLVSQVE. CIVITATIVM. STIPENDIARIORVM. PAGO. GVRZENSES. HOSPITIVM. FECERVNT. QVOM. L. DOMITIO. CN. F. L. N. AHENOBARBO. PRO. COS. EVMQVE. ET. POSTEROS. EIVS. SIBI. POSTERISQVE. SVEIS. PATRONVM. COOPTAVERVNT. ISQVE. EOS. POSTEROSQVE. EORVM. IN. FIDEM. CLIENTELAM. QVE. SVAM. RECEPIT

FACIVNDVM. COERAVERVNT. AMMICAR. MILCHATONIS. F. CYNASYN. BONCAR. AZZRVBALIS. F. AETHOGVRSENSIS. MVTHVNBAL. SAPHONIS. F. CVINAS. VZITENSIS

Ni-

(a) Pertinet enim ad an. Urb. DCCXLII. Altera vero ad an. DCCLX. nimirum A. Licinio Nerva Siliano Cos. qua *Civitas Gurzensis ex Africa hospitium fecit cum C. Aufustio C. F. Gal. Macrino eumque liberos posterosque eius sibi liberis posterisque suis patronum cooptarunt.*

Nimirum Patronatus vinculum quoddam erat inter clientes, et patronos, quod stipulatione perficiebatur. Quum enim stipulatio *contractus sit*, *constans ex interrogatione*, *et responsione certis verbis concepta*, hinc est ut in hisce tabulis ipsissima prope verborum forma interrogatio, ac responsio concipiatur. Clientes namque in patronorum fidem clientelamque se conferre profitebantur; Patroni verò se recipere in fidem suam clientes dicebant (a): veluti in aerea tabula Civitatis Themetrae, quam Clarissimus Maffeius dedit ex archetypo, quod praelo supposuit. *Mus. Ver. p. CCCCLXXII.*

M. CRASSO . FRVGI . L. CALPVRNIO . PISONE . COS
III . NON . FEBR
CIVITAS . THEMETRA . EX . AFRICA . HOSPITIVM .
FECIT . CVM . C . SILIO . C . F . FAB . AVIOLA .
EVM . LIBEROS . POSTEROSQVE . EIVS . SIBI .
LIBERIS . POSTERISQVE . SVIS . PATRONVM .
COOPTAVERVNT
C . SILIVS . C . F . FAB . AVIOLA . CIVITATEM .
THEMETRENSEM . LIBEROS . POSTEROSQVE .
EO-

(a) Neque tamen huiusmodi forma Aes Tarentinum: constanti usu servata. Unum adpono

C . AVFIDIVM . ATTICVM . IPSVM . POSTEROSQVE . SVOS
ET . Q . VETTIVM . ATTICVM . IPSVM . POSTEROSQVE . SVOS
COLONI . COL . TARENT
SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE . EORVM
SVFFRAG . ORD
PATRONOS . COOPTARVNT

Vide mox Inscript. Conventus Cluniensis.

EORVM . SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE . SVIS .
IN.FIDEM . CLIENTELAMQVE.SVAM . RECEPIT
EGERVNT.BANNO.HIMILIS.F.SVFES.AZDRVBAL
BAISILLEGIS.F . IDDIBAL.BOSIHARIS.F . LEG

Vides amplius per legatos foedus huiusmodi inter civitatem, et patronum signari solitum. Quo facit egregius Tullii locus *Orat. pro Balb.* Cap. XVIII. *Hospitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico: proferam legatos.* Et mox: *Adsunt principes civitatis, et defendunt, amore ut suum civem, testimonio ut nostrum, officio ut ex nobilissimo cive sanctissimum hospitem, studio ut diligentissimum defensorem* (i. e. patronum) *commodorum suorum.* Quam legationem nunquam non aeri consignatam offendimus, ut ex tabulis omnibus, quibus C. Silium Aviolam Africani populi patronum cooptarunt (a). Huius-

(a) Praeter Civitatem Themetram, et Senatum Populumq. Thimiligensem, Civitas etiam Apisia, et Senatus Populusq. Siagitanus cum uno Silio Aviola hospitium fecit; quin binae amplius tabulae supersunt, quibus Silius omnium Urbium Africanarum cooptatur Patronus. Nimirum plures populi saepissimo unius Patroni Clientes extiterunt. Quo adprime facit Tullius *Orat. pro Plancio*: *Quum omnia illa municipia, quae sunt a Vibone Brundusium in fide mea, iudices, essent, iter mihi tutum, multis minitantibus, magno cum suo metu praestiterunt.* Id quod abunde in primis vetera marmora testantur. In inscriptione Amiternina, quam doctissimus, amicissimusque Vir os Iuvenascios primu edidit: C. GALLIO . C . F . QVIR . PROCVLO . SPLENDIDISSIMO . VIRO . II . QQ . PATRONO . DECVRIONVM . ET . POPVLI . AMITERNINORVM cet. PATRONO . DECVRIONVM . ET . POPVLI . AVEIATIVM . VESTINORVM . cet. PATRONO . PELTVINATIVM cet. PATRONO . DIGNISSIMO . PAGANI. Ubi vides Gallium trium simul populorum patronum extitisse, itemque *Pagi Septaquani*. Te vero *decurionum et populi* idem valere, ac *civitatis* inscriptio docet eiusdem C. Gallii in aedibus Magistratos Aquilani, in qua PATRONVS . CIVITATIS . AMI-

Huiusmodi est aes alterum, quod ex archetypo item exhibuit idem Maffeius Mus. Veron. p. CCCCLXXIII.

M . CRASSO . FRVGI . L . PISONE . COS .
SENATVS . POPVLVSQVE . TIMILIGENSIS . HOSPITIVM . FECERVNT . CVM . C . SILIO . C . F . FAB .
AVIOLA . PRAEF . FABR . EVMQVE . LIBEROS .
POSTEROSQVE . EORVM . SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE . SVIS . PATRONVM . COOPTAVERVNT
C . SILIVS . AVIOLA . PRAEF . FABR . THIMILIGENS .
VNIVERSOS . SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE .
SVIS . SVORVMQVE . IN . FIDEM . CLIENTELAMQVE . SVAM . SVORVMQVE . RECEPIT
EGERVNT . LEGATI . AZRVBAL . SVFES . ANNOBALIS . F . AGDIBIL . BONCARTH . IDDIBALIS .
F . RISVIL..... NNO . AZRVBALIS . F . XVCELARZO...... AMMICARIS . F . AGDIBIL . L .
BALITONIS . F . SIRNI

Atque legatio ista quandoque ab uno tantum fiebat, ut

AMITERNINORVM, dicitur, ac praeterea *Vicanorum Forulanorum*. Eodem modo L. Vibius Severus in lapide Superaequano, quem infra integrum dabimus, PATRONVS . CIVITATIS . SVPERAEQVANORVM . ITEM . PATRONVS . CIVITATIS . ANXATIVM . FRENTANORVM . ET . PELTVINATIVM . VESTIN. audit. Praeterea apud Gruter. p. MXCVIII. 1. L. Nonius Verus PATRONVS . MVTINENSIVM . AQVILEGIEN . BRIXIANORVM . ET . VNIVERSARVM . VRBIVM APVLIAE . CALABRIAEQVE dicitur. Et in lapide Neritino: Q. FABIO . BALBO cet. LVPIENSES . HVDREN . ET . NERITINI . PATRONO . OPTIMO. Coronidis ergo unum huc transferam marmor, quod nuper egomet exscripsi in Musaeo viri amicissimi Francisci Danielii Casertae ad S. Clementem:

L . PACIDEIO . L . F . L . NEP . L . PRON
TER . CARPIANO . SPL . EQ . R
MVNITO . SACERD . LANVIN
PAT . MVN . CAIAT . ITEM . COL
ALIFANOR . PAT . ET . CVRAT . R . P
ATINAT . ITEM . SEPINATIVM
PAT . TEANENSIVM . APVLVM
DOMITIA . GALATIA . VXOR . ET
PACIDEII . MARCIA . C . F . ET . CAR
PIANI . SEN . ET . IVN . FILI

ut in tabula bilingui Codicis Vaticani, quam in frusta separatim edidit Cl. Muratorius p. MLXXV. et seq. ΠΡΟΥΣΑΕΙΣ ΑΠΟ ΟΛΥΜΠΟΥ cet. *Prusienses ab Olympo .. Patrono et benefactori, legationem agente Demophilo Asclepiadis .. Prusienses ab ... Patrono et benefactori legationem agente Artemidoro filio Artemidori ... Prusienses ab Ypio Patrono et benefactori* cet. *legationem agente Menemacho Cassandri filio.* Per unum legatum item patronatus Cluniensium oblatus C. Mario Pudenti, ut ex aere, quod in Aventino detectum est anno MDCCLXXVII, atque primus edidit Ioannes Spallettius.

IMP. CAES. M. AVR. SEVERO. ALEXANDRO
COS. EIDIB. APRILIBVS
CONCILIVM. CONVENTVS. CLVNIENS
G. MARIVM. PVDENTEM. CORNELIA
NVM. LEG. LEG. C. V. PATRONVM
SIBI. LIBERIS. POSTERISQVE. SVIS
COOPTAVIT. OB. MVLTA. ET. EGREGIA
EIVS. IN. SINGVLOS. VNIVERSOS
QVE. MERITA. PER. LEGATVM
VAL. MARCELLVM
CLVNIENSEM

Atque, ubi de legatione sermo, ut plurimum verbum AGERE usurpatum videmus, quod tum ex his, quae posuimus, patet, tum ex Siagitanorum aere cum eodem C. Silio ap. Gruter. p. CCCCLXX. 2. *AGENTE Celere Imilchonis Guilisae F. Suffete.* Et ex aere Civitatis Apisiae

cum

cum eodem ibid. n. 1. *EGERVNT Hasdrubal Iummo Iaderiummi Hasdrubal Hannonis Bannogabali Chinisdo Suffes* cet. *Legati.* Per legatos item Q. Aradium Proculum a plerisque Africanis civitatibus cooptatum aheneae quinque tabulae testantur, quae Romae in monte Coelio sub ruderibus aedis S. Erasmi an. MDLXI. sunt effossae, quo loco certe Q. Aradii domus posita erat. Faustianensium tabula patronalis talis est ap. Grut. p. CCCLXIII. 2.

FELICITER

DD . NN . CRISPO . ET . CONSTAN
TINO . NOBB. CAESS. IT . COSS
X . KAL . MAI
QVOD . Q . ARADIVM . VAL . PROCVLVM . V . C
PRAESIDEM . PROV . VAL . BYZAC . FAVSTIA-
NENSES . PATRONVM . COOPTARENT . CVM .
LIBERIS . POSTERISQVE . EIVS . SIBI . LIBERIS .
POSTERISQVE . SVIS . TESSERAM . HOSPITALEM .
CVM . EO . FECERVNT . VTI . SE . IN . FIDEM .
ATQVE . CLIENTELAM . VEL . SVAM . VEL . PO-
STERORVM . SVORVM . RECIPERET . ATQVE .
ITA . IN . HAC . RE . SPLENDIDISSIMVS . ORDO
EIVSDEM . CIVITATIS . FAVSTI
ANENSIS . LEGATIONEM . PRO
SEQVVTVS . EST

Simili modo in aere Coloniae Mercurialis Thenit ibid. n. 3. *In quam rem legatos ire dixerunt Universos Ordinis*

dinis viros censentibus cunctis agentibus Curiam Q. Valerio Marullo et C. Hortensio Concilio Duoviris, Et in aere Coloniae Zamae Regiae p. seq. n. 1. *Egerunt C. Mucius Brutianus* cet. Quum vero legationes istae summi impendii Reipublicae essent, tum ob longa intervalla locorum, tum ob ingentes sumptus, qui in Urbe a legatis fiebant, hinc qui proprio aere legationes istas susciperent, non defuere. Quo facit Patrocinalis tabula Civitanorum cum eodem Aradio ap. Fabret. Cap. V. p. 364. IN QVAM REM GRATVITAM LEGATIONEM SVSCEPERVNT. *Insteius Renanus et Apollonius Gallentius Duoviri. T. Aelius Nigocinus et Aelius Faustinus Aediles. L. Aelius Optatianus Aemilius Nenigonius Aemilius T. Tracius Statilius Secundianus ex P. P. et universus Ordo* (a).

Porro per legatos istos tabulas patrocinales aheneas patronis offerri solitas, ipsa quae supersunt aera testantur. Quo facit fragmentum laminae Taurinensis ap. Maffeium *Mus. Ver.* p. CCXIV.... *Ordo Augustae Taurinor. Patrocinio coloniae decrevit et per legatos detulit.* Et alibi p. 88. *Ideo placet cuncto Ordini nostro Tabulam Patronalem offerri debere.* cet. Sed nullibi expressius, quam in hospitali tabula aerea, qua Municipium Ferentini T. Pomponium Bassum patronum cooptavit ap. Grut. p. CCCCLVI. 1.

L.

(a) Non Faustianenses tantum, et Civilitani, Theanitae, Zamiani, et Hadrumetini hospitium cum Q. Aradio Proculo publice fecerunt, ut ex patrocinalibus tabulis ap. Grut. p. CCCLXI. sed Ordo Mididitanorum insuper dicitur in aere apud Hadrianum Relandum *Adpend. ad fast. p.* 850. in fidem clientelamque eiusdem se recepisse.

L . ARRVNTIO STELLA
L . IVLIO MARINO COS

XIIII. K. NOV

M . ACILIVS . PLACIDVS . L . PETRONIVS . FRONTO . IIII . VIR . I . D . S . C . FERENTINI . IN . CVRIA . AEDIS . MERCVRI . SCRIBVNDO . ADFVERVNT . Q . SEGIARNVS . MAECIANVS . T . MVNNIVS . NOMANLINVS

QVOD . VNIVERSI . V . F . T . POMPONIVM . BASSVM . CLARISSIMVM . VIRVM . DEMANDATAM . SIBI . CVRAM . AB . INDVLGENTISSIMO . IMP . CAESARE . NERVA . TRAIANO . AVGVSTO . GERMANICO . QVA . AETERNITATI . ITALIAE . SVAE . PROSPEXIT. SECVNDVM . LIBERALITATEM . EIVS . ITA . ORDINARE . VT . OMNIS . AETAS . CVRAE . EIVS . MERITO . GRATIAS . AGERE . DEBEAT . FVTVRVMQVE . VT . TANTAE . VIRTVTIS . VIR . AVXILIO . SIT . FVTVRVS . MVNICIPIO . NOSTRO . Q.D.E.R.F.P.D.E.R.I.C.PLACERE.CONSCRIPTIS. LEGATOS . EX . HOC . ORDINE . MITTI . AD . T . POMPONIVM . BASSVM . CLARISSIMVM . VIRVM . QVI . AB . EO . IMPETRENT . IN . CLIENTELAM . AMPLISSIMAE . DOMVS . SVAE . MVNICIPIVM . NOSTRVM . RECIPERE . DIGNETVR . PATRONVMQVE . SE . COOPTARI . TABVLA . HOSPITALI . INCISA . HOC . DECRETO . IN . DOMO . SVA . POSITA . PERMITTAT . CENSVERE . EGERVNT . LEGATI . A . CAECILIVS . A . F . QVIRINALIS . ET . QVIRINALIS . F

Profecto autem, ut quod mihi constanter datum est in vetustis tabulis animadvertere, aperiam, nonnisi cum summis, meritissimisque viris id dumtaxat actum, ut Patronatus honor non uni alicui tantum, sed et liberis posterisque eius decerneretur, quemadmodum cum P. Mammio Aufidio Priscino Corfinienses egisse ex nostro marmore edocemur. Atque hi quidem Patronorum liberi, qui parentibus mortuis in eamdem fidem, clientelam, amicitiamque succedebant, PATRONI AB ORIGINE dicebantur. Hinc in marmore Campano: L. AVRELIO. AVXONTI. LEONIDE. AB. ORIGINE. PATRONO. cet. Et in Surrentino ap. Capacium Hist. Neap. Lib. I. Cap. XVII. FLAVIO. FVRIO. FAVSTO. V.C. TRIBVNO. AB. ORIGINE. PATRONO. OB. MERITA. LABORVM. SVORVM. VNIVERSVS. ORDO. ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM. STATVAM. *nobilitati eius faciendam curavimus*

Sed ne a conterminis regionibus longius abscedam, extat adhuc Anxani in Frentanis vetus inscriptio

L . CLATRIO . T . F . VIRO . SPLENDIDO
OMNIBVS . HONORIBVS
IN . PATRIA . FVNCTO
CERFENNINI . AQVEN . ALBEN
PATRONO . AB . ORIG (a)

Atque

(a) In Anxanensem lapidem nonnulla adsperguntur.

CERFENNINI. Cerfennia Marsorum urbs inter Albam, et Corfinium. De ea Antonini Itinerarium, quod supra adposuimus Cap. II. Et in Theatina columna milliaria apud Reinesium Cl. III. n. 80. TI. CLAVDIVS. CAISAR. AVG. GER. PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. XVI COS. IIII. P. P. CENSOR. ℲIAM CLAVDIAM. ℲALER. A. CERFENNIA.

Atque hos quandoque *ab Atavis patronos* nuncupatos video, ut in lapide Beneventano ap. Murat. p. MXXXII. 8. VALERIO. POPLICOLAE. C. V. CONS. CAMPANIAE. AB. ATAVIS. PATRONO. SPLENDIDISS. ORDO. BENEVENTANVS. Nec praetereunda heic ob singularem dictionem (praeter exemplum, quod sciam) vetus Campana inscriptio Postumii Lampadii Consularis Campaniae ap. Grut. p. CCCCLIX. 1. CVI. OB. INSIGNIA. EIVS. BENEFICIA. PATRONO. LONGE. A. MAIORIBVS. ORIGINALI. ORDO. CAPVENSIS. VOTI. ET. OBSEQVI. SVI. PIGNVS. LOCAVIT; quemadmodum et rarum id, quod in Suessano marmore ap. Grut. p. MXXVII. 3. adpellati *communes ab origine patroni*. L. MAMILIANO. LICINIANO. COMMVNI. AB. ORIGINE. PATRONO. ORDO. POPVLVSQVE. SVESSANVS. STATVAM cet.

Cave tamen ne Patronatus honorem cum civibus tantum Romanis, non vero cum viris spectatissimis communici-

*

NIA. OSTIA. ATER... MVNIT. IDEMQVE. PONTES. FECIT. M. P XLIII. Aliud ex alio. Advertas huic Claudium Imperatorem ad omnem dubietatem tollendam pro V. consonante Aeolicum digamma invexisse, quod inversae litterae Ⅎ forma exprimebatur. Ita et in inscriptione Claudio Imperante Neroni Caesari posita ap. Grut. p. CCXXXVI. ubi XV. ⅎIR. VII. ⅎIR, ac Princeps IVⅎENTVTIS. ac passim alibi.

AQVENses. Certe ad Albae, Cerfennisque viciniam. An vero pro AQVEN scriptum AEQVAN? Vide de his Appianum Εμφυλ. Lib. III.

ALBENses. Alba itam Marsorum urbs, quam Plinius *Albam ad Fucinum lacum* adpellat, Sosipater Charisius *Albam Fucentem*, et Antonini Itinerarium *Albam Fucentiam*. Tum et lapis ap. Grut. p. CCCCIV. CVR. R. P. ALB. FVC. idest *Curator Reipublicae Albae Fucentiae*. Coloniam eo deductam tradit Livius Lib. X. et Velleius Lib. I. Cap. XVI. Oppidani passim Albenses. Hinc lapis Avezzani ad lacum Fucin.

HⅎLICIVS
MARCIO. FAVSTO
LIBERTO
SEVIR. AVG
DENDROPHORO
ALBENSI. ET
(sic)
THEOPHILME. MATRI

nicipibus suis communicatum credas, uti perperam arbitratus est Clarissimus Maffeius in Museo Veronensi. Nam innumera prope id evincunt litterata veterum marmora; quorum omnium instar Comense unum L. Calpurnii Fabati huc adponere non piget ex Donio Cl. V. n. 5.

L . CALPVRNIVS . L . F . OVF
FABATVS
VI . VIR . IIII . VIR . I . D . PR . M
PRAEF . PRAET . TRIB . M . LEG . XXI
RAPAC . PRAEF . COHORTIS . VII . LVSITAN
ET . NATION . GETVLIC . ARSEN
QVAE . SVNT . IN . NVMIDIA
FLAM . DIVI . AVG . PATRONO . MVNIC
T . F . I

Certe enim Comensem fuisse L. istum Calpurnium Fabatum Plinius auctor est *Lib. V. Ep. XII.* immo et prosocerum suum, cuius nepotem, eius nempe filii filiam Calpurniam Hispullam lectissimam feminam duxerat, quam item *Lib. VI. Ep. XIX.* commendat. Attamen ex titulo vides Comensis Municipii patronum fuisse. Ita lapis Atinas ap. Murat. p. MCX. 6. M. RVBRENO . VIRIO PRISCO . CVR . COL . MINTVRNENSIVM . CVR COL . FORMIANORVM . CIVI . ET . PATRONO ORDO . ET . PLEPS . ATINA . Et p. MCXVIII. L. VOLVMNIO . L . F . POM . IVLIANO . SEVERO . IIII . VIRO . COL . SIGN . PATRONO . COLONIAE . SVAE. Et *p. MCIX.* 4. C . SEMPRONIO . C . F . QVIR . LVCRE-

LVCRETIO . SALVIANO . II . VIR . PATRONO . ET . PRAESTANTISSIMO . CIVI

Quamvis autem Patronalis honor maximopere esset exquisitus, et dignitatis loco paene haberetur, atque id secum oneris ferret, ut populos, civitatesque in clientelam susceptas apud Senatum, et magistratus, quotiescumque eorumdemmet negotia postularent, defenderent, ac foverent; mirum tamen quod cum feminis etiam is honor, et onus communicatum. Quid si decreto publico, et illustri legatione, et praeclaris omnibus honoris argumentis fuerint cooptatae? Tabulam aeream integre heic exhibebo eo lubentius, quod ad Vestinos pertinet, quibus contermini sunt Peligni. Ap. Grut. p. CCCCXLIII. 6. (a):

C . VETTIO . ATTICO
C . ASINIO . PRAETESTATO . COS .
PR . IDVS . April.

Peltuini . Vestinis . in . Curia . Aug . ordinem . habentibus . T . Avidiacco . Restituto . et . Blaesio . Natale . Aedd . QQ . scribundo . adfuerunt . Quod . universi . verba . fecerunt . Nummiam , Variam . C . F . Sacerdotem . Veneris . Felicis . ea . adfectione . adque . prono . animo . circa . nos . agere . coepisse . pro.

(a) Atque tabulae istae ad memoriae perennitatem in domibus patronorum suspendebantur. Hinc ap. Grut. p. MCI. *Petendumque ab eo libenter suscipiat collegii nostri patronal. honorem, tabulamque aeream cum inscriptione huius decreti nostri domo eius poni censuerunt. Et in clientelam amplissimae domus suae municipium nostrum recipere dignetur, patronumque se cooptare tabula hospitali incisa in domo sua posita* cet.

pro . instituto . Benivolentiae . suae . sicut . et . parentes . eius . semper egerunt . ut . Merito . debeat . ex . consens . universorum . patronam . praefecturae . Nostrae . fieri . quo . magis . magisque . hoc . honore . qui . est . aput . nos . potissimus . tantae . claritati . eius . oblato . dignatione . benignitatis . ejus . gloriosi . et . in . omnibus . tuti . et . defensi . esse . possimus . Q . D . E . R . F . P . D . E . R . I . C . Placere . universis . conscriptis . Nummiae . Variae . C . F . Sacerdoti . Veneris . felicis . pro . splendore . dignitatis . suae . patrocinium . praefecturae . nostrae . offerri . petique . ab . eius . claritate . et . eximia . benignitate . ut . hunc . honorem . sibi . a . nobis . oblatum . libenti . et . prono . animo . suscipere . et . singulos . universosque . nos . remque . publicam . nostram . in . clientelam . domus . suae . recipere . dignetur . et . in . quibuscumque . Ratio . exegerit . Intercedente . auctoritate . dignitatis . suae . tutos . defensosque . praestet . tabulamque . aeneam . huius . decreti . p . verba . continentem . offerri . ei . per . Avidiaccum . Restitutum . et . Blaesium . Natalem . QQ . Item . Numisenum . Crescentem . et . Fl . Priscum . primores . Ord . N . Viros . censuer .

Sed quid feminae praesidii, ac tutelae populis apud Senatum, et Magistratus, summosque Reipublicae viros praestare poterant, quibus et caussas agere, et publicis negotiis immisceri interdictum? Attamen Peltuinates, decreto aeri inciso, se in feminae clientelam recipiunt, *ut in quibuscumque ratio exegerit, intercedente auctoritate dignitatis*

gnitatis suae tutos defensosque praestet. Fortasse adeo Sacerdotalis dignitas valebat! Nam Nummia Varia Sacerdos Veneris Felicis audit.

Municipiorum demum, coloniarumque exemplo Corpora, et Collegia suos habere patronos gestiverunt, atque iisdem paene honorum argumentis. Ita Fabrum, et Centonariorum Regiensium Collegae Iulium Silium Iulianum decreto tabulae aeneae inciso patronum cooptarunt ap. Grut. p. MCI. 1. Negotiatores item Olearii ex Baetica eodem ritu, missis Romam Curatoribus (legatis nimirum) P. Petronium Honoratum sibi Patronum cooptarunt apud Reines. Cl. VI. n. 123. Publicus enim habebatur corporatorum conventus, ut ex aere Sentinatium ap. Mur. p. CCCCLXIV. quod ad Christi annum CCLX. pertinet: *Sentinis cum in Schola sua frequens Numerus Coll. Fabr. Sentinatium convenissent* cet. Tum relatio interposita: *Referentibus C. Iulio Martiale, et C. Casidio Rufino* cet. Mox consultatio, et decretum de tabula offerenda (a), legationeque suscipienda. *Cum sit Coretius Fuscus* cet. *necesseque sit ei tabulam aeream titulis ornatam offerri, petique ab eo hanc oblationem nostram libenti animo suscipere dignetur, legatosque in eam rem fieri* cet. Atque idem prorsus factitatum vides cum Coretio Victorino, ut ex tabula Musaei Albani: *Censuerunt placere Coretio Victorino Patrono N. N.* (numeri nostri) tabulam aeream continentem verba *decreti nostri offerri per Vesfidium Fortunatum, Cornelium Tertium LEGATOS.* Nec enim nisi

(a) Pertinet ad an. urb. 995. Christi 242.

nisi illustres viros Collegia patronos adoptare satagebant, cuiusmodi erant Coretii isti Victorinus, Fuscus, tum et Sabinus, quemadmodum est intelligere ex aere ap. Mur. p. DLXIV. quo Collegium Fabrum Centonariorum, ac Dendrophorum *Coretium Fuscum Splendidum Decurionem Patriae n. sed et patronum trium Coll. principalium, et Vetiam Martinam coniugem eius patronam, sed et Coretium Sabinum filium eorum iampridem patronos per duplomum a Numero N. cooptatos, nunc tabulam aeream patronatus eis offerre* cet.

CAPVT X.

Veteres, quo facilius ad honores proveherentur, splendida dabant convivia. Plura de coena recta, ac sportulis animadvertuntur.

QVI . ACCEPTO . HONORE . STATIM . SPLENDIDISSIMVM . ORDINEM . LIBEROSQVE . ET . CONIVGES . EORVM . SED . ET . POPVLVM . PVBLIC . EPVLANTES . MAXIMO . CVM . GAVDIO . EXHILARAVIT.

Tabularum patrocinalium honore accepto, publico Mammius epulo Senatum, populumque Corfiniensem exhilaravit. Nimirum id veteribus in more positum, ut ad capessendos Reipublicae magistratus adciti, nedum honore quovis, sive a Decurionibus, sive ab Collegio aliquo, Corporeve dignati, vel splendidas epulas, coenasque gratula-

tulatorias, vel coenae rectae loco divisiones, sportulasque darent. Atque de patronatus honore quidem expresse lapis Reinesianus *Cl. II. n.* 17. M . AVREL . CHRESTVS . OB . HONOREM . PATRONAT . COLL . FABR . COL . APVL . AD . EXTRVCTION . ÆTOMAE . DED . H . N . VI, ubi Collegii fabrum Coloniae Apuliensis patronus adlectus Chrestus, sestertia nummorum sex ad extructionem aetomae (*αετος aquila*, et *αετωμα laquear*, seu superior aedium contignatio, quia formam aquilae volantis repraesentabat) est eidem elargitus. Eodem modo in marmore Fl. Annaei Fortunati, quod infra dabimus: QVOD. OB . HONOREM . PATROCINII . SIBI . OBLATVM . EIDEM . CORPORI (*piscatorum urinatorum*) XII . N . DONAVERIT. Sed tamen sive ad liberalitatis, munificentiaeque famam captandam, sive ut ad altiores dignitatis gradus facile vel conviviorum adparationibus publicis, vel cuiuscumque generis elargitionibus viam sibi munirent, profecto mos iste in ineundis potissimum magistratibus percrebuit. Hinc in lapide T. Ancharii Prisci apud Grut. *p. CCCLII. eximiae liberalitates, et abundantissimae sine exemplo largitiones praedicantur*, quibus factum est, ut *illi primo II.viro biga posita*: et in Tarraconensi ibidem *p. CCCCVIII. M. Fabii Paulini plurimae liberalitates in Rempublicam*. Ac de epulis quidem non est cur dicam; piget enim in re contestatissima vel pauxillulum immorari. Facit huc Plutarchus in primis, qui in *Sylla* Decurionibus magnam coenam ob honorem Duumviratus eum dedisse, εϛιατεις ποιειν τῳ δημῳ narrat. Caesarem item populo epulum in tertio Consulatu adparasse auctor

est Plinius *Lib. XIV. cap. XV.* Accedit et lapis Surrenti in Campania apud Reinesium *Cl. VI. n.* 32. L. CORNELIVS . L . F . MEN cet. OB . HONOR . DECVRION . MAGNAM . CENAM exhibuit. Quam rem Tullius de Aedilibus loquens *Lib. II. de Offic.* ad demulcendos populi animos expresse tradit inductam. Plerumque autem coenae loco ob Magistratus honorem divisio pecuniarum obtinuit, ut ap. Grut. *p. CLXXV.* 8. TIBERIVS . CLAVDIVS . CHRESIMVS . OB . HONOREM . QVINQVENNALITATIS . COLLEGIO . DENDROPHORVM . ROMANORVM . ARGENTI . P . X . H . S . X . MILIA . NVMVM . REDDEDIT . QVAE . DIVISA . SVNT . POPVLO . PER . GRAD. Et in Eugubino ibid. *p. CLXXII.* 14. CN . SVLPICIVS . RVFVS . IIII . VIR . IVR . DIC . DEDIT . DECVRIONATVS . NOMINE . H . S . IↃↃ . ∞ .

Frequentissime vero et ludos editos offendimus, sive Circenses, sive Scenicos, ac gladiatorum spectacula exhibita (a). Id ex Apuleio disces *Lib. X.* de Thyasi quinquennalitate : *Et ut splendori capessendarum responderet fascium, munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam protendebat;* tum ex

(a) Sane nihil ad plebem demulcendam potentius, quam ludi. Quod vel ex uno lapide Suessano in Campania libet confirmare ap. Grut. p. *CCCCLXXV.* n. 3. Ibi C. Titius Chresimus, quum gladiatores impensa sua dederit, eosque non solitis ludorum diebus, sed extra ordinem, plures est adsequutus ab Decurionibus honores. Primum ut biselio uti posset; deinde ut ei ex publici fontis castello digitum aquae (i. e. sextamdecimam pedis partem, unciam duodecimam ex Frontin. *de aquaed. art. IV.*) in aedes suas derivare liceret; tum ut commodis publicis iure decurionum frueretur; denique ut filium decurionem gratis creatum videret.

ex Campano P. Baebii Iusti inedito lapide, quem supra dedimus, ubi ob Duumviratus honorem munus gladiatorium postulante populo editum. Et in Inscriptione Superaequana in Pelignis, cui opportunior erit infra locus: L. VIBIVS. SEVERVS. AEDILIS. IIII. VIR cet. HIC. OB. HONOREM. AEDILITATIS. L. VIBII. FILII. SVI cet. PRIMVS. HVIC. LOCO. VENATIO-(sic) NE. EDIDIT. DEINCEPS. LVDOS. SOLEMNES. Sed nusquam profecto tanta, quod sciam, ad demulcendam plebem liberalitas, quam in veteri inscriptione Allifis in Samnio:

L. FADIO. PIERO. II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO. CIVI
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATION
BESTIAR. AFRICANAR. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRAT
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H. S. X. M. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCAENICOR. P. S. F. AGI
L. D. D. D

Aliquando praeterea ob honorem vel Patronatus, vel magistratus Templa, Basilicas, Aras, Statuasque positas ex veterum memoriis edocemur. Atque id memorandum in primis, quod Plinius ipse ob patronatus honorem, ut Ti-

boni-

berinis Tifernatibus gratias ageret, Templum pecunia sua exstruxit. Inquit enim *Lib. IV. Ep.* 1. ad L. Calpurnium Fabatum prosocerum suum: *Erit una, sed brevis mora: deflectemus in Tuscos, non ut agros, remque familiarem oculis subiiciamus (id enim postponi potest), sed ut fungamur necessario officio. Oppidum est praediis nostris vicinum, nomen Tifernum Tiberinum, quod me paene adhuc puerum cooptavit: tanto maiore studio, quanto minore iudicio adventus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. In hoc ergo, ut referrem gratiam, nam vinci in amore turpissima res est, templum pecunia mea exstruxi, cuius dedicationem, cum sit parata, differre longius irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem etiam epulo celebrare constitui.* Accedit lapis antiquus Suessae in Campania: M. POMPONIVS . M . F . AEMIL . CAPITO . DECVR . SVESSAN . STATVAM . IOVIS . CAPITOL . OB . HONOREM . DECVRIONATVS . POS. Et Spoleti ap. Gruter. *p. CLXXI. n.* 1. SEX . VOLVSIVS . SEX . F . HOR . MELIOR cet. OB . HONOREM . IIII . VIRATVS . SEX . VOLVSĪ . NONIANI . FILI . SVI . BASILICAM . SOLO . PVBL . A . FVNDAMENT . PEC . SVA . . . . . VIT. Et Venusiae tabula porphyretica in aedibus Mauri Basilis, quam egomet exscripsi (a): A . IVIL*ius* . *a* . *f*. SEVI*nus* . AED . IIVIR . I . D . ARAM . ISIS . INCRVSTAVIT . OB . HONOREM . . . . . Sic

et.

(a) Vide nostrum Iter Venusin. vet. monum. illustr. *Cl. I.* n. 7. *p.* 293.

et statuam Mercurii ob honorem Quinquennalitatis positam ex lapide Compsano habemus, quem nuper exscripsi:

M . MINDIVS . M . F
GAL . MAXIMVS
STATVAM . MERCVRII
OB . HONOREM . QVINQ
POSVIT
CVIVS . DEDICATIONE . DEDIT
POPVLO . VIRITIM . DENARIOS . SING
L . D . D . D

Itemque inscriptio ap. Fabret. *Cap. II. n.* 91. L. PINARIVS . RVFVS . OB . HONOREM . AEDILITATIS . IMAGINEM.GENIO.MVNICIPI . LILYBITANORVM . EX . ARG . R . V . P . S . P. Et ex saxo Romano in hortis Aldobrandinis: C . IVLIVS . SEVERVS . OB . HONOREM . MAGISTERI . COLL . FABRVM . SILANVM (idest Silani statuam) PECVNIA . SVA . FECIT . MVCIANO . ET . FADIANO . COS (Pertinet Consulatus ad an. Ch. CCI.). Sic et Horatio *Apollo dedicatus* sc. *Statua Apollinis* ab Augusto dedicata. Sed id Graecis potissimum familiare. Strabo *Lib. VI. p.* 264. Metapontinos narrat dedicasse Delphis θέρος χρυσουν *aestatem auream* h. e. simulacrum aestatis. Et *Lib. X. p.* 462. Epigraphen refert basi imaginis Aetoli insculptam: Ενδυμιώνος παιδ' Αιτωλον ανεθηκαν Αιτωλοι, *Endymionis filium Aetolum dedicarunt Aetoli*, ubi Αιτωλον adpositum pro Αιτωλου εικονα *Aetoli imaginem*. Atque huc spectant vel aedes, vel donaria

maria diis dicata ob Duumviratus honorem apud Gruter. *p. LVII. 6.* MARTI . AVG . L . LVCRETI . Q . L . F . SILVANVS . AVGVSTALIS . OB . HONOREM . DVVMV . IDEMQ . DEDICAVIT. Et *p. XCVI.* 1. IANO . PATRI . AVG . SACRVM . C . IVLIVS cet. OB . HONOREM . II . VIRATVS . CVM . LIBERIS . SVIS . POSVIT.

Postremo et id etiam haud infrequenter actum, ut ob susceptos honores opus quodvis publicum vel de novo ponerent, vel reficerent. Sic apud Reinesium *Cl. II. n.* 30. T . TVRRANIVS . L . F . CLAVD . RVFVS . OB . HONOREM . AEDILITATIS . PORTICVM . LONG . P . C . LAT . P . XX . ET . SCENAM . LATRAEGVM . CVRANTE . L . TVRRANIO . FRONTONE . FIL . FECIT. Eodem modo in veteri saxo (a): VIAM . CVM . CREPIDINIBVS . A . QVADEVVIO . AD . MVRVM . STRAVERVNT . OB . HONOREM cet. Et apud Grut. p. CL. 4. AVGVSTALES . VI . VIRI . (fori Sempronii XIII) VIAM . LONG . P . MCLXV . OB . HONOREM . SEXVIRATVS . SVA . PECVNIA . SILICE . STERNEND . CVRARVNT. Atque hinc lux magna adfulget, cur alibi ob sexviratus honorem pecuniam vel solutam, vel donatam Reipublicae videmus. Ita in marmore Gruteriano p. MLXXIII. 6. SEX . QVINTIVS . SEX . Q . SVCCESSINI . LIBERTVS . FORTVNATVS . OB . HONOREM . VI . VIRATVS . EX . Decreto . ORDINIS . SOLVIT . PECVNIAM (b). Et in inscriptione Assisiati ibid.

(a) Vid. *Tom. VIII. Collect. nov. Calogerianae.*

(b) Vt plurimum vero vel prandium, vel coena a Seviris praestabatur. Sic

ibid. p. CCCC. 7. P . DECIMIVS . EROS . MEDICVS . CLINICVS . CHIRVRGVS . OCVLARIVS . VI . VIR . HIC . PRO . SEVIRATV . IN . REM . P . DEDIT . HS . ∞ ∞ (a).

At quandoquidem huc nostra devenit oratio, haud id praeteribo, etiam ob honorem Pontificatus, et Sacerdotii huiusmodi liberalitates obtinuisse. Facit huc lapis apud Grut. p. CL. n. 5. L . LVCRET . FVLVIANVS . PONTIFEX . PERPETVVS cet. P . T . LAEX . ARG . P . C . OB . HONOREM . PONTIFICATVS . EDITIS . AD . DEDICATIONEM . SCAENICIS . LVDIS . PER . QVATRIDVVM . ET . CIRCENSIBVS . ET . EPVLO . DIVISO . POSVIT. Et ibid. p. CI. 8. APONIA . MONTANA . SACERDOS . OB . HONOREM . SACERD . CIRCENSIBVS cet. Quin et ingentis impendii paganica Sacerdotia ob huiusmodi profusiones fuisse, opportune nuper ex veteri Gabina inscriptione mihi datum est intelligere, ex qua et opera etiam publica privato sumptu ob Sacerdotii honorem reparata legimus: AGVSIAE . T . F . PRISCILLAE cet. GABINI . STATVAM . PVBLICE . PONENDAM . CVRAVERVNT . QVOD . POST . IMPENSAS . EXEMPLO . ILLVSTRIVM . FEMINAR . FACTAS . OB . SACERDOTIVM . ETIAM . OPVS . PORTIC . SPEI . VETVSTATE . VEXATVM . PECVNIA . SVA . REFE-

ap. Grut p. *MX*. 3. SEVIR . POPVLO . PRANDIVM . DEDIT . E. p. *MCIII*. 9. CENAM . SEVIRALEM . DEDIT

(a) Id ipsum et in lapide Pisano ob honorem bisellii factitatum habemus ap. Fabret. *Cap. III. n.* 604. Q . LARGENIO . Q . F . GAL . SEVERO . AEDILI . PISAS . Q . LARGENIV (sic) . CHRESIMVS . PATER . QVI . OB . HONOREM . BISELLI . HS . N . V . REI . P . PISANOR . DEDIT.

REFECTVRAM . SE . PROMISERIT (a). Cui succensendus vetus lapis Carsiniae in Hispania ap. Grut. *p.CCCVI. a.* L . PORCIO . QVIRIN . SATVRNINO . PONTIF . QVAE . PRO . HON . L . XX . N . P . VT . AES . ALIEN . REIP . CARTIMITAN . LIB. idest : qui pro honore Pontificatus septuaginta millia nummum pependit, ut aes alienum Reipublicae Cartimitanae liberaret. Itemque *p. CCCCXXXI.* 1. SEX . LIGVRIVS . SEX . FIL . GALERIA . MARINVS . OB . HONOREM . PERPETVI . PONTIF . DAT . CVIVS . DONI . DEDICATIONE . CVRIONIB . X . V . ORDINI . EQVESTRIS . IIIIII . VIRIS . AVG . NEGOTIATORIB . VINARIS . X . III . ET . OMNIB . CORPORIB . LVG . LICITE . COEVNTIBVS . X . II . ITEM . LVDOS . CIRCENSES . DEDIT.

CAP. XI.

(a) Vid. ap. Ennium Quirinum Visconte i *Marmi della Villa Borghese* *Tom. III. p.* 148.

CAPVT XI.

In municipiis, et coloniis praeter Equites Romanos singularem fuisse Equitum Ordinem pluribus demonstratur.

HVIVS . OB . MERITA . ORDO . POPVLVSQVE . CORFINIENSIVM . REMVNERANDAM . ADFECTIONEM . QVAM . IN . SINGVLOS . VNIVERSOSQVE . CIVES . SVOS . EXHIBVIT . LIBERISQVE . EIVS . EQVESTRIS . DIGNITATIS . PVERIS . EX . PECVNIA . PVBLICA . PONI . CENSVERVNT.

EQVESTRIS . DIGNITATIS . PVERI. Equestrem ordinem Corfinio fuisse, nostro hoc epigrammate vindice, non est cur dubitem; quod et ex eo potissimum liquet, quod Mammii liberi EQVESTRIS . DIGNITATIS . PVERI dicuntur. Idque etiam marmor Muratorianum evincit *p. DCCXVII.* 2. iam supra adlatum, ubi P. F. Aufidius Priscinus, quem a nostro nihil differre ostendi, Eques Romanus audit. Accedit et veteris Corfiniensis inscriptionis fragmentum Pentimae apud eumd. *p. DCCLXV.* 1. quod tale est:

TRIS . ORDINIS . HONORIBVS . ETIAM
SVPERIORI . DESTINATVM . ORDINI
FILIAM . SANCTISSIMAM . PRO BISIMO
VIRO . CONIVNCTAM . ET . EX . EA . DVOS

 Porro

Porro in coloniis, et municipiis praeter equites Romanos, quorum frequens erat extra Romam copia, peculiares fuisse equites nemo est inficiaturus. Quod ut maxime pateat, haud exiguis rationum momentis confirmare libet. Et primum Tullii adpono auctoritatem, qui *Orat. pro Plancio* postquam pleraque commendasset municipia: *Iisdem nunc a municipiis*, ait, *adsunt equites Romani publicae cum legationis testimonio.* Et paullo post: *Sed quum sit Cn. Plancius is eques Romanus, ea plurima vetustate equestris Ordinis, ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes equites Romani fuerint, summum in Praefectura Atinati florentissima gradum tenuerint.* Quid quod Asinius Pollio Tullio ipsi scribens (*Ep. fam. lib. X. Epist.* 32.) quae Balbus Cornelius iunior Quaestor Gadibus egit: *Praeter*, inquit, *furta, et rapinas, et virgis caesos socios, haec quoque fecit, ut ipse gloriari solet, eadem, quae C. Caesar Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem, summo ludorum die annulo aureo donatum, in quatuordecim sessum deduxit: tot enim fecerat ordines equestris loci. Quatuorviratum sibi prorogavit.* Accedit Caesar *Lib. III. Bel. Civ. Cap. LXXII.* qui eodem die duplici praelio desideratos narrat equites Romanos *C. Fulginatem Placentia, A. Gravium Puteolis, M. Sacratinum Capua.* Praeterea M. Tullium Municipii Arpinatis equitem fuisse auctor est Iuvenalis *Sat. VIII. v.* 237.

Hic novus Arpinas ignobilis, et modo Romae
Municipalis eques.

Et Ovidius semet equestri familia natum apud Sulmonem adfirmat *Lib. IV. de Pont. eleg.* 8. *Seu*

Seu genus excutias, equites ab origine prima
Vsque per innumeros inveniemus avos.

Et *Lib. IV. Trist. eleg.* 10.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo fortunae munere factus eques.

Sed vero Strabo Gaditanae urbis splendorem describens *Lib. III. p.* 116. ait quingentos ibidem equites Romanos censos fuisse, *quot nullius vel Italicae urbis censi fuerant, praeter Patavinam.* Et Suetonius in *Aug. cap.* 46. *Ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentes etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat* (a). Porro ut hoc amplius moneam, etiam in Amphitheatris extra Romam gradus quatuordecim erant equitibus adsignati, Romanorum equitum instar. Mireris? Adhuc extant in Amphitheatro Campano. Age audiamus Mazochium in Campani Amphitheatri descriptione *Cap. VI. p.*126. *Ibidem*, ait, *et in superioribus aliquot gradibus, qui omnes Orchestrae nomine intelliguntur, Senatores, quorum loco Decuriones in coloniis censebantur, adsidebant. Tum supra Colonicum Senatum equitibus gradus quatuordecim adsignati: unde sedere in quatuordecim ad equestrem dignitatem significandam usurpabatur.* Ceterum equestrem hunc ordinem municipalem se copiosissime adseruisse fassus est Cl. Mazochius in singulari opere quod permagna eruditorum aviditate adhuc desideratur.

(a) Equitum Romanorum ordinem in coloniis digniorem fuisse, quam ordinem Decurionum testatur Plinius *lib. II. ep. 19.* ad Firmum Novocomensem; ex quo patet equitibus in coloniis censum fuisse CCCC. millium nummum; Decurionibus contra C. millium.

Sed absque his foret, Equestrem Ordinem in municipiis, et coloniis innumera litteratorum marmorum seges adstruit: Atque ne longius abeam, satis erit lapis Superaequanus in Pelignis, quem opportuniori dabimus loco: L . VIBIVS . SEVERVS . AEDILIS . IIII . VIR . QQ . SPLENDIDVS . EQVES . ROMANVS . CIVITATIS . SVPEREQVANORVM. Et in Allifano ap. Grut. *p. CDIX.* 1. *L. Fadio L. F. Caediano Equiti Roman. pietatis rarissimae Filio Caedia Festa Mater infelicissima* monum. et aram fecit. Eodem modo apud Gud. *p. VIII.* 7. C . VIVANIVS . PLANCIANVS . EQ . R . BERGOMEN. Et *p. CXIX.* C . CALVINIVS . Q . F . OSCVLVS . EQ . R . AMITVR. idest Eques Romanus Amiternensis. Et ap. Mur. p. MXCIX. C . ANTONIVS . AELIANVS . EQVES . ROMANVS . DECVRIO . MVNICIPI . AEL . AVG.

CAPVT XII.

CAPVT XII.

Ecquod monumentum Mammio positum. Statuarum honor ex S. C. populique consensu decerni solitus. Statuae plures Mammio, liberisque eius a Corfiniensibus positae. Pleraque animadvertuntur.

EX PECVNIA PVBLICA PONI CENSVERVNT (a). Intellige, quod oculis intuentium publicum honoris monumentum patebat, statua nimirum cum inscripta Mammio, liberisque eius basi. Etenim tota quanta quanta est marmoris facies, meritorumque adparatus, atque ostentatio in primis illa: ORDO . POPVLVSQVE . CORFINIENSIVM . ad . REMVNERANDAM . ADFECTIONEM . QVAM . IN . SINGVLOS . VNIVERSOSQVE . CIVES . SVOS . EXHIBVIT . . . EX . PECVNIA . PVBLICA . PONI . CENSVERVNT (b), omnem prorsus ansam quidvis aliud suspicandi praecludunt, quam Mammio positam statuam (c). Quid

(a) SPLENDIDISSIMVS ORDO OFFERRI CENSVERVNT. Ordo singulari numero multitudinem significat. Unde est *positione singularis, intellectu pluralis, ut populus, Concio*, etc. Vide Charisium Gram. L. VII. c. 3. et 19. Hinc Corpus, Collegium, Provincia, Cohors, Plebs, Civitas, Vicus cum plurali copulantur in litteratis lapidibus. Sic *ordo statuam ponendam censuer.* ap. Murat. p. DCLXXXI. 2. *Ordo Mellariensis decreverunt* ap. Grut. p. CCCXXI. 10. Eodem modo *Corpus Coriariorum statuerunt* ap. Grut. p. MCXC. 19. *Collegium Dendrophororum posuerunt* ap. Fabret. Cap. X. n. 436. *Provincia Baetica devoti numini* ap. Grut. p. CCLXV. 3. *Plebs quae frumentum publicum acceperunt* in Mon. Ancyr. p. 174. *Plebs intra murum habitantes* ap. Fabret. C. VI. n. 163. *Civitas Themetra Patronum cooptaverunt* ap. Murat. p. CCCII. 1. *Veicus furfensis fecerint* ap. Murat. p. DLXXXVII.

(b) Vide nummum Hadriani apud Oisellium *Tab. CV. num.* 8. in quo exhibetur mulier stans, altera manu Solem, altera Lunam praeferens cum inscriptione AETER . AVG . tum et illustre simulacrum, quod edidit Spanhemius in *notis ad Caesares Iuliani* p. 460. Nam veteres *Aevum designantes, solem et lunam pingunt, quod aeterna sint elementa*, inquit Horus Apollo *in Hieroglyphic.*

(c) Nihil inconsultius iis, quae in primis

Quid quod municipiorum, coloniarumque patronis, quemadmodum est supra animadversum, is erat praecipuus, qui veluti debito clientelae rependebatur, honor? Atque eo facit solemne verbum CENSVERVNT, quandoquidem nonnisi ex Senatus consulto, populique consensu decernebantur statuae (a). Lapidem Sinuessanum ante hos annos Capuae, ubi tunc erat, exscripsi:

C.

primis curis ad hunc locum adposui. Contenderam ibi de sepulcro rem esse. Sed id a me adolescente extorsit Sulmonensium Plebanus Franciscus Gasparrus, qui litteris datis XII. Kal. Febr. an. MDCCLXXXVI. pluribus me coarctavit, ut ita putarem. Haec et volebam, nescius ne esses.

(a) Atque quoad ipsum statuarum pertinet positum, nec id privato ulli, nisi item ex SC. licebat tum Romae, tum extra Romam in municipiis, et coloniis. Atque in urbe quidem, incolumi etiamtum Republica, quae circa forum erant statuae, a Censoribus sublatae fuerant omnes, praeter eas, quae populi, aut Senatus sententia statutae essent, Plin. *Hist. Nat. Lib.* 34. *Cap.* 6. Quum tamen Urbs iterum statuis repleta esset, novaeque in dies statuerentur, primus modum aliquem nimiae adsentationi Tiberius posuerat, statuas ipse sibi haud passus, nisi permittente se poni (Suetonius *in Tib. cap.* 26. *n.* 4.). Post hunc Caius, qui subversis illustrium virorum statuis, *vetuit posthac viventium cuiquam usquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se, et auctore, poni* (Vid. eumd. *in Caio Cap.* 34.). Sed Claudius demum, quo perennius impudentiae hominum occurreret, id iuris penes Senatum esse voluit, edictoque cavit: ες το επειτα απηγορευσε μηδενι ιδιωτη, ω αν μη ἡ Βουλη επιτρεψη, τουτο ποιειν εξειναι, *in posterum vetuit, ne cui privato, sine consensu senatus id facere liceret.* (Dio. *Lib.* 60. *p.* 681.) Itaque Nero ipse, ut aliquando non vi, sed jure ageret, effigiem Cn. Domitio patri a Senatu petiit. (Tacit. Ann. *Lib.* 13. *Cap.* 10.) In titulis autem monumentorum, quae deinde privati posuerunt, adscribi coeptum *permissu Senatus;* quod postea municipiis etiam placuit, eodemque modo adscribi voluerunt, *permissu Decurionum*, ut in inscriptione ap. Maffeium Mus. Veron. p. 119. n. 6. *P. Baebio P. Fil. Pob. Tuticano Trib. mil. a. populo praef. Eq. Proleg. Pontifici IIII. Vir. Pleba. Vrban. Permiss. dec.* Vel L. D. D. D. Locus datus decreto decurionum, ut frequentissime in honorariis veterum titulis.

C . APPIO . EVNOMIO . SAPIDIA
NO . V . C . Q . CANDIDATO
PRAETORI . VRBANO . AM
PLIFICATORI . PATRIAE
RENOBATORI (sic) . CIVIVM
PATRONO . PRESTISSIMO (sic)
ORDO . ET . POPVLVS . SINVESS
ANORVM . STATVA . CENSVER

Quod expresse passim vetustis basibus inscriptum videmus, ut Foro Popilii in Campania, haud longe a Sinuessa apud Camillum Peregrinium Disc. II. Camp. Felic. n. 35. C.MINVTIO . AETERIO . SEN . INDVSTRIO . VIRO . CVNCTVS . POPVLVS . CIVITATIS . FOROPOPILIENSIVM cet. TIBI . DIGNO . PATRONO . VNITVS . POPVLVS . VNA . CVM . LIBERIS . NOSTRIS . STATVAM . LOCO . CELEBERRIMO . PATRIAE . NOSTRAE . PONENDAM . CENSVERVNT. Et Telesiae in Campania ex schedis meis: T . FABIO . SANNIAE . PATRONO . COLONIAE . CVIVS . CVRA . ET . SOLLICITVDINE . OMNIA . OPERA . PVBLICA . RESTAVRATA . SVNT . HVIC . ORDO . SPLENDIDISSIMVS . ET . HONESTISSIMVS . P . THEL . (lege: *Populus Telesinus*) STATVAM . PONENDAM . DECREVIT. Et lapis Ocriculanus in Museo Vaticano: SEX . CLVVIO . MARTINO . OMNIBVS . HONORIBVS . FVNCTO cet. ORDO . ET . CIVES . SPLENDIDISSIMAE . CIVITATIS . OCRICOLANAE . STATVAM . MARMOREAM . PATRONO . DI-

DIGNISSIMO . AD . PERENNE . TESTIMONIVM . PVBLICE . CENSVERVNT.

Verum, quid si tum Mammio, tum et liberis eius totidem dicam positas statuas? Profecto nihil tam pronum iudicare est ex conceptis epigraphes verbis: *P. Mammio* cet. *liberisque eius equestris dignitatis pueris ex pecunia publica poni censuerunt*. Facitque huc, quod id honoris haud raro in veterum memoriis praestitum legimus; ut apud Murat. p. MCVIII. 1. Q . VALERIVS . OPTATVS . AVGVSTALIS . PERPETVVS . HVIC . ORDO . MVNICIPI cet. CENAS . PVBLICAS . DECREVIT . ET . LOCVM . IN . QVO . STATVAS . SIBI . VXORI . LIBERISQVE . PONERET . LOCO . ADSIGNATO . PONENDAS . CVRAVIT. Accedit inscriptio apud Gruter. p. CCCCXXXIV. 1. ubi statuae L. Maesio Rufo, eiusque coniugi a Forosemproniensibus positae, quarum dedicatione Rufus epulum dedit. Et in lapide Cellenensi prope Viterbium apud Fabrettum Cap. VI. n. 163. *Cui cum ob abstinentiam singularem eius decuriones consentientibus Augustalibus, et plebe STATVAS AERE COLLATO OBTVLISSENT, remissa collationis impensa ipse poni iussit.* In quo id amplius quisquis demiretur, uni eidem plures positas statuas (a); quemadmodum et ap. Grut. p. CCCCXXV. 1. Q . IVLIO . SEVERINO . SEQVANO *cet.* CVI . OB . INNOC . MORVM . ORDO . CI-

(a) Statuariam artem haud immerito Plinius *Hist.* Nat. Lib. XXXIV, Cap. VII. et familiarem, et antiquam Italiae fuisse tradit. Quamobrem haud est demirandum, in singulis municipiis, coloniisque abundasse adeo statuas tum Numinum, tum clarorum virorum ex marmore, ex aere, ac non raro etiam ex argento, et auro. Vid. Sueton. in *Domit. Cap. XIII.* 5.

CIVITATIS . SVAE . BIS . STATVAS . DECREVIT. Cuiusmodi exemplum in elegantissima inscriptione patet Surrenti in Campania ex schedis meis, quam lubens huc transferam :

L . ARRVNTIO . P . F . L . N
MEN . RVFO . CLIDIO . PROCVLO
VIX . AN . XXXIII
HVIC . DECVRIONES . STATVAS . DVAS
ALTERAM . EX . PECVNIA . PVBLICA
ALTERAM . EX . AERE . POPVLO . COLLATO
IN . FORO . PONENDAS
DECREVERVNT

Anne vero id nos detinebit, quod si de statuis res esset, *quarum* certe, non CVIVS dedicationem clamasset inscriptio? Sed tanti non est negotium, quo deterreamur. Is enim est frequentissimus veterum inscriptionum usus, ut ubi res posita tacetur, constanter To CVIVS sequatur, idest *Monumenti*, qua voce et statuae intelliguntur (a).

 Exem-

(a) Facit huc inscriptio P. Titii Perpetui Consularis Tosciae, et Umbriae ap. Ald. p. DCCXXXIX. ubi: *Ob singularia eius erga provinciales beneficia et ob moderationem documento etiam posteris relinquendum aeternum Statuae monumentum Tusci, et Umbri Patrono praestantiss. Conl.* Favetque Festus: *Monumentum est, quidquid ob memoriam alicuius factum est, ut fana, porticus, scripta, et carmina.* Et Tullius *Fragm. Epist. Sed ego quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor.* Et alibi *pro Sext. Cap. LXVII.* L. *Opimius, cuius monumentum celeberrimum in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrachino relictum est;* quo loco monumentum neque pro cenotaphio accipere licet, vetitum enim sive in foro, sive in urbe vel cenotaphium, vel sepulcrum extruere. Eodem ferme modo ac in titulis sive honorariis, sive operum publicorum TO FECIT, vel CVRAVIT absque

Exemplum habes ap. Grut. p. CCCXCII, *C. Clodieno C. F. Stel. Sereno Patrono MunicipI CVIVS DEDICATIONE* cet. Et rursus p. CCCCXL. 8. *M. Naevio M. f. Pal. Magno Auguri Colleg. Fabr. Patrono* CVIVS DEDICATIONE *SPORTAS DEDIT.* Et in lapide Anximati apud Aldum p. mihi CLXVIII. 2. C . OPPIO . C . F . VAL . BASSO cet. OMNIBVS . OFFICIIS . IN . PATRIA . FVNCTO . CENTVRIONES . Leg . II . TRAIANAE . FORTIS . OPTIMO . ET . DIGNISSIMO . IN . CVIVS . DED . CENAM . COL . DED . L . D . D . D. Et in M. Oppii Capitonis titulo ap. Grut. p. CCCCXLVI. 2. *Coloni ob merita eius IN CVIVS dedic. cenam col. ded.* ubi *τo* CVIVS nihil aliud, quam rem ipsam, intuentium oculis conspicuam, indigitat.

C A P V T XIII.

CVIVS . OB . DEDICATIONEM . OBTVLIT . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSO . POPVLO . ✝S . L . MIL . NVMMVM . QVAE . MAMMIANA . VOCENTVR.

CVIVS OB DEDICATIONEM. De dedicatione est mihi nunc dicendum. At dedicatio non idem est, ac consecratio: nam illa tantumdem ac ipse primus rei usus veteribus sonabat; haec re non dum in usum traducta, conceptis formulis

absque ulla enunciatione inscribere veteres elegantissime consueverant. Quid tamen, vel quale opus id fuerit, ineptum putabant inculcare, ubi ipsa epigraphe operis fronti adposita, satis ipsum opus, digito ut ita dicam, intuentibus commonstrabat.

mulis ritibusque peragebatur. Hinc *consecrare*, ac *dedicare* expresse in ipsis antiquorum titulis distinguuntur, velut in Nolano marmore apud Reinesium Clas. III. n. 56. *STATVAM . NOLANVS . ORDO . ET . POPVLVS . CONSECRAVIT . CVRANTE . AC . DEDICANTE . ORTENSIO . CONVIARO . PROVINCIAE . CAMPANIAE.* Et in inscriptione Interamnati apud Donium Clas. I. n. 70. *IOVI . O . M . ATINATIA . HELPIS . DEDICAVIT . ET . CONSECRAVIT.* Itemque ap. Gruter. p. XII. 1. *I . O . M . PRO . SALVTE . IMPP . L . SEPTIMI . SEVERI . ET . M . AVRELII . ANTONINI* cet. *M . FIRMIDIVS . SPECIATVS . CONSECRAVIT . ITEM . DEDICAVIT . III . IDVS . APR . SEVERO . ET . VICTOR . COSS.* Verum quum id esset in more positum apud veteres, ut res uno eodemque simul tempore et sacraretur, et usui addiceretur, hinc plerumque factum, ut *dedicationis* vocem ad utrumque exprimendum usurpaverint. Id quod nonnisi in rebus sacris dictum volo dumtaxat, in quibus certe dedicandi verbum, tametsi nude positum, consecrationis habet sensum (a). Facit huc insigne marmor Romanum ap. Gruter.

* p. LXI.

(a) Dedicandi verbum in rebus sacris idem est ac consecratio, seu cultui divino addictio, quae in Graecia marmoribus exprimebatur τῷ ΚΑΘΙΕΡΩΣΕ de templis, et aris; τῷ ΑΝΕΘΗΚΕ vero de signis, clypeis, ceterisque rebus, quae collocatione, aut suspensione dedicabantur. Hinc in Graeco Neapolitano lapide T. Flavii Evanthi in aedibus Sacerdotum Cruciferorum in regione Thermensi prope portam Nolanam, qui ad an. Ch. CLXXI. pertinet, ut ex Consulatu Severi, et Herenniani, in antica facie ΒΩΜΟΥΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡ ΑΥΘΙΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ, *Aras Dioscurorum dedicarunt*; in aversa vero facie ΑΝΑΘΕΝΤΙ ΕΝ ΤΗΙ ΦΡΗΤΡΙΑΙ ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ ΔΙΟ-

p. LXI. 3. HAEC . AREA . INTRA . HANC . DEFINITIONEM . CIPPORVM . CLAVSA . VERVBVS . ET . ARA .

ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ. *Dedicavitque in Phratria statuas Dioscurorum*. Vid. Corsin. *Diss. Agonist. IV. p.* 103. Martorel. *de Thec. Calam. p.* 613. et Ignarram *de Palaestr. Neap. p.* 160. Atque is ritus ab Hebraeis ad gentes transiit, apud quas mos sensim inolevit, ut aedes; arae, signa deorum, ambitusque circumiacentes per sollemnia sacra dedicarentur. Et quidem apud Graecos sacrificiis sumptuosioribus peragebantur; quae quum tam multiplicia essent, quam ipsa nomina, videtur idem met exhibitum, quod singulis erat in usu, tametsi pro liberalitate vel sacrificantis, vel populi auctum. Quibusnam vero ex auspiciis, et quorum auctoritate, Pontificum, an magistratus alicuius haec initiamenta penderent; non adeo apud Graecos liquet. Certe apud Romanos absque Plebis scito, aut Senatus consulto, aut demum Principis indulgentia (ut apud Hebraeos iussu Synedrii magni) Aedes, Templa, Signa, Agros rite dedicari vetitum. Hinc Livius *Lib. IX. in fin.* testatur, Cornelium Barbatum Pontif. Max. *negasse*, nisi Consulem, aut Imperatorem posse Templum dedicare, atque ex auctoritate Senatus latum ad populum fuisse, ne quis templum aramve, iniussu Senatus, aut Tribunorum Plebis partis maioris *dedicaret*. Et Tullius Epist. ad At. Lib. IV. Ep. 11. *Si neque populi iussu, atque plebis scito is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset, neque populi iussu, aut plebis scito id facere iussus esset: videri posse sine religione eam partem areae mihi restitui*. Et iterum *pro domo sua C. LIII. Pontificum commentaria habent, L. Cassium Censorem cum de signo Concordiae dedicando ad collegium retulisset, ei M. Aemilium pontificem maximum pro Collegio respondisse, nisi eum Populus Romanus nominatim praefecisset, atque eius iussu faceret, non videri ea recte posse dedicari. Et Senatus consecratam aram tollendam ex auctoritate Pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione litterarum extare monumentum.* Atque haec quidem, stante Republica; translata enim per legem Regiam populi potestate in Caesares, atque ipso etiam usurpato Pontificatu maximo, penes eos erat tum et ceterarum summa rerum, tum et dedicationum potestas. Atque ex eo factum, ut in rebus sacris, atque dedicationibus, auctoritatis plurimum et in Quindecemviros sacris faciundis, et in Augures mox ipsi contulerint, quemadmodum ex Lampridio constat in *Alexand. Sever.* Porro non tantum in iis, quae de novo aedificabantur, dedicatio obtinebat, sed et in restitutis quoque; cuiusmodi exempla passim in antiquis inscriptionibus occurrunt, ut in marmore Spalatano ap. Grut. p. 111. n. 9. I . O . M. et M . GELLIVS . STEPHANVS . IVN . CVM . STEPHANO . PATRE . DOMV . TERTIANA . EX . DIRVTION . RESTIT . DEDICARVNTQV. Quo facit Spartianus in *Hadrian*, Cap. XIX. *Romae instauravit Pantheum, septa, basilicam Neptuni, sacras aedes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippae: eaque omnia propriis et veteribus nominibus consecravit.*

Quod vero ad dedicationis ritum pertinet; verbis primum rite conceptis praeibat Pontifex, quem sequebatur Magistratus, sive alius, qui dedicaret. Varro de L. L. Lib. IV. *Aedis sacra a magi-*

ARA . QVAE . EST . INFERIVS . DEDICATA . EST . EX . VOTO . SVSCEPTO . QVOD . DIV . ERAT . NEGLECTVM . NEC . REDDITVM . INCENDIORVM . ARCENDORVM . CAVSA . QVANDO . VRBS . PER . NOVEM .

a magistratu, Pontifice praeeunte, dicendo dedicatur ; et Fana dicuntur, quod Augures finem auguriorum caelestium extra urbem agris sunt effati. Hinc effari templa dicuntur ab Auguribus ; adfatus qui in his fines sunt. Usos vero eos *Dedicandi* vorbo hae in re demoostrat Livius Lib. 1. qoo Romolum ita loqueotem inducit : *Iupiter Feretri, haec tibi victor Romulus Rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, DEDICO sedem opimis spoliis, quae regibus, ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteri ferent.* Tum et in ioscriptionibus, ut in Capitolina : HOC. TIBI. PRAETOR. ET . IOVIS . ANTISTES . DEDICO. PERPETVVS. Nae taman vorbis tantum, sed et manu res ista peragebatur: qoo facit Ovidius Lib. 1. Fast.... *Augusta vocantur templa Sacerdotum rite dicata manu* : scilicet qoi dedicabat, dum verba praeibat, postem ostii maou tenebat. Sie in Iovis aedibus Capitolinis dedicandis, postem tenuit Horatius Pulvillus Cons. *inter precationem*, seu *inter nuncupationem sollemnium verborum*, ut Livius Dec. 1. Lib. 2. et Val. Max. Lib. V. Cap. 10.

Porro dedicationi lagis dictio accedebat. Cuios rei insigne exemplum in marmoro Salonino habemus, qood Patavii extat: L . AELIO . CAESARE IMP . P . COELIO . P . F . BALBINO . VIBVLIO . PIO . COSS . VII . ID . OCTOBRES . CN . DOMITIVS . VAL . II . I . D . PRAEEVNTE . C . IVLIO . SEVERO . PONTIFICE . LEGEM . DIXIT . IN . EA VERBA . QVAE . INFRA . SCRIPTA . SVNT . IVPITER . OPTIME MAX . QVANDOQVE · TIBI . HODIE . ARAM . DABO . DEDICABOQVE . OLLIS . LEGIBVS . OLLISQVE . REGIONIBVS . DABO . DEDICABOQVE . QVAS . HIC . HODIE . PALAM . DIXERO . VT . INFIMVM . SOLVM . HVIVS . ARAE . EST . SI . QVIS . HIC . HOSTIA . SACRVM . FAXIT . QVOD . MAGMENTVM . NEC . PROTOLLAT . IDCIRCO . TAMEN . PROBE . FACTVM . ESTO . CETERAE . LEGES . HVIC . ARAE . EAEDEM . SVNTO . QVAE . ARAE . DIANAE . SVNT . IN . AVENTINO . MONTE . DICTAE . HISCE . LEGIBVS . HISCE . REGIONIBVS . SICVTI . DIXI . HANC . TIBI . ARAM . IVPITER . OPTIME . MAX . DICO . DEDICOQVE . VTI . SIES . VOLENS . PROPITIVS . MIHI . COLLEGISQVE . MEIS · DECVRIONIBVS . COLONIS . INCOLIS . COLONIAE · MARTIAE . IVLIAE . SALONAE . CONIVGIBVS . LIBERISQVE . NOSTRIS .

Demum titoli, ac inscriptiones dedicationibus accedebant, ut ex Dionysio Halicarnasseo Lib. V. do M. Horatio Pulvillo: *Dedicationem, atque inscriptionem, absente collega, occupavit alter Consul. M. Horatius.* Deindo Catuli honori cooeessum, ut nomen eius in Capitolioo fastigio fulgeret, ot de illo Valer. Max. Lib. VI. 9.

NOVEM . DIES . ARSIT . NERONIANIS . TEMPORIBVS . ET . HAC . LEGE . DEDICATA . EST . NE . CVI . LICEAT . INTRA . HOS . TERMINOS . AEDIFICIVM . EXSTRVERE . MANERE . NEGOTIARI . ARBOREM . PONERE . ALIVDVE . QVID . SERERE . ET . VT . PRAETOR . CVI . HAEC . REGIO . SORTE . OBVENERIT . LITATVRVM . SE . SCIAT . ALIVSVE . QVIS . MAGISTRATVS . VOLCANALIBVS . X . KAL . SEPT . OMNIBVS . ANNIS . VITVLO . ROBIO . ET . VERRE (a). Et Inscriptio Casinas in Campania :

M .

(a) Clarissimus Scipio Maffeius Art. Crit. Lapid. Lib. III. Cap. 4. in pulcherrimi lapidis fide relevanda criticum agens, magnam ipse passus est crisin. Displicuit viri doctissimi auribus AREA DEDICATA; sed tunc illi, reor, non succurrit Tullii locus Lib. IV. Ep. 1. ad Attic. *Pontifices si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus.* Nec porro erat, cur quidquam ex eo offenderetur, quod *clausa verubus*, idest vallis dicatur; siquidem auctor est Pausanias *Lib. V. Cap.* 12. intra altim et Pelopeia aream *septo clausam* et arboribus consitam. Iniqua item et illa querela, quod heic Urbs Neronianis temporibus PER NOVEM DIES arsisse dicatur, Tacitus vero, Suetoniusque sex dies memorent. Utinam Taciti verba sedulo adverterit: profecto haud ita facile ipse sibi adversantem adduxisset in medium. Haec enim illo Annal. Lib XV. Cap. 40. Nam exactis sex diebus, *redibat levis rursum grassatus ignis.* De verbis *manere*, *negotiari*, quae nec linguam, nec mores veterum sapere viro eruditissimo sunt visa, quid dicam? vix credibile est, talia fatum emunctissimae naris hominem. Lapidis praeterea dictionem illam, *ut praetor sciat*, omnino oportebat, ut ab antiquitate perpetuo commendatam ipse commendasset. Quid quod τὸ SCIAT verbum sollemne commonitorium esse, vel abunde poterat discere ex rescripto Claudii Quartinii, quod ipse in Arte. Diplom. Lib. 1. edidit: SCIANT FVTVRVM VT NON PER HOC TVTI SINT? Postremo haud parum ex animo dolet, quod tunc Maffeio scribenti nec Suetonii locus in mentem subierit in *Aug.* cap. XXX. n. 1. quo innotescit, Augustum divisis regionibus urbis instituisse, ut illas annui magistratus *sortito tuerentur*, nec Dionis *Lib. LV.* id ipsum expresse narrantis. Haec obiter; nolo enim cetera persequi, quae neque sibilo indigent, ut evanescant. Interim sua sincerissimo marmori stet fides, cui nemo doctissimorum iniuriam adhuc usque fecit.

M . PAPIVS . M . F . L . MATRIVS . L . F
DVO . VIRI . I . D
SIGNVM . CONCORDIAE . EX . S . C . RESTITVENDVM
COERAVERVNT . EIDEMQVE . DEDICARVNT
ET . BASIM . GRADVM . ARAM . SVA . PECVNIA
FACIVNDA . COER . IEIDEMQVE . PROBAVER
AD . IIII . EID . OCT . CN . DOMIT . CASINIO . COS

Praeter autem templa, resque sacras, latissime adeo dedicationis patet vox, ut vix profanum aliquid sit, quod continuo non videas dedicatum. Atque heic vero dedicare id sonat, quod εγκαινιζειν Graecis, quodque Festo est *usui dicare*, usurpaturque passim de quocumque opere novo quod initiatur (a), sive mavis dicam encaeniatur (b), quemadmodum expressissime in antiquo marmore apud Sponium *Miscell. antiq. erud. sect. V.*

Q . MAG . ALPIVM . COTTIARVM
PRAEFECTVS . EXTRVXIT . ET . VSVI
SEGVSINAE . REDDIDIT . CIVITATI

In

(a) Hoc sensu Deuter. XX. 5. *Quis est homo qui aedificavit domum novam et non* (ενεκαινισεν in septuaginta virali versione) *dedicavit eam ? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.* Sic et Nehemiae XII. 27. Septuaginta viralis versio habet εν εγκαινιοις τειχους, Vulgata vero in *dedicatione muri* Ierusalem. Et Danielis Cap. III. 2. τα εγκαινια της εικονος, in Vulgata ut *convenirent ad dedicationem statuae, quam erexerat Nabuchodonosor Rex.*

(b) *Encaeniare* purum putum Graecum est εγκαινιζειν, *initiare*, ex quo et εγκαινια, et εγκαινισμος, *initiamenta.* Passim sequiori latinitatis aetate locum habuit. Ethelwerdus apud Cangium *Encaeniavit in Wintoria urbe arduam turrim.* Et Augustinus in Ioannem: *Quandocumque novum aliquod fuerit dedicatum, encaenia vocantur. Iam et usus habet hoc verbum : si quis nova tunica induatur, encaeniare dicitur.*

In quo quod alibi est *Extruxit, et dedicavit*, hic habetur *extruxit, et usui reddidit.* Atque hoc sensu dedicata offendimus amphitheatra, veluti in lapide apud Holstenium in notis ad Cluverium: M . SILIO . EPAPHRODITO cet. IVVENES . LYCOFERONENSES . PATRONO . OB . MERITA . QVOD . AMPHITHEATRVM . COL . IVL . FELICI . LVCOFERONENSES . PATRONO . OB . MERITA . QUOD . AMPHITHEATRVM . COL . FELICI . LVCOFER . S . P . F . DEDICAVITQVE. Quo loco quid sit dedicare, adprime explicat Dio *Lib. LI.* ubi de Tauri amphitheatro: *Caesare IIII. Cos. Statilius Taurus Theatrum quoddam lapideum ad venationes ferarum in campo martio suis sumptibus absolvit, inque eius dedicatione munus gladiatorium exhibuit.* Et Suetonius de amphitheatro Flavio in *Vespas.* Cap. VII. *Amphitheatro dedicato*, MVNVS EDIDIT APPARATISSIMVM, LARGISSIMVMQVE. In eumdem sensum et Theatri dedicatio accipienda in lapide Transaquano apud Reinesium Clas. II. 89. THEATRVM . ET . PROSCENIVM . REFECERE . LVDIS . SCENICIS . BIDVO . DEDICARVNT . D . S . P. ubi dedicare nihil aliud est, quam musicis gymnicisque ludis theatrum encaeniare. Eodem modo et Gymnasia scimus dedicata, ut de Neroniano Xiphilinus: *Gymnasium aedificavit, cuius dedicatione equitibus, et senatoribus OLEVM GRATIS DISTRIBVIT.* Sic et Thermae dedicatae in marmore ap. Grut. p.CLXXVIII. 4. CONSTANTIVS . ET . MAXIMIANVS . INVICTI . AVGG . SEVERVS . ET . MAXIMIANVS . CAESS . THERMAS . ORNAVER . ET . ROMANIS . SVIS . DEDICA-

DICAVER. idest thermarum usum in Romanorum commodum encaeniarunt. His accedit lavacri dedicatio, cuius diserte meminit Lampridius in Elagab. Cap. XVIII. *Et lavacrum quidem Antonini Caracallae dedicaverat, et lavando, et populum admittendo.* Vin' quomodo dedicatum lavacrum? ipsa scilicet populi admissione ad lavandum, quam explicationem nusquam enucleatius, quam in Herodiani illo offendimus, ubi de Thermis Commodianis: *Gymnasium quoque maximum exaedificaverat*, PVBLICATIS *etiam* BALNEIS; quo loco *publicare* est publico usui aperire, quod alibi dedicare in veteri lapide apud Donium Clas. II. n. 31. C . VALERIVS . C . F . CLAVD . PANSA . BALINEVM . QVOD . VI . CONSVMPTVM . FVERAT . RESTITVIT . ET . DEDICAVIT. Pontes praeterea dedicatos passim in veterum memoriis habemus. Ponti Cestio hanc adpositam epigraphen ex Grutero habemus p. CLX. 4. IMPP . VALENTINIANVS . VALENS . CONSVLES . II. ET . GRATIANVS . COS . PRIMVM . PONTEM . FELICIS . NOMINIS . GRATIANI . CONSTITVI . DEDICARIQVE . IVSSERVNT. Et in lapide Aretino apud Gorium Inscr. Antiq. Etr. p. CCCXII. A . PACCIVS . A . F . Q . CAVIVS . L . F . DVOVIR . EX . D . D . PONTEM ..... D . COE (a). Atque quid-

(a) Apud Graecos etiam diis opera publica dedicabantur. Ac de ponte quidem insignis est inscriptio apud Wheler Itin. Lib. III. p. 251. Αρτεμιδι . Εφεσιᾳ . Και . Αυτοκρατορι . Καισαρι . Σεβαστῳ . Και . Τιβεριῳ . Και . τῳ . Δημῳ . των . Εφεσιων . Γαιος . Σεξτιλιος . Ποπλιου . Υιος . Ουετουριᾳ . Πολλιων . Συν . Οφελλιᾳ . Αυλου . Θυγατρι . Βασσῃ . Τῃ . Εαυτου . Γυναικι . Και . Γαιῳ . Οφιλλιῳ . Προκλῳ . Εαυτου . Υιῳ . Και . τοις . Λοιποις . τεκνοις . την . Γεφυραν . Εκ . των . ιδιων . Ανεθηκεν i. e. *Dianae Ephesiae, et Imp. Caesari Augusto, et Tiberio, et populo Ephesiorum C. Sextilius P. F. Veturia Pollio cum Ofellia. A. f. Bassa uxore, et C. Ofilio Proculo f. ceterisque liberis pontem de sua pecunia dedicavit.*

quid in his pontis dedicatio valeat, vel abunde datur intelligere ex marmore Gruteriano p. CLXIII. 4. P . BAEBIVS . VENVSTVS . PONTEM . FECIT . EX . H . S . XXC . CIRCENSIBVS . EDITIS . D . D. nimirum Circensium editione pontis encaeniatio facta. Verum, quod heic haud praetereundum duco, non lapidei tantum pontes et inscriptione, et dedicatione honorati apud antiquos, sed lignei etiam; cuius rei exemplum habeo pretiosissimum in praegrandi, ac inedito cippo Misenati recens detecto, quem ego, uti iacet, diligentissime nuper ex Museo Regis exscripsi, atque is est:

SCHOL^{A} . ARMATVR

FL . MARIANO . V . P . PRAEF
CLASSIS . ET . CVRATORI
REIP . MISENATIVM . CVIVS
NOBIS . ARGVMENTIS
PONTE . LIGNEVM . QVI . PER
MVLTO . TEMPORE . VETVSTATE
CONLAPSVS . ADQVE . DESTITV
TVS.FVERAT.PER.QVO.NVLLVS
HOMINVM . ITER . FACERE
POTVERĀ . PROVIDIT . FECIT
DEDICAVITQVE.OB.MERITIS. EIVS
HONESTISSIMVS . ORDO . DIGNO
PATRONO

Atque

Atque quandoquidem de pontibus mihi res est, fortasse neque abs re erit et riparum dedicationem e vestigio subnectere, quam expresse in Puteolana tabula inedita nuper inscriptam offendi, deformi quidem, sed haud arduae lectionis charactere, quae et huiusmodi est:

PRO . BEATITVDINE . TEMPORVM
FELICITATEMQVE . PVBLICI . STATVS . IMP
DDD . NNN . THEODOSI . ARCADI . ET . HONOR
PERENNIVM . AVGVSTORVM
RIPAM . MACELLI . DEXTRA ; LEBAQVE
AD . GRATIAM . SPLENDOREMQVE
CIVITATIS . PVTEOLANAE . INSTRVCTVM
DEDICAVIT . FABIVS . PASIPHILVS . V . C
AGIS . VICEM . PRAEFECTORVM . PRAETORIO
ET . VRBI

Eodem modo et aquaeductus ab Antonino Imperatore dedicati occurrunt in insigni marmore Mediolanensi apud Grut. p. CLXXVII. 4. AQVAEDVCTVM . IN . NOVIS . ATHENIS . COEPTVM . A . DIVO . HADRIANO . PATRE . SVO . CONSVMMAVIT . DEDICAVITQVE. Murorum hinc dedicatio succedit, cuius vel unum satis sit exemplum in praeclarissima inscriptione Veronensi apud Maffeium: MVRI . VERONENSIVM . FABRICATI . EX . DIE . III . NON . APRILIVM . DEDICATI . PR . NON . DECEMBRIS . IVBENTE . SANCTISSIMO . GALLIENO . AVG . N . INSISTENTE . AVR . MARCELLINO . V . P . CVRANTE . TVL . MARCELLINO; quo titulo muros dedicare, nemo non intelligit idem esse, ac absolutos consummatosque usui addicere. Venio ad porticus,

*

cus, quas item dedicatas passim antiqua memorant marmora, ut Puteolis: IOVI . VICTORI . TREBONIVS . GALLVS . COS . PORTICVM . EX . VOTO . FECIT . ET . D. Item apud Gruter. p. MDXXX. 10. Valens, et Gratianus PORTICVS . AREASQVE . AD . ORNATVM . VRBIS . SVAE . ADDI . DEDICARIQVE . IVSSERVNT . Et apud Aldum p. DXCVII. L . RASIVS . L . L . POLYBIVS . PORTICVM . DEDICAVIT . X . K . IVN . L . MAMMIO . POLLIONE . Q . ALLIO . MAXIMO . COS. Quo facit Plinius Lib. V. Ep. XXI. ad Fabatum: *Accepi litteras tuas, ex quibus cognovi speciosissimam te PORTICVM sub tuo filiique tui nomine DEDICASSE.* Quo loco dedicare quid significet, expresse prodit litteratus lapis ap. Maffeium Mus. Veron. p. CCCCXXII. 4. L . ATTIVS . QVIR . VETTO cet. PORTICVS . LAPIDEAS . MARMORATAS . SOLO . SVO . LVDIS . SCENICIS . IMPENSA . SVA . EPVLO . DATO . D . D. nimirum porticibus in solo suo privato absolutis, eas Attius et ludis, et epulo civium usui reddidit. Quo sensu et Epistylii dedicatio venit ibid. p. CCCCLVI. 4. EPISTYLIVM . SVA . PECVNIA . EXORNAVIT . IDEMQVE . DEDICAVIT. Simili modo mansiones dedicatas habemus ap. Fabret. Cap. VI. n. 172. PRO . SALVTE . DOMVS . AVGVSTAE . EX . CORPORE . PAVSARIORVM . ET . ARGENTARIORVM . ISIDI . ET . OSIRI . MANSIONEM . DEDICAVIMVS (a). Mansiones hic quid sint, ar-

(a) Inscriptionem Salmasius edidit ad Spartiani Caracal. Cap. IX. sed minus accurate; habet *Corpora* pro EX CORPORE, et *aedificavimus* pro DEDICAVIMVS. Reinesius vero Clas. I. n. 139. *ansariorum* posuit pro PAVSARIORVM. Accuratissime omnium Fabrettus loc. cit.

arduum non est consequi. Sane enim, quum mansionum instar (cuiusmodi ad vias militares itinerantium commodo erant) tabernacula passim ad urbis vias sint exstructa, ubi pompam Isiacam peragentes pausarent (hinc factum *pausariis nomen*) et fessis novi succederent, qui reliquum viae spatium obirent, ideo et huiusmodi tabernacula *mansiones* adpellatae. Scholae etiam, sive Collegiorum corporumque Curiae (a) dedicari solebant, nimirum sive epulis, sive alio adparatu primum encaeniari. Exemplum habes apud Murator. p. DXX. 6. quam inscriptionem infra dabo *Sched. de Die Natali*, ubi T. Furius Primogenitus in dedicatione Scholae Collegii Fabrum Tignariorum sextertios nummos X. in annuas epulas dedit. Et ap. Nardinum Rom. Vet. lib. V. cap. VI. *Bebrix Aug. lib. Drusianus, A. Fabius Xanthus cur. imagines argenteas deorum septem POST DEDICATIONEM SCHOLAE* (b), *et mutulos cum tabella aenea de sua pecunia dederunt.* Scilicet et hinc patet, quo potissimum pecunia spectet ad scholam exornandam data in lapide Doniano Clas. II. 71. idest tum aliis operibus, tum in primis vero statuis, ac imaginibus, ut ap. Grut. p. CLXIX. 5. SCHOLAM . CVM . STATVIS . ET . IMAGINIBVS sua impensa fecit (c). Sed e diverticulo in viam. De Palatio etiam haec

(a) Videsis inscript. apud Reinesium Class. I. n. 278. et Murat. p. DLXV.

(b) Quod hic Scholae dedicatio, alibi Curiae dedicatio est ap. Gruter. p. CCCCLXXI. 5. ANNI QVO CVRIA DEDICATA EST.

(c) Scholae nimirum, in quibus Collegia, ac Corpora consilium advocare solebant, statuis, et imaginibus exornabantur. Forum etiam, in quo ludi ederentur, statuis ornatum scimus. Ac apud Graecos Gymnasia etiam, in quibus Philosophi docebant, simulacris, ac clarorum virorum imaginibus insigniri moris erat.

haec habemus in gestis Constantini Magni apud Cangium: *Palatium usque ad perfectum fecit*, QVOD NON DEDICAVIT, idest quo uti non potuit; et iam antehac Suetonius in Nerone: *Eiusmodi domum quum absolutam dedicaret* (a). Puteus item dedicatus in Romano lapide ex Museo Victorio apud Gorium Inscr. antiq. Etr. p. CCCXII. O....RINVS . AVGVSTOR . N . SER . PEL....NYMPHAS . POSVIT . PVTEVM . INST. ...LEGIS.QVOD. DEDICATVM . F....M . POMPEIO . MACRINO . P. IVVEN....(b). Ad haec et stabulum dedicatum occurrit in Romano item ap. Sponium Miscel. Erud. antiq. p.CCLXVII. VALERIVS . ANTHIDIVS . V . C . AV . PRAEF . PRAET . STABVLVM . NE . ANIMALIA . CVRSVS . PVBLICI . LONGI . ITINERIS . LABORE . DIVTIVS . DEPERIRENT cet. AEDIFICAVIT . ADQVE . DEDICAVIT. Sed tempus est ut ad statuarum dedicationem deveniam, cuius caussa longam istam instituimus telam. Atque huiusmodi dedicationes praeter Corfiniensem vetustae passim memorant inscriptiones (c). Omnium instar, satis una gustus sit Interamnas, quam exhibeo:

A.

(a) Apud Pollion. in trig. tyr. n. 29. idem est *dedicare domum*, et *Aurelianum adhibere convivio*.

(b) Consules processerunt an. V. C. DCCCCXVII, Christi CLXIV. de quorum consulatu vide Fabret. Inscr. Domest. Cap. VII. p. 507. et seq.

(c) Etiam Suetonius in Aug. cap. XXXI. *Statuas ducum triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.*

A . POMPEIO . A . F
CLV . Q . PATRONO
MVNICIPI . INTERAMNAT
NAHARTIS . QVOD . EIVS
OPERA . VNIVERSVM
MVNICIPIVM . EX . SVMMIS
PERICVLEIS . ET . DIFFI
CVLTATIBVS . EXPEDITVM
ET . CONSERVATVM . EST
TESTAMENTO . T . LVCINI . T . F
STATVA . STATVTA . EST
DEDIC . IBID . IVL . IMP
AVRELIO.ANTONINO.AVG.PIO.FELICE

At dedicare hic quid nisi collocare est (a)? Sane rem vel Tullius insinuare videtur *Orat. pro Dom. sua*, ubi *dedicare*, et *de loco movere* ex adverso ponuntur. Quid quod et Polluci *Lib. I. segm.* 12. ἱδρυσασθαι, et εγκαινισαι synonyma sunt? Sed cardo explicationis non aliunde melius, quam ex ipsis antiquis inscriptionibus petendus, quibus sive dedicatio, sive collocatio unum est. Quod si dilucide alibi, certe dilucidissime omnium ex binis basibus Romanis ap. Grut. p. CCCIX. patet, in altera quarum: *Cloeliae Claudianae V. V. max. religiosissimae benignissimaeque cuius ritus et plenam sacrorum erga deos admini-*

(a) Vel certe, quod Plutarcho est in Pomp. Αναδεικνυναι *revelare*, ac *ostendere*.

ministrationem cet. COLLOCATA . XII . KAL . APRIL C . AVFIDIO . ATTICO CoS C . ASINIO . PRAETEXTATO. In altera vero eiusdem *Cloeliae Claudianae V. V. Max. Sanctissimae ac super omnes retro maximas religiosissimae, cuius sanctimonia cet.* DEDICATA . X . MARTIIS . M . IVNIO . MAXIMO . II. ET. VETTIO . AQVILINO . COSS . CVRANTE . FL . MARCIANO. Habes igitur binas bases, binis eiusdem Virginis Vestalis suppositas statuis, et quod uni est DEDICATA, alteri est COLLOCATA (a). Quo ritu vero statuae dedicabantur, sive quod idem est collocabantur, habes in lapide ad Lirim amnem ap. Grut. p. CCCCXXVII. Q . IVNIO . Q . F . OVF . SEVERIANO cet. CVIVS . DEDICATIONE . STATVAE . CENAM cet. Et p. CCCCXLVI. 4. ET . IN . DEDICATIONE . STATVAE . COLONIS . CENAM . DEDIT. Et p. CCCCXLI. 7. HIC . LVDOS . FECIT . ET . DEDICATIONE . STATVAE . PATRONI . QVAM . IPSE . POSVIT . ET . CLYPEI . SVI . ITERVM . MVNICIPIBVS . NEPESINIS . EPVLVM . DEDIT. Et ap. Mur. p. MLXIII. 1. C . MARIO . QVIR . CLEMENTI . ORDO . NESCANIENSIVM . STATVAM . PONI . IVSSIT . ET . DECREVIT . FABIA . RESTITVTA . MATER . EPVLO . DATO . DEDICAVIT . Itemque ap. Donium Cl. II. n. 2. in dedicatione statuae

Q .

(a) Accedit inscriptio Tibure reperta an. MDCCLXXVIII. *Ornatui thermarum DEDICAVIT*: quod alibi est ap. Murat. p. CCCCLXXXIII. 3. *ad ornatum thermarum CONLOCAVIT*; et apud Grut. p. CLXXVII. 6. *ad augendam thermarum Traianarum gratiam CONLOCAVIT*.

Q. F. Culleoni... EDITIS . PER . BIDVVM . CIRCENS . DD. Quemadmodum autem collocatione ipsa dedicabantur statuae, sic et suspensione imagines. Facit huc Apuleius Met. VI. *Et depicta in tabula fugae praesentis imaginem meae domus atrio dedicabo*, *ανεθήσω suspendam* (a); ut et diserte apud Laertium in *Vit. Plat.* Mithridates Persa Platonis effigiem Musis dedicavit in Academia cum titulo: *Μιθριδατης ὁ Ῥοδοβατου Περσης Μουσαις εικονα ανεθηκε Πλατωνος, ἣν Σιλανιων εποιησε.* Quo modo ap. Grut. p.CCXXXVIII. 1. *Optatus Reburri L.* IMAGINEM . CAES . AVG . IMP . DEDICAVIT . CLAVDIO . CAES . AVG . GERM. Nec alio sensu tabulas muneris dedicatas intelliges in veteri lapide Beneventano ap. Donium Clas. IV. n. 68. IDEM. BASILICAM . IN . QVA . TABVL . MVNERIS . AB . EO . EDITI . POSITAE . SVNT . CONSVMMAVIT . LVDOS . PALMARES . OB . DEDICATIONEM . EARVM . NOMINE . EVPLOEAE . SVAE . EXHIBVIT.

Postremo restat, ut de biga, et quadriga dedicata dicam. Alteram habes in marmore ap. Fabrettum Cap. IX.

 n. 517.

(a) Verbum *ανατιθημι* de iis donariis usurpatum, quae templi postibus, parietibus, tholo suspendebantur. Latius tamen respondet latinorum verbo *dedicare*, ita ut quaecumque religionis causa divino cultui seponebantur, etiamsi templa, arae, luci, montes, et urbes, recte *ανατιθεσθαι* dicantur. Ephesii a Croeso obsessi *ανθεσαν την πολιν urbem dedicarunt* Dianae, ac ad ipsius dedicationis ritum servandum funem ex eius aede ad murum alligarunt; vide Herodotum I. 26. Quo facit inscriptio Columnarum Farnesianarum, quae nunc in Museo Neapolitano servantur (ap. Grut. XXVII. 1.) ΗΟΙ ΚΙΟΝΕΣ ΔΕΜΕΤΡΟΣ ΚΑΙ ΚΟΡΕΣ ΑΝΑΘΕΜΑ h. e *οἱ κιονες Δημητρος, και Κορης αναθημα*, ubi vides Herodem *columnas* posuisse *αναθημα* Cereri, ac Proserpinae, h. e. dedicasse. Similis est litterata basis, eruta anno MDCCLXIII. in fundo quodam PP. Societatis Iesu in pago, qui nunc *Policoro*, olim Heraclea. Quae talis est: *Ἱστιαια προ αυτας, και τας Αφροδισιας δορκας ανεθηκε.* *Histiaea pro se ipsa, et Aphrodisia columnas dedicavit.* Vid. Ignar. Opusc. p. 74.

n.517. DIVISIT . OB . DEDICATIONEM . BIGAE . DECVRIONIBVS . SINGVLIS . V . COLLEGIS . OMNIBVS . VIII . PLEBEI . ET . HONORE . VSIS . III. Alteram in cippo Beneventano apud Vitam tom. I. Antiq. Ben. p. XLVIII. HIC . OPVS . QVADRIGAE . DEDICARI . IVRAVIT (a). At quid cetera moror? Iam enim nihil est quaquaversus, quod vel initiatur, vel encaeniatur, quod item dedicandi vocabulo non videas expressum. Hinc Magistratum dedicare pro inire, veteribus usurpatum in lapide Sponiano p. LXVIII. COLLEGIO . PABVLARIORVM . C . CORNELIVS . C . L . IVCVNDIANVS . II . VIR . ET . L . ANTONIVS . L . L . IVBENTIVS . QVINQVENNALITATEM . S . P . DEDICARVNT; id est ludos, aut quid aliud pecunia sua ediderunt in quinquennalitate capessenda. Eodem modo et bibliothecam dedicare ap. Plinium Lib. I. Ep. VIII. *Petiturus sum enim, ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui bibliothecam dedicaturus*, ubi vides sermone, sive inaugurali allocutione dedicatam bibliothecam i. e. publicatam, quemadmodum expresse Plinius alter Hist. Nat. Lib. VII. Cap. L. *Bibliotheca ab Asinio Pollione ex manubiis publicata.* Sic et agrorum culturam dedicare apud Hyginum (sub Traiano) Lib. de limit. constit. *Quas urbes aut civibus, aut emeritis militibus assignaverunt, et ab agrorum novae dedicatione culturae colonias adpellaverunt.* Postremo et carinam dedicare apud Apuleium *Met. XI.* ubi sic Isis loquitur: *Quo die sedatis*

(a) Bisellium dedicatum vide infra, ubi de Augustalibus.

sedatis hibernis tempestatibus , et lenitis maris procellosis fluctibus navigabili iam pelago , rudem dedicantes carinam , primitias commeatus libant mei Sacerdotes.

At vero huiusmodi dedicatio non tantum quum opus aliquod novum absolveretur, sed et quum diruta , ac vetustate dilapsa restituerentur, invaluit. Id quod ex ipsis adprime litteratis titulis datur ediscere. Sic ap. Grut. p. III. n. 9. IOVI . O . M . FORTVNAEQVE . MELIORI . AVG . ET . DIS . DEABVSQVE . COMMVNIBVS . M . GELLIVS . STEPHANVS . IVN . CVM . STEPHANO . PATRE . DOMV . TERTIANA . EX . DIRVTION . RESTIT . DEDICARVNTQVE. Et apud Odericum Syllog. Inscr. Antiq. p. CCCIII. 1. AEDE . VETVSTATE . DILAPSA . A . SOLO . EX . VISO . SVA . PECVNIA . REFECERVNT . DEDICATA cet.

Demum ut et id non praeteream , dedicandi verbum ad gratias ipsas deductum video in veteri lapide Hispelli ap. Murat. p. XCVI. *Deo sancto T. Flavius T. L. Atimetus Et Flavia Sabina Lib.* GRATIAS NVMINI TVO DEDICARVNT. Et Romae recens erutus lapis (prostat in Palatio Rondanini): *Caelo aeterno Aelia Compse P. F. Et Atilia Victoria GRATIAS D. D.* (a).

CAP. XIV.

(a) At in hisce inscriptionibus *Gratias dedicarunt* pro eo est , ac gratias agentes dedicarunt. Vide Grut. p. XXII. 6. XLIV. 2. LXIV. 11. LXVII. 9. et passim alibi.

CAPVT XIV.

CVIVS . OB . DEDICATIONEM . OBTVLIT . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSO . POPVLO ⊣– S . L . MIL . NVMMVM.

Erat et id quoque in more positum apud veteres, ut sicubi publica, privatave opera dedicarent, e vestigio Decuriones, Augustales, plebemque, sive profusis largitatibus, sive epulis continuo, ut in maximis laetitiis fieri passim assolebat, exhilararent. Utrumque at simul praestitisse Mammium, Corfiniensis iam nunc edocet inscriptio. Is enim ob dedicationem statuae cum inscripta basi, non ea tantum usus est liberalitate, ut Decurionibus, ac universo populo sestertium quinquaginta millia nummum obtulerit, ex cuius summae usuris die natalis eius VII. Idus Februarias divisiones percipere possent; sed alteram insuper ipso dedicationis die exhibuit: *Item dedit Decurionibus, et liberis eorum singulis sestertium triginta nummos, Seviris Augustalibus vescentibus singulis sestertium viginti nummos, Plebi universae epulantibus singulis sestertium octo nummos.* Sane praepostero licet ordine idem adamussim paene habes in Gabino marmore Auli Plautii, ante hos annos effosso, quodque supra adtuli: *cujus ob dedicationem divisit Decurionibus singulis denarios quinque, item Seviris Augustalibus singulis denarios duos, item tabernariis intra murum negotiantibus denarium unum. Et sestertium decem millia nummum Rei publicae Gabinorum intulit, ita ut ex usuris ejusdem*

dem summae quotannis quarto Kalendas Octobres, die natalis Plautiae Verae filiae suae Decuriones, et Seviri Augustales publice in tricliniis suis epulentur.

Ac profecto, quod veterum memoriae adprime testantur, nunquam sive templorum, sive statuarum, aut cujuslibet rei dedicationes peragebantur, nisi epulo dato. Hinc in veteri lapide ap. Mur. DCCCXXXVIII. 1. CVIVS . DEDICATIONE . VIRIS . ET . MVLIERIBVS . EPVLVM . DEDIT. Et ibid. p. MCXI. 6. DEDICATIONE . AEDIS . NEPTVNI . EPVLVM . TRIDVVM . POPVLO . DEDIT. Quo facit Plinius Lib. IV. Ep. 1. *Templum pecunia mea exstruxi; cujus dedicationem, quum sit paratum, differre longius irreligiosum est. Erimus ergo ibi* (Tiferni) *dedicationis die, quem* EPVLO CELEBRARE INSTITVI. Eodem modo et ap. Gr. p. LXIII. 3. IDEMQVE . DEDICAVIT . ET . EPVLVM . DEDIT . DECVRIS . N . IIII. Et p. CCCCXLVI. ET . IN . DEDICATIONE . STATVAE . COLONIS . CENAM . DEDIT.

Sed porro haud continuo epulum, aut coena recta exhibita; quin saepe pro epulo sportulae divisae (a), ut in lapide

(a) EXCVRSVS
De coena recta, et sportulis.
Coena recta, omniom splendidissima, et in qoa nihil quidquam ad iostae mensae adparatom desiderabatur. Lucianus Συμπος. p. 650. vocat δεῖπνον ἀποτελὲς, qoae recta Martiali Lib VII. Ep. XVII.

Rectam vocatus quum recurris ad coenam;

itemqoe Suetonio in *Aug.* Cap. LXXIV. *Convivabantur adsidue, nec unquam nisi recta.* Unde lux Senecae loco adfulget Epist. CXXII. *Hanc petunt omnes isti, qui ut ita dicam RECTE VIVVNT*, idest laute vivunt. Et alibi Ep. CX. *Non magnam rem facis, quod vivere sine recto adparatu potes*, ubi rectum pro lauto vides a Seneca usurpatum. Porro coenae rectae loco, extremis Reipublicae temporibus, vel sub Caesaribus sportulas dari coeptas, com alionde, tum locupletissime ex uno intelliges Martiali Lib. VII. Ep. XLVIII.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Immo Turnebus auctor est Advers. X. 27.

lapide Atinati in Samnio: DEDICAVIT . IPSE . X . KAL . IVN . IMP . M . ANTONINO . III . COS . ET . DEDIT . SPORTVLAS . DEC . HS . XII . N . PLEBEI . VRB . HS . VI . N. (a). Et ap. Fabret. Cap. IX. n. 517. OB . DEDICATIONEM . BIGAE . DECVRION . SINGVL . V . COLLEGIS . OMNIBVS . VIII . PLEBI . ET .

27. et XXXVIII. 24. a liberalioribus coenam rectam, a tenuioribus rectae loco sportulas datas. De recta nihil heic ego, neque obiter dicam. Sportulae vero (quas sportellas, et sportas alibi invenio nuncupatas, a sparto uti reor, herba hiberica, cuius virgoso frutice conficiebantur) eae erant, quibus vel obsonia continebantur, quae domum toti familiae profutura adsportarent invitati, vel pecunia, qua uti quisque pro arbitrio poterat. Equidem haud ignoro, sportularum nomine in libris praesertim Iurisconsultorum pecuniam ut plurimum intelligi, ut. *L. L. Spurii D. de decurion.* et *Iudicialis tit. C. Iustin. de sportul. et sumpt*. At in antiquis inscriptionibus id constanti usu receptum video, quod tunc tantum sportularum voce pecunia sit intelligenda, quum aperte ipsius pecuniae summa memoretur. Quod sane et apud poetas passim est adnotare. Hinc Martialis Lib. I. Ep. 50.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delicias quid facit ista fames?

Et Lib. III. Ep. 6.

Centum miselli iam valete quadrantes,
Quos dividebat balneator elixus,
Regis superbi sportulae recesserunt.

Alibi saepissime sportularum voce nonnisi cibariorum distributiones accipiendae. Nihil enim apud priscos frequentius, quam sportulis coenarum obsonia ferre, quum coenatum ad alios ibant. Hinc Graecis *δεῖπνον ἀπὸ σπυρίδος coena in calatho*, et Polluci κίσται ὀψοφόροι. Huc facit Iuvenalis Sat. III. v. 249.

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivae: sequitur sua quemque culina.

Et Sat. I. 59.

. . . . . nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.

Atque sportulam ex more quidem tenuiores tantum accipiebant. Sed Iuvenalis in extremas nobilium; summique magistratus sordes invehitur, qui sportulam etiam in reditus annuos numerabant Sat. I. 1.

Sed cum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat,
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis, fumusque domi?

Porro autem sportulis Romanos usos sub Nerone, testatur Suetonius in *Nerone: Adhibitus sumptibus modus, publicaeque coenae ad sportulas fuere redactae.* Mox vero et *sportulas publicas sustulisse* Domitianum *revocata coenarum rectarum consuetudine*, idem narrat in Domit. Ex quo Martialis lib. VIII. Ep. 49.

Vescitur omnis eques secum, populusque, patresque.

Verisimile tamen est pro coena recta rursus sportularum usum invaluisse Domitiano defuncto.

(a) Edidit Grut. p. MCL 5. et Donius Cl. VI. n. 20.

ET . HONORE . VSIS . III. Quid quod haud raro aliis sportulae, aliis epulum divisum? ut apud Fabr. Cap. IX. n. 514. CVIVS . DEDICATIONE . DECVRIONIBVS . SPORTVLAS . ET . MVNICIPIBVS . EPVLAS . DIVISIT. Ex quo, vel me non monente vides, quam falso edixerit Mazochius in Amph. Camp. Diatr. de dedic. n. XLIX. *saepe epulum dividebatur, idest sportulae dabantur*; expresse enim ex hoc lapide habes, quam longo intervallo distet epulum dividere abs τῷ sportulas dare. Quod praeterea et in Aldino lapide habes C. Oppii. Leonae p. CLXIX. 4. QVORVM . DEDICATIONE . SINGVLIS . DECVRIONIBVS . IIII . AVGVSTALIBVS . II . ET . COLONIS . CENAM . DEDIT. Ubi vides sportulas decurionibus, et Augustalibus, coenam vero colonis datam. Quibus unam, non amplius addo epigraphen apud Fabr. Cap. IV. n. 161. L . LOLLIO . L . F cet. MARCIANO . EQVO . PVBL . ORNATO . PATRONO . COL . OMNIBVS . HON . FVNCTO . FVRIA . C . F . LONGINA . MATER . FILIO . PIISSIMO . OB . CVIVS . STATVAE . DEDICATIONEM . DECVRIONIBVS . AVGVSTALIBVS . EPVLANTIBVS . POPVLO . VIRITIM . DIVISIONEM . DEDIT. Quandoque vero epulum simul, et sportulae datae, ut in marmore ad Lirim amnem ap. Aldum p. CLXX. 6. CVIVS . DEDICATIONE . STATVAE . CENAM . DECVRIONIBVS . SING . VIII . NVMVM . ET . POPVL . SING . II . NVMVM . DIVISIT. Et apud Gruterum p. CCCCXXXIV. 1. statuae L. Maesio Rufo, eiusque coniugi positae: QVARVM . DEDICATIONE . RVFVS . EPVLVM . DEDIT . DECVRIONIB . SING . HS . XXX . SEX .

SEX . VIRIS . ET . AVGVSTALIB . SING . HS . XII . PLEBI . SING . HS . III (a).

Neque vero id praeterenndnm, sportnlarum nomine non raro panis ac vini divisiones datas, tum et olei (b). Hinc apud Maffeium *Mus. Ver. p. CCLXII. I.* OB . CVIVS . DEDICATIONEM . DEDIT . DECVRIONIBVS . ET . SEVIRIS . ET . AVGVSTALIBVS)(III . ADIECTO . PANE et vino populo)(II. Et apud Oliverium Marm. Pisaur. p. XV. n. 34. CVIVS . DEDICATIONE . DEDIT . DECVRIONIBVS . SINGVL . HS . N . XXX . AVGVSTA . LIB . N . XX . PLEBEI . HS . N . XII . ADIECTO . PANE . ET . VINO . ITEM . OLEVM . IN . BALNEIS. Et apud Fabr. Cap. VI. n. 164. CVIVS . DEDICATIONE . DECVRIONIBVS . VI . AVG . ET . PLEBI . VRB . EPVLAS . DEDIT . ET . OLEVM . IN . BALINEO . POPVLO . ITEM . PLEBI . PANIS . ET . VINVM. Et ap. Grut. p. CCCCXIX. 2. ET . OB . DEDICATIONEM . STATVAE . DECVRIONIBVS . ET . VI . VIRIS . ET . IVVENIBVS . ET . POPVLVM . EPVLVM . ET . OLEVM . EADEM . DIE . DEDIT.

Alibi praeterea sportularum nomine crustum, et mulsum

(a) Haud probo Heinsii, et Burmanni opinionem, qui ex hisce denariis confectum epulum putant, vel saltem sine epulo, et epuli loco divisos. Quos fortasse videtur sequutus Mazochius Amph. Camp. Cap. III. *Tum quoque epulum appellabatur, cum vice coenae rectae nummi distribuebantur.* Forte defectus particulae ET in quibusdam titulis Mazochio imposuit, ut in superius adducto Gruteri marmore. Sed quomodo huiusmodi tituli sint interpretandi, habes ex inscriptione ap. Sponium Miscel. p. 56. *Epulum dedit* ET. X. D. divis. per gradus; et alibi millies.

(b) Proprie vero sportularum nomine pecunia venit in libris potissimum Iurisconsultorum.

mulsum in dedicatione divisum (a). Sic apud Gruterum p. CCCLXXIII. 8. CVIVS . DEDICATIONE . CRVSTVM . ET . MVLSVM . POPVLO . DIVISVM . EST. Et ap. Murat. p. DCCCXXX. 3. CVIVS . DEDICATIONE . DECVRIONIBVS . ET . PLEBEI . CRVSTVLVM . ET . MVLSVM . DEDIT. Cuiusmodi est inscriptio apud Gorium Tom. I. p. CCCXVI. ubi in dedicatione statuarum in honorem Caesarum, et Liviae Augustae crustula, et mulsum dari mandantur.

Postremo Visceratitionem etiam, vel frumentationem haud raro in dedicationibus exhibitam videmus. Ac de visceratione quidem, quae carnis et panis divisio erat (b), titulum

(a) Crustulum placentae genus interpretatur Acron ad Horatium. Parabatur autem ex farina, melle, ac lacte, similibusque, opere pistorio, ac pueris adprime gratissimum, ut Flaccus Sat. 1.

Ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Sed in omnium deliciis fuisse marmora testantur. Vid. Dissertat. de Natali vet. infra.

Mulsum vero (οἰνόμελι) est vinum melle conditum, divitum potio, ut ex Martial. Lib. XIII. Ep. 108. Hinc leum mulsum dicitur Horatio Sat. II. 4. 24. Mulsi conficiendi rationem tradit Columella *Lib. XII. Cap. XLI.* Eius dotes praedicat Plinius Lib. XXI. Cap. 24. Nec natali die tantum, et in dedicationibus, quae natalicia erant eorum quae dedicabantur, sed in funere quoque datum memorat Liv. lib. XXXVIII. Cap. LV. tum et quavis occasione. Hinc illa apud Plautum *Pers.* act. V. 2. 40. *Age, circumfer mulsum, bibere da usque plenis cantharis.*

(b) De visceratione loquitur Lex 54. *D. si pure tibi de legat.* 3. ubi *L. Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Seius viscerationem, quina Seium dedisse intelligimus.* Atque hanc vocem Pandectis Florentinis debemus: antehac enim quidam Iurisconsulti, eam vocem prorsus ignorantes pro visceratione substituerant *huiusce ratione*. Vide infra in *Schediasm.* de Natali veterum *Cap. II.* quae sunt adnotata in lapidem ante hos annos in Rudiarum ruinis repertum, in quo Tuccius quidam Sestertium LXXX. nummum municipibus Rudinensibus promittit, ut ex reditu eorum die Natalis filii sui omnibus annis VISCERATIONIS NOMINE DIVIDATVR cet. Veteribus glossis est ἀρτοκρέας, εὐφρασία, qua voce usus est Persius *oleum, artocreasque popello.* Εὐφρασία porro sic dicta est abs ea verbi εὐφραίνεσθαι notione, quam usurpat D. Lucas in Evangel. φάγε, πίε, εὐφραίνου; et φαγόντες εὐφρανθῶμεν; et εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς; quo pacto est etiam accipiendum id in Athanasii

titulum produxit Gorius Inscr. antiq. tom. I. p. XXXIV. (a). C . VOLCIVS . QVIETVS . ARAM . A . SOLO . EX . HS . D . N . S . P . F . IDEMQVE . DEDICAVIT . ET . OB . DEDICATIONE (sic) . CONGENTILIBVS . ET . SACERDOTI . VISCERATIONEM . ET . EPV. Frumentationem vero in basi habes capite corrupta, ac desperatae lectionis ap. eumd. tom. I. p. VIII. in qua quidam nescio quid dedicat, et OB . DEDICATIONEM . PVGILVM . CERTAMINA . EDIDIT . ET . DECVRIONIBVS . SPORTVLAS . ET . POPVLO . GYMNASIVM . EPVLVM . DEDIT . ET . HOC . AMPLIVS . PRO . SVA . LIBERALITATE . CAMERAM . SVPERPOSVIT . ET . OPERE . MVSEO . EXORNAVIT....... DED . OB QVAM . DEDICAT . EPVL . DECVR . ET . POP . FRVM . DED. Antiquissima nimirum ista omnium frumenti divisio ad conciliandam plebem instituta. Ut enim ex Plinio discimus Lib. XVIII. 3. *Manius Marcius Aedilis plebis primum frumentum populo in modiis assibus donavit.*

CAP. XV.

nasii verbis in epistola ad Africanos: Οἱ μὲν Ἕλληνες, ait, εὐφραινόμενοι συνευχόμενοι τῶν ἱερῶν, ὁ δὲ Γεώργιος πενθεῖν ἠνάγκαζε τότε τοὺς Χριστιανοὺς τῇ κακώσει τῶν ἀνθρώπων. Nec heic advertere praetermittam, quod ab huiusce etiam verbi significatione Genius, cuius simulacro mensae decorari apud veteres solebant, Εὐφραδὴς adpellitatus sit. Hinc Hesychius Εὐφραδὴς, παταικος ἐπιτραπέζιος. Sed quorsum in hoc Hesychii loco Εὐφραδὴς παταικος dicitur? certe eorum instar, quorum Herodotus meminit, qui in navibus sculpebantur, aut caelabantur.

(a) Lapidem vulgavit Sponius Miscel. Erud. antiq. p. LXII. et Fabrettus Cap. IX. n. 491. sed parum accurate. Gorius lectionem ad marmoris fidem exegit.

CAPVT XV.

Sestertii nota quae. An Sestertius a Sestertio neutrius generis differat. Ecquae summa a Mammio Decurionibus oblata. Cum Regni Neapolitani pecunia comparatur.

OBTVLIT . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSO . POPVLO ⊢ S L . MIL . NVMMVM . QVAE . MAMMIANA . VOCENTVR.

Sestertiorum doctrina quamplurium Scriptorum ingenia torsit, nec quidquam est extricatum; pauci enim, ut Porcii verbis utar, nomen, nulli significationem cognoverunt. Equidem nihil hanc in rem conferre animus erat mihi, sed ne quid ad absolutam Corfiniensis inscriptionis explanationem desit, pauca tantum, quae rem ipsam veluti acu tangunt, libens adponam.

Ac primo abs nota sestertii, quae in nostro occurrit titulo, ordiar. Sestertii nota apud Metianum, aliosque ita H. S. exprimitur. Quum enim sestertius libras duas, et semis valeret, eius numeri notam veteres hoc modo expresserunt II. S. idest duas libras et semis, quae tandem, recepto notarum usu, lineolis per alteram secantem lineam coniunctis, in hanc H-S. degeneravit; ac postea lineis in crucis formam accommodatis factum est, ut in hanc ⊢S evaserit. Porro notam hanc nonnisi de sestertiis nummis, parvis scilicet heic esse intelligendum ex adiecta voce

NVMMVM liquet (a). Atque veterum, qui accuratius scribebant, haec fuit cousuetudo constautissima, ut quum parvus sestertiorum nummorum numerus esset designandus, continuo numerali notae vel nudum elemeutum **N.** vel expresse NVMMVM, ut in Corfiuiensi elegautissima, iungerent. Quae vox si quaudo omissa, iam uon sestertii nummi erant, sed sestertia neutrius generis, sive totidem sestertiorum nummorum millia. Quamobrem in antiquis inscriptionibus Salerni ap. Grut. p. XCIV. n. 11. T . TITTIENVS . FELIX cet. HS . L . M . N . LEGAVIT . AD . EXORNANDAM . AEDEM . POMONIS . EX . QVA . SVMMA . FACTVM . EST . FASTIGIVM . INAVRATVM cet. Et in Tifernati apud Aldum p. C. n. 2. ITEM . RELIQVIT . AD . BALINEI . FABRICA . REI . P . TIF . TIB . HS . CL . N . QVAE . EX . SENTENTIA cet. Ubi mauifeste vides de sestertiis nummis rem esse. Coutra ubi integra vox NVMMVM, vel ejusdem initialis littera tacetur, nounisi de sestertiis maguis, sive de sestertiorum uummorum millibus est summa accipienda (b) ut

(a) Aliud est scilicet *Sestertium* in neutro singulari, aliud *Sestertiûm* secundo multitudinis, aliud *Sestertius* nummus. Sestertium neutrum mille sestertios continebat; sed nusquam quidem in singulari reperitur, constanter vero plurali numero Sestertia. *Sestertiûm* secundo casu multitudinis, tantumdem est ac *Sestertiorum*, idest nummorum. *Sestertius* demum masculino genere pro nummo uno effertur. Acceptum id clarissimo Budaeo referimus, qui Agricola, Hetomanno, et Iosepho Scaligero omnino obstrepentibus rem evicit *Lib. de asse: Quomodo sestertii dicti sunt nummi, quod duos asses, et semissem singuli valerent, idest dupondium, et semissem aeris; ita sestertia ex eo dicta sunt, quod duas libras singula, et selibram argenti valerent;* hoc est ducentos quinquaginta denarios, quasi libra centenos denarios penderet.

(b) Non heic praeteream quandoque in inscriptionibus taceri vocem NVMMVM, etiam ubi de sestertiis parvis agitur. Sed id dumtaxat factum, quum summa ad duo millia esset, aut plura; in qua summa enuntianda veteres modo N. vel NVM. adscripserunt, ut in nostra Corfiniensi, modo praetermiserunt, satis enim per se res elucebat.

ut ap. Fabrettum *Cap. X. n.* 293. A . RITIVS . A . L . TERTIVS . AVGVSTALIS . VIAM . STERNI . IVSSIT . IN . QVOD . OPVS . EROGATA . SVNT . HS . XXX. idest sestertia triginta, quae sestertiorum nummornm triginta millia efficiunt. Et ibidem Cap. IX. n. 370. IDEM . HS . L . AD . PORTICVM . ANTE . THERMAS . MARMORIBVS . ORNANDAM . LEGAVIT i. e. sestertia quinquaginta millia (a). Ex quo longe halucinatum esse equitem Ursatum, nemo est qui non intelligat, quippe in explicatione notae HS. aperte definivit, nunquam in veteribus titulis, vel in numismate aliquo huiusce notae discrimen inveniri. Frustra enim esse Ursatum, quisquis, licet vetusta litterata marmora haud unquam salutarit, fatebitur. Nec minus errasse hac in re censeo Clarissimum Ioannem de Vita Episcopum Reatinum *Antiq. Benev. p. XXIV.* ubi Beneventanum lapidem : PVBLICIAE . M . F . FIRMILLAE . LOCO . DAT . D . D . M . PVBLICIVS . QVARINVS . CVIVS . DEDICATIONE . DATI . SVNT . AB . EA . DECVRIONIBVS . SING . HS . VIII . N . MVNICIPIB . ET . INCOLIS . SVIS . HS . IIII . N. sic interpretatur: *cuius dedicatione dati sunt ab ea decurionibus*

(a) Atque id amplius pronum est hioc adnntare, qued quntiescumque nnmerale nomen, neutro genere, notis sestertii adponitur, nisi addatur M. idest *millia*, sestertia nentra sunt intelligenda : ut *HS. L. legavit*, idest sestertia quinquaginta legavit. Si vero M. vel exerte *millia* adponitur, tunc sestertii parvi suot; ut L. HS. M. idest quinquaginta sestertiorum nommorum millia. Utrumque ex Suetooio habes in Calig. Cap. XXXIX. *Compererat provincialem locupletem ducenta HS numerasse vocatoribus, ut per falaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste, tam magno aestimari honorem coenae suae. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli, ducentis millibus traderet.* Iterum si onmeralia nomioa sestertiis unita masculini siot generis, sestertios nummos esse iotelligimus.

nibus singulis sestertia octo numero, municipibus, et incolis suis sestertia quatuor numero. Sed quid hoc interpretamenti? Ac primum DATI SVNT, non *data sunt* scalptum in marmore, ex quo satis eruere poterat, sestertios ibi designari, non sestertia. Accedit post numeralem notam HS. VIII. et HS. IIII. elementum N. quo NVMMI efferuntur, non *numerus* (a). Demum si sestertia illa fuissent, utique dedisset Publicia singulis decurionibus scutatos nummos ducentos, ceteris centum, quod neque ipsos Imperatores praetorianis suis dare potuisse credibile est.

Iam vero et id nunc videamus tantisper, an ad veterum inscriptionum regulam ipsi veteres loquuti sint scriptores. Ac poetas quidem sestertia singula pro totidem millibus sestertiorum nummorum usurpasse, vel ex uno Horatio locupletissime constat. Lib. I. Ep. VIII. v. 80.

Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, uti mercetur agellum.

Quo loco quatuordecim sestertia nonnisi pro quatuordecim nummorum sestertiorum millibus accipienda perspicuum est. Secus si de sestertiis nummis omnino quatuordecim Horatianum illud intelliges, iam dicendus Mena agellum emisse paulis tribus cum dimidio, quo quid ineptius? Item et de Luculli milite dixit *Lib. II. Ep.* 11. *v.* 33.

Accipit et bis dena super sestertia nummum,

quae nisi de viginti millibus sestertiis nummis sumas, seque-

(a) Elementum N. tunc tantum legendum est *Numero*, quum de sestertiis sermo non sit, et quemlibet alium numerum praecedat, ut in Placentina Traiani tabula aerea, tum alibi.

queretur magnum illum Lucullum militi, qui praesidium regale deiecisset, viginti nummos sestertios, idest paulos quinque praemii loco dedisse; quod certe item stultum est suspicari. Adhuc vero luculentius idem ex Martiali patet *Lib. IV. Ep.* 67.

Praetorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat, nota carus amicitia;
Dicebatque suis haec tantum deesse trecentis,
Vt posset domino plaudere iussus eques.

Quo loco quadringenta sestertia omnino pro quadringentis millibus sestertiorum nummorum posuit Epigrammographus; namque in censum equestrem intendit, quem Romae quadringenta millia sestertiorum fuisse, nemo ignorat. Nec nisi censum eumdem pari calculo expressit Iuvenalis *Sat. II.*

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini.

Praeterea quoad veteres ipsos pertinet, qui prosa scripserunt oratione, extra omnem dubitationis aleam est, eadem usos ratione in sestertiorum summa designanda. Habes Tullium Paradox. VI. Cap. 2. *Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia; ego centena ex meis.* Quam Tullii rationem ex duplici calculo expressissimam alibi habes Act. IV. in Verrem: *Repente recitatur uno nomine sestertium ducenta quinquaginta millia iussu Praetoris data;* et e vestigio: *numerantur illa sestertia ducenta quinquaginta*, ubi vides CCL. HS. idem fuisse Tullio ac CCL. MIL. HS. NVM. Eodem calculo Suetonius in *Claud. Cap. IV. n.* 13. de Augusti testamento: *Ac ne heredem quidem, nisi inter tertios, ac pene extraneos e parte* *sexta*

sexta nuncupavit (Claudium), *legatoque non amplius, quam octingentorum sestertiorum prosequutus.* Rursumque *in Vespas. Cap. XXIX. n.* 6. de funere Vespasiani: *Sed et in funere Favo archimimus personam eius ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus, et pompa constaret, ut audit HS. centies, idest sestertium centum millibus nummum, exclamavit: centum sibi sestertia darent, se vel in Tiberim proiicerent.* Plinius vero Hist. Nat. Lib. X. cap. XXIX. *Scio* (Lusciniam) *sestertiis sex, candidam alioquin, quod est prope inusitatum, vaenisse, quae Agrippinae Claudii Principis coniugi dono daretur.* Idemque ibidem Lib. XXXIII. Cap. 11. de censu equestri: *Nisi cui ingenuo ipsi patri, avoque paterno sestertia CCCC. census fuisset.* Quibus omnibus sestertia pro totidem sestertiorum nummorum millibus usurpata, res clarior est, quam ulla indigeat disquisitione. Quid quod in Suetonii potissimum verbis de Vespasiani funere negotium omne peremptorie dirimitur, quandoquidem summa eadem duplici effertur ratione (a)? Sed interpolatum dicas Suetonii locum, dicas corruptum, vel quid peius; quidni? Lapidem produco antiquum, quem certe scribae librarii neque interpolare, neque corrumpere potuerunt, Pisaurensem inscriptionem in-

(a) Neque cum Gronovio Lib. IV. de pec. vet. Cap. VI. existimandum est, Vespasiani funus centies centenis millibus stetisse, quum non de apotheosis sumptibus ibi sermo sit, sed de primo illo funere, quod ἀνθρώπων νόμῳ fiebat, ut Herodianus Lib. IV. Cap. II.

inquam, apud Clarissimum Annibalem Oliverium *Marm. Pisaur. n. XLIII.*

C . TITIO . C . F . CAM . VALENTINO
AEDILI . Q . II . VIRO . QVI . TESTAMEN
TO . COLONIS . COLONIAE . IVL
FELIC . PISAVR . DECIES . CENTENA
MILLIA . NVM . DEDIT . ITAVT . PER . SING
ANNOS . EX . SESTERTIORVM . CCCC
VSVRIS . POPVLO . EPVLVM . DIE
NATALI . TITI . MAXIMI . FILI . EIVS
DIVIDERETVR . ET . EX . SESTERTIORVM
DC. VSVRIS QVINTO . QVOQVE . AN
NO . MVNVS . GLADIATORIVM . EDERETVR
PLEBS . VRBANA

Ubi quae sestertiorum ratio sit, in apertissimo ponitur. Primum namque habes Titium decies centena millia sestertiorum nummorum colonis dedisse; deinde summa bipartitur, et usurae ex sestertiis quadringentis in annuum epulum adsignantur (a), usurae vero sestertiorum sexcentorum in munus gladiatorium, quinto quoque anno edendum, legantur. Bipartitae summae quadringenta, et sexcenta nonnisi mille sestertia efficiunt; qui igitur primam aequant summam, idest decies centena millia sestertiorum? adesto parumper! Prima summa, nulli dubium, quin de parvis sestertiis dicatur; sed decies centena millia sestertiorum

 par-

(a) Frustra Fabrettus Inscr. Dom. Cap. II. n. 252. legerat in Pisaurensi inscriptione *Ex Sestertiorum M. CCCC usuris*. Certe contra marmoris fidem ut admonet Claris. Oliverius, et scriptor, et testis locupletissimus.

parvorum, nonnisi summam constituunt mille sestertiorum magnorum: habes igitur summam totam integre integram. Atque hinc percommode, adcuratissimeque factum, ut in prima integrali summa adpositum videas in marmore NVM. *nummorum*, ut de parvis rem esse sestertiis clarissime innotesceret; non ita vero ubi eiusdem summae bipartitio instituitur, non enim marmori adiectum *NVM.* quandoquidem magna enunciabantur sestertia. Haec satis, atque profecto etiam ad satietatem.

Restat adhuc unum postremo in Corfiniensi inscriptione, quod praeterire non licet, scilicet EX CVIVS SVMMAE VSVRIS *die natalis eius VII. Idus Februar.* DIVISIONES PERCIPERE POSSINT. Quales enim istae fuerint usurae, quamque summam quoto anno conficerent? Ac primo de centesimis usuris sermonem hic esse nemo erit inficiaturus, sive de centesima sortis parte (i. e. de uno pro centum), quae singulis mensibus solvebatur. Id ex Plinio pronum est argumentari Lib. X. Epist. LIII. ad Traian. de publicis pecuniis. *Vereor ne otiosae iaceant; nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est, nec inveniuntur, qui velint debere Reipublicae praesertim duodenis assibus, quanti a privatis mutuantur.* Ex quo id patet Traiani aetate assibus duodenis mutuari veteres solitos. Quae quum ita sint, cuivis datur intelligere, summam a Mammio Corfiniensibus legatam quinquaginta millium sestertiorum nummorum, quae monetae nostrae scutatorum nummorum CCL. respondet, haud alias in singulos annos usuras centesimas dare potuisse, quam scutatos triginta.

CAP. XVI.

CAPVT XVI.

EX . CVIVS . SVMMAE . VSVRIS . DIE . NATALIS . EIVS . VII . IDVS . FEBRVAR.

Haec ubi adolescens ego illustranda susceperam, fidem meam conceptis verbis obligavi *pag.* 153. *Diei Natalis notio apud veteres latissime patuit, quandoquidem pro genuina nativitate, pro emortuali die, nedum pro quacumque anniversaria celebritate usurpata invenitur. Certe longiorem tractationem locus hic expostularet, sed nunc de singulis, ne ab ordinis proposita ratione discedam, breviter agam; plura quippe in hanc rem edisserui in singulari schediasmate, quod adhuc adfectum in forulis habeo, quodque, si Deus faveat, nitidiore ornatum facie brevi in lucem emittam.*

SCHEDIASMA
DE DIE NATALI VETERVM.

CAPVT PRIMVM.

Natalis notio una eademque apud omnes. Mazochius primus hac de re litem instituit. Quae doctissimi hominis mens fuerit, et opinio. Omnino antiquitati adversa.

Etsi multa passim de Natali veterum clarissimi scriptores edixerint, nulla tamen ad nostram ferme aetatem de vera

vocis notione in antiquis inscriptionibus agitata est quaestio : adeo nihil aequivocum Natalis voce contineri apud omnes constitit. Unus omnium autem, qui novam hac in re procuderit opinionem, clarissimus Mazochius exstitit in Dissertatione de die Natali *Spicil. Bibl. t. II.* Nimirum tantillo Fleetwodiani lapidis, quem postremo explicabimus, argumento adductus, in eam omnino venit sententiam, Natalem in antiquis litteratis marmoribus, maxime vero sub Caesaribus pro emortuali die accipiendum. Sic enim expressis verbis *loc. cit. pag.* 225. *Testes inscripti lapides erunt, in quibus aut legata in id quaedam heredibus relinquuntur, aut alioqui iisdem negotium datur, ut NATALI suo, diem emortualem non diem nativitatis intelligendo, coena aut ludi celebrentur, aut aliqua summa viritim distribuatur. Ut apud Fleetwood p.* 109. 3. VT . QVODANN . IN . PERPET . DIE . NATAL . QVADRATI . V . ID . APR . QVA . RELIQVIAE . EIVS . CONDITAE . SVNT . SACRIFICIVM . FACERENT cet. Et mox subdit: *Sub Caesaribus ita vox Natalis constanter pro anniversario die obitus accipi vulgo coepit, maxime in inscriptis marmoribus, ut ea rarissime pro nativitate sumeretur. Ao nisi equidem fallor, vix quarto, quintoque saeculo Natalis pro natali genuino, sive nativitate interdum usurpabatur. Sic certe Aelius Lampridius, qui sub Constantino Magno vitas aliquot Caesarum scripsit, Natalis vocem usurpavit in Alexandro Severo Cap. V. his verbis:* Eadem die natalem habet hic Mammaeae Alexander, qua ille Magnus excessit e vita *cet.* Huc usque Mazochius. At quantum hac in

re

re vir totius antiquitatis promus condus aberraverit, vix est ut credi possit. Ipsi enim inscripti lapides, qui aequissimi sunt huiusce controversiae iudices, certe obstrepunt, atque alia omnia inclamitant.

CAPVT II.

Vox Natalis perpetuo pro die nativitatis, nunquam pro emortuali die in antiquis inscriptionibus, maxime sub Caesaribus, posita demonstratur adversus Mazochium. Monumenta producuntur, et illustrantur.

Atque ut a postremo ordiar, tantum abest ut sub Caesaribus Natalis vox in antiquis titulis pro emortuali die ponatur, ut non alia prorsus notio, quam genuinae nativitatis sit ei tribuenda. Quid porro magis absonum, quam ad quartum, quintumque saeculum recurrere, ut primaria ac propria Natalis eruatur notio, quam a primis usque Caesaribus innumera prorsus monumenta absque ulla ambiguitate, ac veluti digito demonstrant? Adducenda huc in primis tabula ap. Grut. *pag.* 228. 8.

DECRETVM.

AEDICVLAM ET STATVAS HAS HOSTIAM DEDICATIONI VICTIMAE NATALI AVG. VIII. KAL. OCTOB. DVAEQUAE PP. IMMOLARI ADSVETAE SVNT AD ARAM QVAE NVMINI AVG. DEDICATA EST VIIII. CAL. OCT. IMMOLETVR ITEM NATALI TIBERI

BERI CAES. PERPET. ACTVRI DECVRIONES POLLICENTI GRATIAE AGANTVR MVNIFICENTIAE EIVS. EOQVE NATALI VT QVODANNIS VITVLVS IMMOLETVR ET NATALIB. AVGVSTI ET TIBERI CAESS. PRIVSQVAM AD VESCENDVM DECVRIONES EANT THVRE ET VINO GENI EORVM INVITENTVR ARAM NVMINI AVG. PEC. NOSTRA PONENDAM ET LVDOS EX IDIB. AVG. DIEB. SEX FACIVNDOS CVRAVIMVS. NATALI AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTULA MULIERIB. VICANIS AD BONAM DEAM PEC. N. DEDIMVS. ITEM DEDICATIONE STATVARVM CAESARVM ET AVGVSTARVM MVLSVM ET CRVSTVLA PECVNIA NOSTRA DEVOTIS OMNIB. ET POPVLO DEDIMVS PERPETVOQVE EIVS DIE DEDICATIONIS DATVROS NOS TESTATI SVMVS. QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVOTANNIS SIT SERVABIMVS VI. IDVS MARTIAS QVIA HAC TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME CREATVS EST.

Quo lapide Natalem Augusti, VIIII. Kal. Octobres signatum, omnino pro genuina Augusti nativitate intelligas oportet. Nam ita Suetonius in *Vit. Aug. Natus est Augustus M. Tullio Cicerone et Antonio Coss. IX. kal. Octobres paullo ante solis exortum regione palatii ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet.* Accedit Dio *Lib. LIV. Natalem Augusti diem Iulius Antonii filius praetor, equestri certamine, et venatione celebravit: et senatusconsulto epulum Augusto, et Senatoribus in Capitolio dedit.* Quod vero in producto lapide biduum signa-

gnatur VIII. nempe et IX. Kal. Octobres id nihil facessit negotii. Immo hinc iubemur non alio sensu, quam nativitatis accipere quod Suetonius mox narrat *Cap. XXVII. Equites Romani Natalem eius sponte, atque consensu biduo semper celebrarunt.* Quid quod huiusce rei locupletissimum testem habemus lapidem alterum ex Donii *Cl. IX. n.* 28. in quo sacrificium pro Natali Augusti biduo consignatur: AFVIT . M. SILANVS . IX. OCT. NATALE . DIVI . AVG. IN.CAPITOLIO . IMMOLAVIT . L. VITELLIVS . MAGISTER . et infra: ADFVERVNT . C. CAECINA . LARGVS . SILANVS . STATILIVS . . . VIII. K. OCT. IN . PALATIO . L. VITELLIVS . MAGISTER . . . IMMOLAVIT . DIVO . AVGVSTO . BOVEM . MAREM . cet. Nec vero equestrem ordinem tantum, sed et Collegia quoque Augusti Natalem celebrare consuevisse aperte docet basis litterata Romae ex Grut. *p. CLXXV.* 4. COLLEGIO . CENTENARIORVM . cet. *L. Sextillus Seleucus Decurio D.D. Hoc amplius ark. rei. p. colleg. SS. donum dedit XV. ut ex usuris centesimis eius quantitatis quae efficit annuos X. DC. DIE VIII. KAL. OCTOB. NATALI DIVI AVGVSTI erogentur ex ark.* Nec praeterea Romae tantum, sed in municipiis, et coloniis Augusti Natalem celebratum passim ab antiquis ediscimus inscriptionibus. Lapis extat Telesiae in Campania.

L.

L . VILLIVS . L . F . RVFVS
Q . AGRIVS . C . F . CELER . PR
III . VIR
LANARIAS . ET . QVAE . IN . IEIS
SVNT . SVA . PEQ . FECER
VT . EX . EO . VECTIGALE . QVOTANNIS
COLONIS . MVLSVM . ET . CRVSTVM
NATALI . CAESARIS . AVGVSTI
DARETVR

Accedit arae Narbonensis tabula ex Gruter. p. CCXXIX. quae eidem Augusto est dedicata T. Statilio Tauro, L. Cassio Longino Consulibus An. nempe V. C. DCCLXIV. *Votum susceptum a plebe Narbonensium in perpetuum cet. Plebs Narbonensium aram Narbone in foro posuit AD QVAM QVOTANNIS VIIII. K. OCTOBR. QVA DIE EVM SAECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT tres libertini hostias singulas immolent, et colonis et incolis ad supplicandum numini eius thus et vinum de suo ea die praestent.*

Venio nunc ad Tiberium, cuius Natalem ex Romano lapide supra produximus: ITEM . NATALI . TIBERI . CAES . PERP . ACTVRI . DECVRIONES cet. At vero de genuino illius Natali, non de emortuali die ibi agi Suetonii locus adprime monet *in Tib. Cap. XXVI. Natalem eius plebeis incurrentem Circensibus vix unius bigae adiectione honorari passus.* Qui enim mortuum reberis Tiberium, qui vix unius bigae adiectione passus est suum celebrari natalem?

Non minus insignis, ac peremptorius est eiusdem Suetonii locus alter de Caligulae Natali *C. XXVI. Consulibus oblitis de Natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respublica.* Quo loco id advertas in primis, quam solliciti Caesares fuerint, ut nativitatis festum quotannis celebraretur (a). Quam in rem et Dionis testimonium habes Lib. LIX. *Abrogato Consulibus magistratu, quod ferias in suum Natalem non indixissent, quum praetores eo decursionem equestrem exhibuissent, et venationem, quod quotannis fiebat.*

Neque vero nisi de genuina nativitate prorsus id accipiendum, quod Iosephus narrat *Bell. Iudaic. Lib. VII. Cap. III.* Titum nempe in fratris sui Natali duorum millium quingentorum spectaculum dedisse: *Ibi moratus* (nempe in Caesarea maritima)*fratris sui natalem diem clarissime celebrat, numerus eorum, qui cum bestiis pugnarunt, quique ignibus cremati sunt, et inter se digladiantes periere, duo millia quingentos excessit.* Ac non multo post de Natali Patris subdit: *Postea Caesar Berytum venit, et in hac quoque diutius demoratus est, maiori usus claritudine circa Natalem Patris diem tam magnificentia spectaculorum, quam sumptibus aliis excogitatis.* Quid quod

(a) Atque eo Natali officia destinare Principes in more habebant, ut ex eo officia sumerent auspicium, ex quo lucis exordium ipsi cepere. Hinc Honorius genuinum Natalem suum Proximatui inchoando adsignavit *L. XI. de Proxim. Tit.* 26. Pari modo Theodosius iunior suum adfectavit Natalem *L. XVII. eod. Tit.* et *L. XXI. de Palatinis.* Constantius item Praetorum designationibus Natalem suum praestituit *L. X. de Praet. et Quaest.* Nec non et Theodosius M. *L. VI. de Curiosis.*

hac ipsa acceptione positus Natalis apud Sueton. *in Tito Cap. V.? Cepitque*, ait, *Hierosolymam NATALI filiae suae, tanto militum gaudio, ac favore, ut in gratulatione imperatorem eum consalutaverint cet.*

De genuino item Traiani Natali Plinii locum intelliges *Lib. X. Ep.* 89. *Opto, Domine, et hunc Natalem, et plurimos alios annos quam felicissime agas, et fortis aliis super alia operibus augeas.* Quo autem adparatu Natalem suum Hadrianus celebraverit, ex Spartiano accipimus in *Hadr. Cap. VII. Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, et mille feras natali suo edidit. Ludos circenses praeter natalicios decretos sibi respuit.* Vides nec ullam heic tergiversandi ansam patere (a). Quemadmodum nec dubitandum, ad nativitatem Antonini Pii pertinere, quod Capitolinus inquit in Pio Cap. V. *Circenses Natali suo dicatos non respuit* (b). De eiusdem Natali lapis apud Fabrettum *p.* 724. *Vti XIII. K. OCT. DIE FELICISSIMO N. ANTONINI cet.*

Pari modo de Commodi genuina nativitate Xiphilinus: *Natali suo die nobis, uxoribusque nostris, liberisque singulis binos aureos, tamquam aliquas primitias imperavit: idque tributum pendere coegit; itemque ex Senatoribus, qui in reliquis civitatibus erant, quinque denarios exegit.* Et Dio Cassius in *Antonin. Caracal. Antoninus*

(a) Hadriani schedium est de Natali suo ad Matrem, quo ipsam, et sorores ad coenam invitat. Vid. Casaubon. in *not. ad Spart. vit. Hadr.*

(b) De Natali Honorii Imp. Symmachus Lib. IV. Ep. VIII. *De equis ob Natalem Domini nostri Honorii, et invictissimi Principis largiendis, licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi.*

toninus antequam excederet ex Macedonia, ludos gladiatorios fecit suo Natali die: nam ne illo quidem abstinuit a caedibus (a). Et Capitolinus de Natali Getae *in Maximin. Natali Getae filii minoris Severus militares dabat ludos, propositis praemiis argenteis, id est armillis, torquibus, et baltheolis.*

Sed quis finis telae huic erit? Satius unum prae omnibus praestat in medium ponere auro non contra pretiosius monumentum, quod primus edidit clarissimus Bucherius *de Doctr. Tempor. p. 276.*

NATALES	CAESARUM
MENS. IANVARI	MENS. AVGVSTO
LVCI AELI CAESARIS IDIB. IAN.	DIVI PERTINACIS KAL. AVG.
DIVI GORDIANI XIII. K. FEB.	DN. CONSTANTII VII. IDV. AVG.
DIVI ADRIANI IV. KAL. FEB.	DIVI PROBI. XIV. KAL. SEP.
MENS. FEBRVAR·	MENS. SEPTEMB.
DIVI CONSTANTINI III. K. MART.	DIVI AVRELIANI V. IDV. SEP.
MENS. MARTIO.	DIVI TRAIANI XIIII. KAL. OCT.
DIVI CONSTANTII PR. KAL. APR.	PII ANTONINI XIII. KAL. OCT.
MENS. APRIL·	DIVI AVGVSTI IX. KAL. OCT
DIVI SEVERI III. IDV. APR.	MENS. OCTOB.
M. ANTONINI VI. KAL. MAII	DIVI ALEXANDRI KAL. OCT.
MENS. MAIO	MENS. NOVEMB.
DIVI CLAVDI VI. IDVS MAII.	DIVI NERVAE VI. IDV. NOV.
MENS. IVNIO	DIVI VESPASIANI XV. KAL. DEC.
MENS. IVLIO	MENS. DECEMB.
	DIVI VERI XVIII. KAL· IAN.
	DIVI TITI III. KAL. IAN.

(a) Natales sanguine polluere antiquitus nefas. Eius rei hanc Varro adfert rationem *Lib. de Numer. Id moris, institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede, ac*

Sed manum de tabula. Dicet at quis, cui bono tam multa? Nimirum tam multis necesse erat summi Viri auctoritatem submovere, atque id refigere, qnod edixit: *vix quarto, quintoque saeculo Natalis pro natali genuino, sive nativitatis interdum usurpabatur.*

CAPUT II.

Legata, vel donationes in antiquis lapidibus ad id conceptis verbis signatae, ut Natalis celebretur, diem nativitatis, non mortis designare evincuntur adversus Mazochii opinionem.

Illud e vestigio scrutandum, an in inscriptis lapidibus, quibus aut legata heredibus relinquuntur, aut alioqui eisdem negotium datur, nt Natali suo coena, aut ludi celebrentur, aut aliqua summa viritim distribuatur, Natalis ibi pro emortuali die ponatur, uti Mazochio summo viro placuit. Sed unum certe, idemque apud omnes universim percrebuerat celebrandi Natalis studium, ac ut ita dicam religio. Quam ob rem uti in Caesarum Natalibus is proprie

sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Hinc. Ovidius *III. Fast.*

Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro:
Caussa, quod est illa nata Minerva die.

Palilibus quoque, qui dies Romae Natalis erat, nullam hostiam caesam Plutarchus testatur in Rom. *Ab initio autem existimabant diem patriae origine consecratum, purum, et sine sanguine servari oportere.* At quum Principum vesania eo demum processisset, ut gladiatorum etiam caedibus natalicia celebrarent, vel ut verius dicam, funestarent, Claudius Imperator piaculum prope id arbitratus, ut qua die sibi a diis vita data erat, eadem mortalibus aliis adimeretur, edixit (teste Dione) Praetoribus, gladiatorios ludos ne praeberent.

prie dies, etiam quum vita cesserint, agebatur, quo quis in lucem editus erat, ut ex adlato paullo ante Kalendario luculentissime constat; ita privati etiam quo studio Natales suos vivi curabant, eodem prorsus, ac fortasse acriori cavebant, ut etiam ubi fato cesserint, quotannis instaurarentur.

Utinam vero praeclarissimo Mazochio non exciderit hac de re insigne prorsus Tullii testimonium! Profecto vel eo uno ab sua recessisset opinione, nec legata heredibus ad Natalem celebrandum relicta adverso adeo sensu ad emortualem diem spectare contendisset. Tullii at locus is est ex *Lib. II. de Finibus Cap. XXXI.* ubi Epicurum male philosophantem exagitat: *Quaero autem quid sit, quod tam accurate, tamque diligenter caveat, et sanciat: Amynomachus, et Timocrates heredes sui de Hermachi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum Natalem suum quotannis mense Gamelione?* En purum putum Epicuri legatum ad agendum Natalem post mortem. Quid vero? An Natalis hic pro emortuali intelligendus? Vetat notionem istam ipse Tulli scopus dicendi: ac tota eius cum Epicuro frustraretur concertatio. Sed vero nativitatis, non mortis diem ab Epicuro commonstratum, ipse e vestigio docet Tullius: *Quid? verene potest esse dies saepius, qui semel fuit? certe non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem. At habetur. Et ego id scilicet nesciebam. Sed ut sit, etiamne post mortem coletur, idque testamento cavebit is, qui vobis quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere?* Sodes, haec nonne ad Nativitatis diem pertinent? Sed aper–

apertius adhuc, paucis interpositis, Philosophum compellat: *Quod si dies notandus fuit, EVMNE POTIVS QVO NATVS, an eum quo sapiens factus est? Non potuit, inquies, fieri sapiens, NISI NATVS ESSET. Et isto modo ne si avia quidem eius nata non esset.* Demum ita concludit: *Nihil opus est litibus. Tantum dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem Natalem, quam illius testamento cavere, ut ageretur* (a).

Sane quisquis haec paullisper adtendat, nonne litem omnem a Tullio iam iudicatam videt? Ergo caussa cecidisse Mazochium dicemus? Sed is ad inscriptos lapides adpellavit, quibus huiusmodi legata continentur. Discutiamus itaque et hos testes, videamusque an illius opinioni fulcimenti aliquid tribuant. Quid? Profecto haud aliunde manifestius, quam ex litteratis istis marmoribus patebit, Natalem pro die nativitatis constanti usu positum. Huiusmodi est lapis ap. Gruterum p. CCCXXII. 4.

CA-

(a) Natales genuinos, dies nempe quo quis natus est, etiam post mortem celebrare veteres consuevisse, non est cur amplius moneam. Menti subit quod de Silio Italico refert Plinius *Epist. III. Lib. VII. Virgilii ante omnes Natalem religiosius, quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum ejus, ut templum adire solebat.* Silii adhuc inter vivos Natalis is est quo natus erat; ergo idem et Virgilii. Quo et facit Seneca *Ep. LXIV. Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, et Natalitia celebrem?*

CAPVT . EX . TESTAMENTO
CETRANIAE . SEVERINAE
COLLEGIS . DENDROPHO
RORVM . FABRVM . CENTO
NARIORVM . MVNIC . SASSI
HS . SENA . MILIA . N . DARI
VOLO . FIDEIQVE . VESTRAE . COL
LEGIALI . COMMITTO . VTI
EX . REDITV . HS . QVATERN . M.
N . OMNIBVS . ANNIS . PRID
IDVS . IVN . DIE . NATALIS
MEI . OLEVM . SINGVLIS
VOBIS . DIVIDATVR . ET
EX . REDITV . HS . BINVM
MILIVM . N . MANES
MEOS . COLATIS . HOC . VT
ITA . FACIATIS . FIDEI
VESTRAE . COMMITTO

Vides profecto lapidi inscripta ipsissima Cetraniae Severinae verba postremis tabulis consignata. Sed qui illa Natalem suum pridie idus Junias viva designasset, nisi diem, qua nata est, intellexisset? Accedit quod duas summas collegio Dendrophororum legaverit Cetrania, alteram ut Natalis suus pridie Idus Iunias celebraretur, alteram qua Manibus suis inferiae darentur. Simile legatum habes in lapide ibid. *p. CCCCI. 1. Demetrio L. F. Cam. Luxtro. Qui testamento suo ex HS . . . . in templum Suasae felici fieri iussit. Et in tutelam eius HS. XX. N. Reipublicae Suasaeor. Reliquit. Et* AMPLIVS . LE-
GA-

GAVIT . EIDEM . R . P . HS . CXXX . N . EX . CVIVS . REDDITV . OMNIB . ANNIS . DIE . NATALIS . SVI . IIII . ID . cet. Et in Spoletino p. DLXXI . 1 . HIC . LEGAVIT . TESTAMENTO . MVNIC . HS . LXV . . . VT . EX . REDITV . EIVS . SVMMAE . QVO DANNIS . VIII . IDVS . NOVEMB . NATALE . SVO . MVNICIP . EPVLVM . ET . CRVST . ET . MVLSVM . DARETVR . Quo facit pulcherrimum marmor Allifis in nostra Campania (a) :

DEO . AETERNO
PRO . RESTITVTA . VALETVDINE . EX . VOTO
AEDICVLAM . T . ANTONIVS . FELICIANVS . D
ADDICIT . ET . CONIVNCTVM . FVNDVM . TRI
NVM . ET . TRICENVM . IVGERVM . CVM . OLE
TO . PATET QVOQVO . VERSVS . P . DLXXX . EX
ANNVO . VECTIGALI . HAERES . DIE . NATALI
EIVS . III . KAL . SEPT . PERACTIS . SACRIS . DA
TO . EPVLVM . CAPVLATIS . SACERDOTIB
AVG . CVM . HIS . ET . SAMNIIS CAETERO . PO
PVLO . NOSTRO . ALLIF . CRVSTA . ET MVL
SVM . EX . XXV . SI . NEGLEXERIT . DOLOVE
MALO . SVMPTVI . PEPERCERIT . FRVCTVS
ET . MVNICIPIVM . CAPVLATI . SACERDOTES
FVNDI ADEVNTO

Titulum habes , et votum , quod statim a recuperata salute Deo aeterno Felicianus iste posuit ; et tamen Natalis designatur III. Kal. Septembres. Qui vero vivens is , immo de morbo emersus diem mortis suae in III. Kal. Sept.

(a) Vid. Grut. p. *III.* 6. Reines. p. *CCLXIX.* Gudium p. *XI.* 7. De Vita *Antiq. Benev. p. VII.* Francis. Trutta *Antichità Allifane p.* 177.

Sept. poterat edicere? Ergo de genuino natali res clamat omnino, quem Antonius iubet etiam post mortem heredem curare ex annuo vectigali fundi, atque oleti.

Sed non in postremis tabulis tantum, verum in donationibus etiam, quod magis est, designatum Natalis diem vides, quae quum stipulatae vivis ipsis fuerint, a quibus factae, nullatenus emortualem praeferre poterant diem. Et re vera inscriptionem, cuius gratia haec scribimus, quis non intelligit vivo adhuc Mammio positam? Corfinienses illi tabulas patrocinales aheneas, liberisque ejus offerri censuerunt. Is at honore accepto statim splendidissimum Ordinem, liberosque, et coniuges eorum, et populum publico epulo exhilaravit. Tam exquisitam patroni affectionem ut ordo populusque remuneraret, monumentum ex pecunia publica posuerunt. CVIVS . OB . DEDICATIONEM . OBTVLIT . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSO . POPVLO . ✝ S . L . M . NVMMVM . QVAE . MAMMIANA . VOCENTVR . EX . CVIVS . SVMMAE . VSVRIS . DIE . NATALIS . EIVS . VII . IDVS . FEBRAR . DIVISIONES . PERCIPERE . POSSINT . (a) Quod si titulus vivo Mammio est positus, de

R r quo

(a) DIVISIONES PERCIPERE POSSINT. *Dividere*, et *divisiones*, verba usitatissima sunt, ubi de pecunia pluribus tributa, qui vel ad epulum publicum, vel ad festum, aut sacrificium convenirent. Atque ita simpliciter spurtulae dictae, ac bellaria, quae dispensabantur. Hinc. L. 23. D. de ann. legat: *Cum quidem*, ait Marcellus I. C. *decurionibus divisiones dari voluisset die Natalis sui, Divi Severus, et Antoninus RESCRIPSERVNT* cet. Et L. 122. D. de legat. 1. *Ad honorem*, inquit Paullus I. C. *civitatis pertinet puta quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses, aut quod ad* DIVISIONEM *singulorum civium, vel epulum relictum fuerit*. Id quod in litteratis lapidibus millies occurrit. Ita in marmore Petelino (hodie Strongoli) OB CVIVS STATVAE DEDICATIONEM DECVRIONIBVS AVGVSTALIBVS EPVLANTIBVS ET POPVLO VIRITIM DIVISIONEM DEDIT.

quo nullatenus dubitandum, qui tu dices, vivo eo, ac praesente, mortis suae diem designatum VII. Idus Februarias? Apage. Lapidem habes Reate apud Grut. *p.* CCCCIV. quem heic exhibeam:

T. FVNDILIO. GEMINO. VI. VIR. AVG. MAG
IVV. AVGVSTALES. PATRONO. ET. QVINQ. PER
PETVO. OPTIME. MERITO. HIC. ARCAE. AVGV
STALIVM. SE. VIVO. H—S. XX. DEDIT. VT. EX
REDITV. EIVS. SVMMAE. DIE. NATALI. SVO
IIII. K. FEBR. PRAESENTES. VESCERENTVR
ET. OB. DEDICATIONEM. STATVAE. DECVRIONI
BVS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET. OLEVM. EADEM
DIE. DEDIT

Peremptorium prorsus quis non videt titulum? Donat Fundilius iste arcae Augustalium SE vivo sestertium viginti nummum, ut ex reditu eius summae die NATALI suo IIII. K. FEBR. praesentes vescerentur. Quid? tunc istum se vivo mortis diem in quarto Kalendas Februarias cognitum habuisse reberis? Sed est quod amplius dicam. Ipsemet enim EADEM. DIE. IIII. Kalendas Februarias pro dedicatione statuae et sportulas iuvenibus Augustalibus, et epulum populo dedit. Sed marmora hoc genus innumera prorsus ex antiquitate supersunt. Huiusmodi est lapis capite truncatus, qui ante hos paucos annos Romae est effossus (a):

EX-

(a) Adeas Ephemer. litter. Florent. *ann.* 1790. *p.* 599, in quibus primo editus est.

EXCEPTA . STIPVLATIONE . VT
EX . VSVRIS . HS . . . QVODANNIS
IDIBVS . IVNIIS . NATALI . SVO . IN
CONVENTV . INTER . PRAESENTES
HORA . II . VSQVE . AD . AS . DIVIDATVR
DEDVCTA . ORNATIONE . STATVAE
HS . C . N . QVOD . SI . ITA . FACTVM
NON . ERIT . TVNC . EA . S . L . M . N
DARI . REIP . OSTIENS . SVB , EADEM
CONDICIONEM . (sic) STIPVLATVS . EST

Et Romae ap. Grnt. *p. CCCLIV. Fl. Annaeo Lemonia. Fortunato. Piscat. Urinatori* cet. QVOD . OB . HONOREM . PATROCINI . SIBI . OBLATVM . EIDEM . CORPORI . SS . XII . N . DONAVERIT . VT . EX . VSVRIS . EIVS . DIE . NATALIS . SVI . III . KAL . MAIAS . SPORTVLAE . VIRITIM . DIVIDANTVR . cet. ET . OB . DEDICATIONEM . EIVSDEM . STATVAE . PATRONIS . ET . QQ . R . P . SOLID . DIVISIT . cet. CORPORIS . CVRAT . EX . AERE . COLLATO . DIGNISSIMO . POSVERVNT . Statuam cum inscripta basi heic habes Annaeo Fortunato positam adhuc vivo. Habes id insuper, quod is ob acceptum patrocinii honorem statim donaverit corpori piscatorum urinatorum sestertios XII. nummos. Habes demum et diem natalem suum eidem inscriptum basi in III. Kal. Maias. Quidni igitur natalis heic pro genuina positus nativitate? Ibid. lapis aevi Antoniniani *p. CCCXCI. Ti. Claudio.*

* *Ex-*

Exquil. Severo. decurioni. lictori. patrono corporis. piscatorum. et urinator. cet. HOC . AMPLIVS . EIDEM . CORPORI . DONAVERIT . HS . X . MILLIA . N . VT . EX . VSVRIS . EORVM . QVODANNIS . NATALI . SVO XVII . KAL . FEBR . SPORTVLAE . VIRITIM . DIVIDANTVR . PRAESERTIM . CVM . NAVIGATIO . SCAPHARVM . DILIGENTIA . EIVS . ADQVISITA . ET . CONFIRMATA . SIT . Et Tolentini ap. Murator. *p. DXX.* 6.

EX . S . C
SCHOLA . AVG . COLLEGI . FABROR
TIGNVAR . IMPENDIIS . IPSORVM . AB
INCHOATO . EXSTRVCTA . SOLO . DATO . AB . T . FV
RIO . PRIMOGENIO . QVI . ET . DEDIC . EIVS . HS . X . N . DED
EX.CVIVS.SVMM.REDIT.OMNIB.ANNIS.XII.K.AVGVST.
DIE . NATALIS . SVI . EPVLENTVR

Pari modo Ameriae ad frontem turris marmor ex Grut. *p. MLXXXVIII.* 4.

IVLIAE .

IVLIAE . M . FELICITATI
VXORI
C . CVRIATI . EVTYCHETIS
III . VIR . MAGISTRAE . FORTVN (sic)
NAE . MEL . COL . CENTONARIOR
OB . MERITA . EIVS . QVO . HONORE
CONTENTA . SVMPTVM . OMNEM
REMISIT . ET . OB . DEDIC . DED . SIN
GVLIS . H — S . XX . N . ET . HOC . AMPLIVS
ARCAE . EORVM . INTVL . H . — S . V . M . N
VT . DIE . NATALIS . SVI . V . ID . MAI
EX . VSVRIS . EIVS . SVMMAE . EPVLAM (sic)
TES . IMPERPETVVM . DIVIDER
QVOD . SI . DIVISIO . DIE . S . S
CELEBRATA . NON
FVERIT . TVNC . PERTINEBIT
OMNIS . SVMMA . AD
FAMILIAM . PVBLICAM

Quod si diem natalem hic pro emortuali accipias, qui stabit *τo* statuae *honore contenta sumptum remisit?* Qui stabit, quod ob acceptum statuae honorem ea facta elargitio pro die natali in V. Id. Maii in perpetuum colendo? Qui demum stabit et dies mortis cognitus, et basis quae ab imo ad summum omnino feminam acceptantem, elargientem, caventem (vivam ideo) insinuat? Et Arimini ibid. *p. MXCIII. 2. C. Faesellio Rufioni* cet. QVOD . SINGVLIS . VICIS . MVNIFICENTIA . SVA . S . S . XX .

XX . N . AD . EMPTIONEM . POSSESSIONIS . CV-IVS . DE . REDITV . DIE . *NATALIS . SVI . SPORTVLAR . DIVISIO . SEMPER . CELEBRARETVR . LARGITVS . SIT* . Et Ferentini ex eod. *p. CCCCLXI.* 1. *A. Quinctilio. A. F. Pal. Prisco* cet. *cuius ob eximiam munificent. quam in munic. suos contulit statuam publice ponend. in foro* VBI . IPSE . VELLET . *censuere* cet. HIC . EX . S . C . FVNDOS . CEPONIAN' . ET . ROIANVM . ET . MAMIAN . ET . PRATVM . EX . OSCO . AB . R . P . REDEM . HS . LXX . M . N . ET . . . R . P . REDDID . EX . QVORVM . REDITV . DE . HS . IV . M . CC . QVODANNIS . VI . ID . MAI . DIE . NATALI . SVO . PERPET . DARETVR . PRAESENT . MVNICIPIB . ET . INCOL . ET . MVLIERIB . NVPTIS . CRVSTVL . P . I . MVLSI . HEMIN . ET . CIRCA . TRICLIN . DECVRIONIB . MVLSVM . ET . CRVST . ET . SPORTVL . cet. quo loco Quinctilii Natalem VI. idus Maias vel coecus videt ad genuinum Natalem pertinere. Cui enim VBI . IPSE . VELLET . nisi vivo statuam senatus posuit? Et Beneventi *M. Nascellius Sabinus. et Nascellius Vitalis* IN . PERPETVVM . VI . ID . IVN . NATALI . SABINI . EPVLANTIBVS . PAGANIS . ANNVOS . X . CCXXV . DARI . IVSSERVNT . EA . CONDITIONE . VT . NON . IVN . PAGVM . LVSTRENT . ET . SEQVENTIBVS . DIEBVS . EX . CONSVETVDINE . SVA . CENENT . ITEM . VI . ID . IVN . DIE . NATALI . SABINI . EPVLENTVR . Item ap. Mur. p. DXVII. 6. VALERIAE . VRSAE . QVAE .

QVAE . VIXIT . MECVM . ANNOS . XXX . MENS . III . D . VIII . QVAE . COLLEG . FABR . AGELLVM . AESIANVM . SVVM . MANCIPAVIT . SE . VIVA . EX . DIMID . PORTVS . VASISTA . VT . EX . REDITV . EIVSDEM . AGELLI . Q . ASILIO . CONIVGI . SVO . IDEST . IX ..... DIE . NATALIS . SVI . SING . ANNIS . PER . MAGISTR . CELEBRENTVR . Quod ipsum adhuc manifestissimum fit ex Trebulano lapide apud Fabrettium cap. x. n. 210.

AVRELIAE . CRE
SCENTIAE . HONESTISSIME (sic)
ET . PVDICISSIMAE . FOEMINAE . PATRO
CONIVGI . AVRELI . FELICISSIMI . PROC
E . V . PATRONI . MVNICIPII . TREBVLANI
MVT . OB . MERITA . ET . BENEFICIA . SAEPE
IN . SE . CONLATA . STATVAM . PONENDAM
EIDEM . TRICLINARES . DECREVE
RVNT
DEDICATA . NATALI . DIE . XVI . KAL . FEB
ARRIANO . ET . PAPO . COS
L . D . D . D

Ubi τo dedicata Natali die nullum prorsus relinquit effugium, quominus non de nativitatis die accipiatur lapis. Sed quid amplius ego corrogandis immoror monumentis? Alteram non amplius addam donationem sepulcrali titulo inscriptam, qui nuper Romae effossus prostat in aedibus Ducis Braschii :

D .

D . M . S
M . VLPIVS . AVGG . LIB . GRANIA
NVS . ET . CASPERIA RVFINA FECE
RVNT . SIBI . LIBERTIS . LIBERTABVS
QVE . QVI . VIXER . INTER . SE . ANN
XX . SINE . VLLA (sic) VILE . HOC . AMPLIVS . NV
MERAVERVNT . ARKAE . SEVIR . AVGVSTALIV
SS . (X) . (X) . M . N . VT . DIEBVS . NATALIS . IDIB
IVNIS . RVFINES . VIRI . V . ET . MVLIERES . EORVM

ET . GRANIANI . KAL . IVL . EADEM . NATALI . AD
EXEMPLVM . SEMNE

Atqne ex his omnibus titnlis, quos plena manu effudimus, pronnm est cuivis intelligere, tum omnem emortualis diei suspicionem excludi, tnm constans in primis veterum studinm in eum diem, quo quis est in lucem editus, cuius memoria ut etiam post mortem coleretnr, vel ex testamento, vel donationibus inter vivos cavebant. Nec profecto sensu alio, quam quem ipsi sibi adducti lapides tribuunt, legata ad filiorum celebrandos natales relicta accipies. Talis est inscriptio in ruinis Rudiarum reperta, quam integre dabo (a):

TVC-

(a) Inscriptionis exemplar accepi ab amicissimo Francisco Danielio. Lapis, dum haec scribo, extat in Pago Monteronis.

TVCCIO . M . F . FAB . . CER . . .
ORNATO . EQ . PVB . A . SACRATISSIMO
PRINCIPE . HADRIANO . AVG
PATRONO MVNICIPI . IIII . VIR
AED . ITEM . AEDILI . BRVNDISI
M . TVCCIVS . AVÇAZO
OPTIMO . AC . PIISSIMO . FILIO . OB . CVIVS
MEMORIAM . PROMISIT . MVNICIPIBVS . RVDIN
(sic)
HS . LXXX . N . VT . EX . REDDITV . EORVM . DIE . NATALIS
FILI . SVI . OMNIBVS . ANNIS . VISCERATIONIS
NOMINE . DIVIDATVR . DECVR . SING . HS . XX : N
AVGVSTALIBVS : HS . XII . N . MERCVRIALIB . HS . X . N
ITEM . POPVLO . VIRITIM . HS . VII . N
L : D . D . D (a)

(a). *In superiorem Inscriptionem pauca adsperguntur.*

MVNICIPIBVS RVDIN. i. e. mnnicipibusRndinensibus).Rudiae urbs Lupiis finitima inter Tarentum, et Brundusium, quam Ῥοδίαι Ptolemaeus, Hermolans vero Byzantius Ῥωδαί, Strabo Ῥοδιαί adpellat, Enniique patriam fuisse tradit. De Ennio Silius Lib. XII. v. 397.

Miserunt Calabri, Rudiae genuere vetustae,

Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno.

Cives passim *Rudini* audinnt. Hinc Ennius ipse Romana donatus civitate inquit:

Nos sumu' Romanei, qui fuimus ante Rudinei.

Et Ausonius:

Vnde Rudinus ait, Divom domus altisonum cael.

VISCERATIONIS NOMINE) Nonnulla de visceratione superius adtigi Cap. XIV. quae videas. Addam hic quae ibi exciderunt. Haud ego adduci unquam in id possum, ut cl. Gherardo Vossio adsentiar, arbitranti visceratione nomine nonnisi epulum designari. Coniecerat id vir summus ex Virgilii loco *Aeneid.* VIII.

Tum lecti iuvenes certatim, araeque Sacerdos

Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris

Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.

Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus,

Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.

Sed fortasse exciderat litterato homini Tullii locus *Lib. II. Offic.* *Prodigi sunt homines, qui epulis, et visceratiònibus, et gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque adparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut nullam relicturi sunt omnino*: quo loco epulas expresse habes ab visceratione separatas. Quid quod et Suetonii accedit auctoritas *in Iul. Cap. XXXVIII?* *Populo praeter frumenti denos modios,*

Pari modo Romae ap. Grut. *p. CLXXIX. 3. C. Torasius C. F. Hor. Severus IIII. Vir. I. D.* cet. IDEM AD CELEBRANDVM NATALEM FILII SVI IN PVBL. DEDIT HS. CCL. EX QVORVM REDITV III. K. SEPT. OMNIBVS ANNIS DECVRIONES IN PVBLICO CENARENT ET MVNICIPES PRAESENTES ACCIPERENT AERIS OCTONOS. Et in Pisaurensi ap. Murat. *p. MCXI. C. Titio C. F. Cam. Valentino* cet. QVI TESTAMENTO COLONIS COLONIAE IVL. FELIC. PISAVR. DECIES CENTENA MILLIA NVM. DEDIT ITA VT PER SING. ANNOS EX SESTERT. MCCCC. VSV-

ac totidem olei libras, trecenos quoque numos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit. Adiecit EPVLVM, et VISCERATIONEM, et post Hispaniensem victoriam prandia duo; quo adversus Vossium solide nostrum firmatur iudicium. Addam hoc amplius, quod adversa omoia habet vatus lapis Vrbinas C. Mesii Zosimi apud Muratorium p. CCVI. 3. DECVRIONIBVS HS XII. PLEBEIS EPULAS DEDIT ET VISCERATIONEM; cui consonus est titulus alter ex Gorio Tom. I. p. XXXIV. obi: *C. Volcius Quietus ob arae dedicationem VISCERATIONEM ET EPVLAS* dedit. Porro *viscerationes* in feriis Latinis primum institutas, adparet ex tabula marmorea, Coss. L. Aemilio Paulo II. C. Licinio Crasso, i. e. an. Vrb. C.DLXXXV. apud Reinesium Clas. IV. n. 5. PRID. KAL. APRILEIS. FASCES. PENES. LICINIVM. (LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.) IN MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO. Mox etiam ad honorem mortuorum translatas exemplo est illud Livii *lib. VIII. 22. Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris.* Et iterum *Lib. XXXIX. 46. P. Licinii funeris caussa visceratio data.*

MERCVRIALIB.) ita Mercatores a Mercurio, quem colebant, Horum Collegium Tullius memorat *Lib. II. ad Q. Fratr. Ep. V. Non praetermittam, ne illud quidem, M. Furium Flaccum equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini, et MERCURIALES de Collegio eiacerunt praesentem, ad pedes uniuscuiusque iacentem.* Porro Mercurialium Collegium ut Romae, ita et in Provinciis Romanis obtinebat, quemadmodum ex antiquis saxis edocemur, in quibus passim Collegia negotiatorum, vel mercatorum occurrunt, et expresso Mercurialium in nostro. Porro Mercuriales et Sacerdotes erant Mercurii. Sic vetus marmor apud Murator. p. CXC. 3. L. AVIDIVS. L. PHILOGENES MERC. ET AVG. idest Sacerdos Mercurialis, et Augustalis. Hinc et magister Mercurialium in veteri Calatino lapide apud Capuam in Museo Veronensi p. CCCLIV. 3. M. OFILIVS. M. C. L. TERTIVS. MAG. MERC. VIVS. SIBI. SVEIS. ET. QVARTAE. L.

VSVRIS POPVLO EPVLVM DIE NATALI TITI MAXIMI FILII EIVS DIVIDERETVR cet. Atque his bina addam praeclarissima monumenta Gabiis nuper reperta (a), quae doctissimus, atque amicissimus Ennius Quirinus Visconte edidit (b). quorumque alterum est: *A. Plutius Epaphroditus* cet. HS. X. M. N. REIPVB. GABINOR. INTVLIT. ITA VT EX VSVRIS EIVSDEM SVMMAE QVODANNIS IIII. K. OCTOBR. DIE NATALIS PLVTIAE VERAE FILIAE SVAE DECVR. ET VI. VIR. AVG. PVBLICE IN TRICLINIS SVIS EPVLENTVR. Pertinet alterum ad Domitiae Corbulonis filiae honorem, quo Cn. Domitius Polycarpus petit, ut STIPVLATIONE INTERPOSITA DESIDERIO SVO TALIS CONDICIO DECERNERETVR VT EX REDITV EIVS PECVNIAE III. IDVS FEBR. NATALE DOMITIAE PRAESENTIBVS DECVRION. ET SEVIR. DISCVMBENTIBVS IN PVBLICO AEQVIS PORTIONIBVS FIERET DIVISIO. Acceditque de ea re placitum: *Placere universis secundum relationem supra scriptam pecuniam accipi, praestarique in* (sic) *pertuum* VT CELEBRETVR NATALIS DIES, AC MEMORIA *Domitiae Corbulonis fil.*

* CAP-

(a) Vid. Antholog. *an.* 1792.
(b) Monum. Gabin. *tom. III. Rom. an.* 1797.

CAPUT IV.

NATALIS ab emortuali die expresse distinctus in veterum titulis. Legata pro parentalibus omnino diversa. Nativitatis dies post mortem impensissime celebratus. Caligulae decretum producitur, quo lis omnis peremptorie terminatur.

Haec ad fastidium usque adnotasse haud piget, ut longe quantum a vero distet Mazochii hac de re opinio, quisquis animadvertat. Adhuc vero, ut res extra omnem prorsus dubitationis aleam ponatur, non praeteream veteres ipsos Natalitiam festivitatem ab emortuali expresse secrevisse in titulis. Lapis Romae ex Grutero *p. DCCLIII.* 4. *Albiniae Vetti fil. Valerianae P. Appius P. F. Eutyches. Ad cujus memoriam colendam huic Colleg. Dendroph. leg. HS. C. N. cuius summae reditu.* QVODANNIS . DIE . NATAL . EIVSDEM . III . ID . APRIL . DECVR . SPORTVL . EX . X . CCC . INTER . PRAESENT . ARBITR . SVO . DIVID . OLEVM . ET . PROPINATION . EX . X . DCCL . PRAEBEANT . ITEM . LECTISTERNIVM . TEMPORE . PARENTALIOR . Diversa igitur sunt parentalia anniversaria ab anniversaria Natalis celebratione. Nec vero id quaeram, an die Natalis (i. e. quo quis natus est) ubi de eo agitur, qui iam vita sit functus, ad sepulcrum vel coenatum, vel sacrificatum. Neminem enim ignorare arbitror, vivorum domi celebratos Natales, mortuorum vero ad sepulcra ut plurimum, quae *domus* item, et *domus aeterna* passim au-

audiunt in antiquis cippis. Nam eo vertitur quaestio, utrum, NATALIS designatione, diem nativitatis, an mortis diem celebratum voluerint veteres post suam mortem. Atque quaestionem istam etiam ex hoc capite marmora mihi resecare videntur; siquidem ubi de emortuali die, vel de inferiis res est, ipsa per se rem, locutionibus constanter ac omnino diversis, ostendunt. Ita lapis ap. Gruter. *p. DXLVII.* 8. *L. Iulio secundo Vlriclario Cor. C. I. P. A. qui* LEGAVIT EIS TESTAMENTO SVO X CC. VT VSVR. EOR. OMNIBVS ANNIS SACRIFICIO EI PARENTETVR. Et Mevaniae item ex Murator. *p. DXII.* 3. C. Attius. C. L. *Ianuarius. Hic Collegio suo centonariorum legavit HS.* oo. EX CVIVS REDITV QVOTANNIS DIE PARENTALIV ∞. *ne minus homines XII. ad rogum suum vescerentur.* Et Romae ap. eumd. *p. DXV.* 5. *Tutichylas hic positus* cet. *qui reliquit Collegio S. S. HS. decem Mil. N.* VT EX VSVRIS EIVS OMNIBVS ANNIS PARENT. EI HOC LOCO. Item in agro Brixiano ap. Fabrettum *Cap. III. n.* 182. *Clodiae Achillae* cet. *L. Vettius Vrsinianus maritus uxori incomparabili qui dedit Coll. VI. Vir. socior. HS. N.* ∞. VT EX VSVRIS EORVM PROFVS .... PARENTALES QVOTANNIS FIANT. Et Veronae ap. Maffeium *Mus. Ver. p. CXLVII.* 1. *Dedit Coll. Naut. Arilic. HS. XII. N.* VT. EX. EIVS. SVM. REDITV. ROSAL. ET. PARENT.. *Iusto F. Iustae uxori.* et *sibi omni an. in perpetuum procur.*

Quid quod uti epula, coenae, sportulae, crustum, mulsum ad Natalem quotannis celebrandum legata in lapidi-

pidibus ut plurimum offendimus; ita ex adverso ubi de re emortuali res est, constanti ferme usu ad id pecuniae summa legatur; ut rosas ad monumentum deferant, vel rosis arcam exornent: et si sportulas, coenas, vel quid aliud dividendum voluerint, nunquam non cum rosis et floribus iunctum vides, quemadmodum et aliquando factitatum in nativitatis etiam diei recursu post mortem (a)? Lapis ap. Grut. *p. CCCCLX.* 3. *Hic Coll. Fabr. M. R. HS. XXX. N. dedit ex quorum reditu QVOTANNIS ARCAM ROSIS EXORNENT.* Et *p. CCXXVII.* 5. *Colleg. Fabr. M. R. H. S.* 8. *N. donavit sub hac conditione, ut QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT.* Et *p. DCCLIII.* 4. *Cuius summae reditu* QVOTANNIS OLEVM ET PROPIN. PER ROSAM PRAEBEANT. Et p. DCCXLIV. 1. *Didit* HS. CCCC. AD ROSAS ET ESCAS DVCENDAS EI OMNIBVS ANNIS. Et ap. Maf. *Mus. Ver. p. CXLVII.* 1. VT EX REDITV EIVS QVODANNIS ROSAE EIS DEDVCANTVR. Et ap. Murat. *p. DCCCLXVII.* 8. *HS. N. DCCC. dedit cujus summae Reditu* ROSAM ET MINVS EX HS. N. XVI. POSVISSE VELINT. Sed quis huic telae finis? Unum addam, quod colophonem omnibus ponit, Romanum marmor in Villa Pelluchiana, hisce verbis: VT EX REDITV EIVS INSVLAE QVOTANNIS DIE NATALIS SVI ET ROSATIONIS ET VIOLAE ET PARENTALIB. ME-

(a) Ita lapis ap. Grut. p. DCXXXIV. *Curatores substituam qui vescantur ex horum hortorum reditu Natali meo et praebeant rosam in perpetuum.* Vid. Fabr. Cap. II. p. 87.

MEMORIAM SVI SACRIFICIIS QVATER IN ANNVM FACTIS CELEBRENT. Quo uno vindice marmore vides Natalem omnino pro nativitatis die positum. Praecipitur enim, ut quater singulis annis sacrificia agantur ad sui memoriam colendam; primum nempe vertente die nativitatis suae; alterum vero die rosationis, qui XI. Maii dies est, priscis propterea dictus *dies rosae*; tertium die violae (a), qui est XXII. Martii (VIOLARIS ideo dictus in marmore ap. Fabrettum *Cap. X. n.* 443.); postremum vero die parentalium.

Vides igitur ex his omnibus luce clarius patere, legata a legatis discrepare, diem natalem ab emortuali, parentalia a nataliciis, ac nonnisi verum nativitatis diem consuevisse veteres etiam post mortem curare, pecuniamque ad id relinquere. Coronidis ergo, ut controversiae finis imponatur, duo adponere praestat, alterum quo quidam in mutilo titulo ap. Murat. *p. MCXVIII.* 1. natalem suum, se vivo tantum celebrari iubet: alterum, quo non in vita tantum, sed etiam post mortem celebrari is dies iubetur. Primum huiusmodi est: . . . . . CELEBRETIS . PROPTER . QVOD . OMNIBUS . ANNIS . QVOAD . VIXERO . DIVIDAM . MVNICIPIO . N . SIARIENSI . DVMTAXAT . PRAESENTIBVS . DECVRIONIBVS . SINGVLIS . X . TERNOS . SEVIRALIBVS . X . BINOS . PLEVI . VTRIVSQVE.SEXVS.ET . INCOLIS . X. SINGVLOS . QVOT . PRAESTABO . DVMTAXAT . QVOAT . VIXERO . Alterum

(a) Utrumque legatum habes in marm. ap. Mur. p. DXX. 2. quo relicta summa MILLE HS. COLLEGIO FABR. LAVD. IN VTRVMQVE FLOREM PERPETVO SIBI DEDVCEND.

terum est Caligulae decretum ex Dione Cassio: *Caligula Drusillae natalicia celebrat: effigiem eius elephantis in theatrum invexit: equestria certamina, feras, epulum populo, Senatoribus, et eorum uxoribus donum dedit, atque ut haec post mortem eius quotannis fierent, decrevit.* DECRETVM POST MORTEM VT NATALI EIVS *ludi Megalensium similes fierent, epulumque et senatui, et equitibus daretur.* Quo demum expressissimo testimonio iam extra omnem dubitationis aleam positum habes, diem Natalem post mortem non pro mortis die, sed pro die nativitatis accipiendum.

CAPVT V.

P. Petreii Quadrati inscriptio producitur, et explicatur. Veterum sedulitas in quibusdam singularibus exprimendis. Plures veterum ex inscriptionibus recensentur, qui die Natali mortem obierint.

Demum vero ad ipsum convellendum fundamentum accedo, cui vir clarissimus totam paene rationum molem superstruxit. Nimirum Fleetwodianus lapis est interpretandus, qui offendiculo fuit homini summo, ut Natalis vocem pro die emortuali constanter in litteratis antiquorum cippis usurpatam sibi, et aliis suaderet. Inscriptio haec est, quam primus edidit Sponius *Misc. Er. Ant. Sect. II. art. XI. p.* 62. hinc vero Fleetwodus Syll. *Inscr. p.* 189. 3. postremus omnium Muratorius p. MCXCIX. 6:

P. PE-

P . PETREIO . P . F . Q . QVADRATO . ET . P . EVA
RISTO . LAIS . MATER . STATVAM . POSVIT . OB
CVIVS . DEDICAT . COLLIGENT . EPVLVM . EX . MORE
EX . IP . . . HS . XII . . . VT . QVODANN . IN . PER
PET . DIE . NATAL . QVADR . V . ID . APR . QVA
RELIQVIAE . EIVS . CONDITAE . SVNT . SACRI
FICIVM . FACERENT . AN . FARE . ET . LIBO . ET . IN
TEMPLO . EX . MORE . EPVLARENTVR . ET . RO
SAS . SVO . TEMPORE . DEDVCERENT . ET . STA
TVAM . DECERNT . ET . CORON^{N}AR . QVOD . SE
FACTVROS RECEPERVNT (a).

Profecto haud dubius sum, quin prima marmoris frons Mazochio imposuerit. Nam si tanti acuminis vir paullo intimius rem penetrasset, sensisset utique, Natalem heic omnino pro die, quo Quadratus natus est, non pro emortuali positum. Sane enim neminem ignorare arbitror, veteres, ubi quid rariusculum, vel singulare alicui contigerit, nunquam non in titulis, veluti memoria dignum, signare consuevisse (b). Atque millena prorsus possem heic ex inscriptionibus corrogare exempla, ut veterum sedulitatem in huiusmodi rebus commemorandis patefacerem. Huiusmodi est quod in lapide apud Fabrettum *Cap. IV. n.* 448. de Recania quadam dicitur, quae quo die maritata, eodem prorsus, vertentibus annis fato cessit. Inscriptio haec est:

Tt D . M

(a) Tert. vers. pro COLLIGENT fortasse positum COLLEG. DEND. *i. e.* Collegio. Dendrophororum.

(b) Ap. Mur. *p. MMXCIV.* MAXIMILLA VIXIT ANN. XL. MENS. III. DEIB. XI. HORIS. VII. HAEC IN PARTV PERIIT. Adeo ut nec memoratu indignum censuerint matrem *die natali filiae suae* periisse. Inscriptionem dedit Maffeius *Mus. Ver. p. CCLIX.* 4 DOMATIA L. L. ZOSIMA VIXIT ANNOS XII. DOMATIA L. L. LEVCADIA MATER MORTVA EST POST BIENNIVM DIE NATALI FILIAE SVAE VTRAEQVE HEIC SEPVLTAE SVNT.

D . M
RECANIAE . C . F
MECIONAE . CON
IVGI . INCOMPARABILI
VNIVIRIAE . ET . . CASTISSIM
QVAE . SIBI . NVBSIT . III . K . FEB
MORTEM . OBIIT . III . K . FEB
VIXIT . SECVM . AN . XVII
T . FL . LIBERALIS . FEC
HEDONICVS . MARITVS

Atque dum haec scribo, Romana epigraphe menti occurrit, extra portam S. Sebastiani, in qua sic fatur Christiana quaedam puellula: ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΕΓΕΝΗΘΗ (corrige εγεννήθην) ΚΑΙ ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΚΡΙCIS. ΜΟΥ. ΓΕΓΟΝΕΝ, quae licet omnium planissima, litem excitavit inter clarissimos Viros Martorellium, et Ignarram. Adsentiatur, non enim invideo, qui volet, Martorellio plaudenti, se eo titulo invictam Martyrem detexisse in *De Thec. Calamar. p.* 301. *et seqq.*, siquidem το ΚΡΙCIC tantumdem ac *Martyrium* valere omnino sibi suasit, ac multis evincere est enisus. Ego enim haud tam longe petita interpretatione opus esse video, ubi perspicua sunt verba, et sensus adprime obvius. Proxime mentio praecessit Natalis diei, ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΕΓΕΝΗΘΗΝ, *die Solis nata sum;* ergo verba quae sequuntur ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΚΡΙCIC ΜΟΥ ΓΕΓΟΝΕΝ tamquam prioribus adversantia, procul dubio vertenda sunt *Die solis mea crisis fuit*, id est mortua sum. Atque *diem criticum* pro die mortis memini ali-

alicubi legisse, qui *dies fatalis* tum alibi (a), tum in lapide audit hisce prope diebus eruto Romae extra portam Capenam in Sepulcro gentis Memmiae, qui prostat apud Praelatum de Balneo: *A. Memmio Claro A. Memmius Vrbanus* cet. *Inter me, et te, nullum unquam disiurgium fuisse conscius sum mihi* cet. *neque ullus unquam nos disiunxisset* NISI HIC TVVS FATALIS DIES. Attamen est cur et ab Ignarra magno viro, et praeceptore olim meo discedam, quod puellulam hanc uno eodemque die et in lucem prodiisse, et fato simul concessisse putaverit. Non enim mihi totus inscriptionis adparatus cum infantula convenire videtur, quae lucem ut adspexit, amisit. Nec praeterea quadrare id video cum ceteris huiusmodi locutionibus, quae non raro in veterum memoriis occurrunt. Talis est lapis ap. Murat. *p. MDCCCXXXV.* 3. AVRELIA LVSTOCHIA VIXIT ANN. II. MENS. X. DIES XVIII. NATA EST DIE VENERIS EO DIE DEFVNCTA EST DIE VENERIS. Et Salerni ap. eumd. *p. MMXCV.* 6. D. M. SATVRNINAE DIE SATVRNI NATA DEFVNCTA VIX. ANNIS III. M. V. D. XX. Ergo, per me licet, non id vult Romanus lapis, uno eodemque prorsus dominico die (b) vix natam periisse istam, cuius nomen temporis iniuria nobis invidit (fractum nempe, ac superne mutilum prostat marmor), sed uti dominico die

* esse

(a) Ita ap Fabrettum *Cap. II. n.* 153. NVLLVM DOLOREM ACCEPI TVI NISI QVOD FATALEM DIEM CELERITER PEREGISTI. Et ap. Grut. *p. CMXXI. n.* 10.

(b) Solis diem pro Dominica die etiam Christiani dixere; nec Principes tantum Constantius, Valentinianus, uterque Theodosius in suis legibus, sed et Patres Iustinus *Apol. II.* Tertullianus *Apologet. Cap. XXI. et lib. I. ad Nation Cap. XIII.*

esse coepit, ita et dominico die post annos recurrente esse desiisse.

Sane vero ut ad rem propositam propius, ac veluti per gradus accedam, si singulare visum antiquis, nec titulo praetereundum quod quis pridie Natalem suum annorum processu vita cesserit; nonne et singularius id, quod eodem die quo quis natus est, decursu temporis conditus fuerit? Lapis Parmae exstat, quem nisi fallor, Hieronymus Mercurialis primus omnium produxit in *de Arte Gymnastica Lib. III. Cap. XII.* in hunc modum:

D. M.
L. AEMILI. VICTORIS. QVI. PRIDIE. NATALEM. SVVM
VICESIMVM. ET. SECVNDVM. PRVNA. IN. PENSILI
POSITA. VRGENTE. FATO. SANVM. IPSE. NECA
VIT. SE. L. AEMILIVS. VICTOR. PRINCIPALIS. ET
AELIA. VENERIA. FILIO. PIENTISSIMO
ET. SIBI

Quod si dignum memoria existimaverint, L. Aemilium Victorem pridie natalem suum vicesimum secundum urgente fato necatum, quid praetermittere opus erat P. Petreium Quadratum ipso recurrente nativitatis suae die conditum esse? Sed dicam amplius, si NATALIS in isto Quadrati titulo pro emortuali die sit intelligendus, uti vult Mazochius, quid necesse edicere id erat, quo nihil proclivius, quod nimirum Quadratus eodem die et mortuus, et conditus sit? Fortasse non ita factum oportuit? Sed porro exempla hujusmodi non desunt in inscriptionibus, quod quis vertente post annos nativitatis suae die sit sepulcro con-

consignatus. En in promptu Christianus lapis apud Gruterum *p. MLVII.* 9.

PRINCIPALIS
QVI . BIXIT . ANNIS
XLV . MENS . II . DEPO
SITVS . NATALE . SVO
IVSTINA . BENEMERENTI
CESQVET (sic) . IN . PACE

Quid attamen si cavillosus quis et hunc Principalem contendat ipso mortis suae die (quod prorsus supervacaneum) conditum fuisse ? Profecto nulla hinc Quadrati lapidi lux adfulget. Quid tu ? Resiste parumper, nec tergiversandi locus patet. Quae enim veterum mens fuerit in ea expressione, enucleatissime habes ex pulcherrimo ac quantivis pretii marmore apud Fabrettum Cap. IV. n. 485.

IXΘΥC
POSTVMIVS . EVTHERION . FIDELIS . QVI . GRATIA . SANCTA CONSECVTVS
PRIDIE . NATALI . SVO . SEROTINA . HORA . REDDIT . DEBITVM VITAE . SVAE . QVI . VIXIT
ANNIS . SEX . ET . DEPOSITVS . V . IDVS.IVLIAS . DIE . IOVIS . QVO ET . NATVS . EST . CVIVS
ANIMA . CVM . SANCTOS (sic) IN . PACE . FILIO . BENEMERENTI POSTVMII . FELICISSIMVS
ET . EVTHEMIA . FESTA . AVIA . IPSPIVS (sic)

Ergo

Ergo Postumium Eutherionem pridie Natalem suum (a) vides hic vita functum (et Natalis certe, nisi prorsus coecutias, dies heic nativitatis est). Vides et eumdem ipso Natali suo sepulcro traditum, eo prorsus pacto, quo Quadrati ossa Natali suo condita dicuntur. Nec porro mussites, quod testem advocaverim lapidem Christianum. Nam mitto quod Quadrati titulus, licet profanus, nonnisi eamdem prope sapit aetatem; certe ex Christiano Postumii lapide tanto plus ponderis nostro accedit argumento, quo facilius est apud Christianos, quam apud ethnicos ut Natalis pro mortis die usurpari possit. Addam hic mantissae veluti loco, singulare adeo antiquis id in primis habitum, quod quis multis vertentibus annis eo ipso die vita cesserit, quo in vitam intraverit, ut nunquam, si quando acciderit, memoriae consignare praetermiserint cum scriptores, tum lapides. Plutarchus testatur *in Camil. Probl.* 1. Attalum Regem, tum et Pompejnm Magnum eumdem sortitos esse et natalem, et fatalem diem. Plinius item *Hist. lib. VII. Cap. LIII.* tradit M. Ofilium Hilarum Comoediarum histrionem eodem die vita functum, quo natus erat. De Caracalla inquit Spartianus *Cap. VI. Mortuus est die Natalis sui VIII. Idus Apriles* (b). Ad lapides quod adtinet, talis est apud Fabrettum *Cap. IV. n.* 482. *D. M. T. Flavio Paridioni vixit ann. XVIII. DECESSIT NATA-*

(a) Eodem modo lapis alter ap. eumd. Cap. VIII. n. 93. *Verefaiane* (*sic*) *que* (*sic*) *vixit ann. V. et zes* (i. e. dies) *V. DECESSIT PRIDIAE* (*sic*) *NATALE Benumerenti* (*sic*) *parentes in pace.*

(b) Falsum id tamen ex Dione lib. LXXVIII. Cap. VI. qui auctor est, Caracallam vita functum pridie nonas Apriles, quarto scilicet die ante Natalem suum.

TALI. SVO. T. Flavius Paris et Flavia Pithusa Parentes filio suo. Et ibidem *p.* 481. *Iulius Balerianus qui vixit annis N. XX. NATALI SVO D. sodaliciarius bonus amoratus filetius usque at fotsa.* Item *p.* 252. *Karis Sanctissimo Kaletico compari dulcissimo qui in coiugio mecum vicxit annos XXII. Et omnem vitam complevit annos XLV. concessit* GENESI DIE X. KAL. SEPTEMBRIVM *in pace.* Et ap. Murat. *p. MCMXI.* 1. *Septimia Romana. que* (sic) *vixit annis XIII. vita functa est XIII. Kalendas Octob. die natali suo.* Et ibid. p. MCMXI. 2. *VICTORE VITVS IN PACE QVI BIXIT ANN. XXXII. VSQVE NATALE SVO QVINTV IDVS MARTIAS* (a). Quid cetera moror? Ergo si omnis quanta est controversia, ex uno Quadrati marmore, cui unice innititur Mazochius, pendet, profecto vel universa antiquitate iudice actum est de quaestione.

C A P. VI.

(a) Atque id sibi vult *Integer integros* in inscriptione ap. Donium *Cl. X. n.* 30. DOMVS AETERNA ɔ ALBINAE Q. V. A. XV. INTEGROS INTEGRA MISERAE MATRIS DOLOR AETERNVS: et ap. Grut. *p. CMXXXV.* 4. in qua Q. Batunius Telesphorus vixisse dicitur annis LXXXI *INTEGER INTEGROS*, quod nempe eodem mense ac die e vita cesserit, quo vivere coepit. Quod et diversimode dictum offendimus in Christiano lapide ex Coemeterio Pontiani, in quo Victor quidam Presbyter sic loquitur: ANNORVM QVINQVAGINTA HODIE AETATEM PEREGI D. III ID. A....

CAPVT VI.

Natalis propria notio exhibetur. Γενέθλια, *et* Γενέσια *an differant inter se. Ammonii, et Mazochii opinio refellitur. Natalis celebrandi cura apud gentes omnes. Qui ritus apud Romanos.*

Atque ex his omnibus, quae huc usque disputavimus, patet NATALIS voce eum diem designasse veteres, quo quis in lucem editus est, unde et procedentes numerabantur anni. Hinc Flaccus *Od. IX. Lib. IV.*

Iure solemnis mihi, sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Moecenas meus affluenter
Ordinet annos.

In cuius celebritate gentes omnes convenisse (a), nemo ignorat; Iudaeos in primis (b), Aegyptios (c), Persas

(a) Facit hanc in rem Censorini locus ad Caerellium de die Natal. Cap. III. *Quum singuli homines suos tantummodo proprios colant Natales; ego tamen duplici quotannis officio huiusce religionis adstringor, Nam quum ex te, tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus, atque praesidium, cuncta denique vitae praemia recipiam: nefas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero; ille enim mihi vitam, hic fructum vitae, atque ornamentum peperit.*

(b) De Natali Herodis Matth. *XIV. 6. Die autem NATALIS Herodis saltavit filia Herodiadis in medio.* Et Marc. *VI. 21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes NATALIS sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilaeae.* De Agrippae item Iudaeorum regis natali testatur Iosephus Antiq. Iudaic. lib. X. C. VII. quod quum Sylam teneret in vinculis, Natali suo solvi iussit: *Die festivo NATALIS sui, dum cuncti, quibus imperabat, in magna laetitia versarentur, Sylam revocari iussit, secum videlicet comesturum.*

(c) Vide Athenaeum *Lib. XV. Cap. X. Coronam pulcherrimis floribus composuit* (Amasis), *formaque praestantissimis, quam dono misit ad Partamidem Regem Aegypti, quum NATALEM SVVM celebraret:* Sed et Iosephus Antiq. Iud. lib. XII. Cap. IV. de Pto-

sas (a), Graecos (b). Hinc ΓΕΝΕΘΛΙΑ et ΓΕΝΕΣΙΑ dicebantur *επιφοιτωσα του τεχθεντος εορτη dies festus, qui propter aliquem natum quotannis recurrit; celebritas, quae quotannis agitur illo ipso die, quo quis est natus.* Et iterum *Γενεσια, ἡ δι' ενιαυτον επιφοιτωσα του τεχθεντος μνημη. Natalia, quae quotannis in nati alicujus memoriam celebrantur.* Ex quo vides inepte quantum Ammonius vocem a voce distinxerit. Inquit enim: *Γενεθλια, και Γενεσια διαφερει. Οτι μεν γαρ γενεθλια τασσεται επι των ζωντων, και εν ἡ ἑκαστος ἡμερᾳ εγενηθη, αυτη καλειται Γενεθλιος ἡμερα. Γενεσια δε επι των τεθνηκοτων, εν ἡ ἑκαστος ἡμερᾳ τετελευτηκεν· ὁ ουν λεγων επι των ζωντων γενεσια, ακυρολογει. Genethlia, et Genesia differunt. Genethlia enim de vivis dicuntur, et dies quo quisque natus est, natalitius sive natalis dicitur. Genesia autem de mortuis dicuntur, et is dies, quo quis mortuus est: qui igitur γενεσια de vivis usurpat, improprie is loquitur* (c). Atqui omni prorsus fundamento id Am-

de Ptolemaeo Aegypti Rege: *Interrogavit, quae dona datu i eunt Regi DIE NATALI filii eius? Illis vero dicentibus, quosdam daturos decem talenta, alios autem nobilee secundum magnitudinem substantiae suae, contristari se simulavit* cet.

(a) De Natali Regis Persarum ita Herodotus lib. IX. et ab eo Athenaeus Lib. IV. Cap. VI. *Regiam coenam Rex ipse proponit, quae semel tantum singulis annie paratur, eo die, quo Rex NATVS EST: quae coena Persarum quidem sermone Tycta adpellatur. Tunc caput solum purgat, Persisque mittit munera.* Et Plato in Alcibiad. 1. *Postquam natus est primogenitus, qui in regno succedit, primo quidem eum diem omnes, qui sub regno eunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis NATALEM REGIS diem sacrie, ac festis omnis Asia colit.*

(b) Scriptum est II. Mach. VI. 7. de Natali Regis Antiochi: *ηγοντο δε μετα πικρας αναγκης εις την κατα μηνα του Βασιλεως γενεθλιον ἡμεραν επι σπλαγχνισμον; ducebantur cum amara necessitate in die Natalie Regis ad sacrificia.*

(c) Immo Ammonio manifeste Plutarchus adversatur *Lib. VIII. Sympos. Probl.* 1. a quo Γενεθλια vocantur festivitates in mortuorum honorem celebratae. Sed neque Plutarchum cum Suida convenire nosces, nec cum Hesychio: *Γενεθλια τα επι τῃ πρωτῃ ἡμερᾳ δωρα, και ἡ ευωχια. Genethlia munera dicuntur in memoriam nativitatis, tum et convivium.*

monii discrimen carere quisquis facile ex probatis auctoribus intelliget. Re quidem vera, ut alia omnia mittam‾, γενεσια vocatur *Matth. XIV.* et *Marci VI.* 2. convivium ab Herode in natalis sui memoriam proceribus paratum, tum et Iustino Martyri in Dialog. cum Tryphone. Nec nisi pari sensu γενεθλια Christi natalis dicitur Basilio *Orat. XXV. Nos quoque laetitiam voce exprimamus, nomen festo nostro imponamus Theophania: celebremus mundi salutaria*, την γενεθλιον ἡμεραν του ανθρωποτητος *diem natalem naturae humanae*: tum Gregorio Nazianzeno *Orat. XXXIII. Nunc Theophania sive* γενεθλια *Natalis praesens celebritas; utroque enim modo adpellatur, duobus scilicet nominibus uni eidemque rei impositis; Deus enim hominibus* δια γενεσεως *per nativitatem apparuit; theophania hinc ideo hoc festum adpellatur, quod adparuerit*; γενεθλια *Natalia vero, quod natus sit.* Et Epiphanio *Haeres. LI.* Απο της των γενεθλιων αυτου ἡμερας, τουτ' εςιν επιφανιων, *a die eius Natali, id est Epiphaniorum.* Atque haec vel ideo adnotasse non piget, ne cui fucum Mazochius faciat, qui eo nomine Ammonium taxat, quod earum vocum γενεσια, et γενεθλια alteram pro mortis die usurpari Grammaticus dixerit, quum ambas is velit pro emortuali die usurpatas, quod omnino a veritate alienum.

Ad

Quid autem si ab ipsis Graecis γενεσια a festis emortualibus distinguautur? tunc certe conclamatum erit Ammonio. En tibi Pollucis locum lib. III. cap. XIX. Εννατα τριακαδες γενεσια, νεκυσια· ταυτα επι θεραπεια των απηλλαγμενων ποιουνται: *noni dies trigesimi Natalia, mortualia. Haec ad religionem mortuorum observari placuit.*

Ad Romanos quod adtinet, scimus Natales feriarum paene numero computatos, adeo nempe solemni religione insignes. De qua re Macrobius *Lib. I. Saturn. Cap. XV. Sunt praeterea feriae propriae familiarum, ut Claudiae familiae, vel Aemiliae, seu Iuliae, sive Corneliae; et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observat: sunt singulorum, ut NATALIVM, fulgurum susceptiones, item funerum, atque expiationum.* In quibus ex domesticae celebritatis consuetudine neque lites persequi, neque ius dicere, aut negotiari sibi fas putabant. Ita Martialis de Natali Restituti *Lib. X.*

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnes, et favete votis,
NATALEM COLIMVS, tacete lites.

Atque eo die aedes et exquisitius curare, et coronis lucernisque ornare solebant. Compendii ergo Plauti locum *Pseudol. Act.* I. *Sc.* 2. adducam:

Tibi haec praecipio, ut niteant aedes:
Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, tu exstruito:
Haec, cum ego a foro revertor, facite, ut offendam parata,
Versa, praesterga, strata, lautaque, coctaque omnia sint.
Nam mihi hodie NATALIS dies est.

Quod idem ex Ovidio intelligas *Lib. III. Trist. Eleg. XIII.*

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?)
Ad sua NATALIS tempora noster adest.

* Dure

Dure, quid ad miseros veniebas exulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque solemni thuris in igne sonet?
Libaque dem pro te genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas, ore favente, preces?
Non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis,
Adventu possim laetus ut esse tuo.

Sacrificia autem primum Genio rerum parenti natali die obtinebant, ad quae praeter Ovidium loco recit. et iterum *Am.* 1. *Eleg. VIII.* alludit Horatius *Lib. IV. Od.* 11. in Natal. Moecen.

Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

Et Tibullus:

Dicamus bona verba, venit NATALIS, ad aras:
Quisquis ades, lingua vir, mulierque fave.

Convivia hinc et epulae datae, tum in Natali Principum, de quo Dio Cassius *Lib. LIV. Natalem Augusti Iulius Antonii filius tunc praetor celebravit: Senatum etiam, et ipsum Augustum ex decreto Patrum epulo excepit in Capitolio*; tum in privatorum natali, de quo Plautus *Persa*:

. . . . *Hoc age accumbe:*
Nunc diem suavem meum Natalem inter nos agitemus amoenum.

Et

Et Martialis *Lib. VII. in Sextum*:

Ad Natalitias dapes vocabar,
Essem cum tibi, Sexte, non amicus.

Et rursum in Diodorum:

Natali, Diodore, tuo conviva Senatus
Accubat: et rarus non adhibetur Eques.

Atque hic cupediae loco Suessanum lapidem exhibeo (a).

M . CACIVS . C . F . CERNA
XV . VIR . TRIB . MIL . PRAEF
CALABR
NATALI . SVO . CAENAM
PVBLICE . POPVLO . SVESSANO
DARI . INSTITVIT
V . IDVS . SEPTEMBRIS

Nec vero est, cur persequar, quanta sedulitate eo die munera hinc inde ab amicis missitata. Hinc *Natalitia Sardonyx* Persio dicitur, quae nempe Natali die accepta; et *Natalitium lardum* Iuvenali *Sat.* 2.

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et Natalitium cognatis ponere lardum.

Vestimenta enim Natalitia memorat Petronius Cap. XXX. *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quae mihi NATALI die donaverat cliens quidam.* Tum annulos recenset Plautus *Curc.*

Hic annulus est, quem ego tibi misi natali die.

Pli-

(a) Vid. Mar. p. MLXXXIII. 2

Plinius etiam *Lib. IV. Epist. ad Ursum* testatur, Iulium Bassum, qui repetundarum post reditum a Bithynia postulabatur ob accepta munera, ita se excusasse: *sola se munuscula dumtaxat Natali suo, aut Saturnalibus accepisse, et plerisque misisse* (a).

Demum non praetereo Natales Imperatorum muneribus, et ludis celebratos, de quibus vide Dionem *Lib. LIV.* Capitolinum in Pio, Spartianum in Hadriano, et Kalendarium Romanum.

C A P V T VII.

Quandonam NATALIS de interitus die usurpari primo coepit. Genuinus NATALIS etiam Christianorum aevo celebratus. Cur Christiani veteres Martyrum passiones NATALES nuncuparint. Novane ea notio, an vetus. Mazochii opinio iterum reiicitur.

Constat itaque vel nunquam, vel rarissime NATALIS vocem pro die mortis in litteratis veterum monumentis usurpatam. Tametsi enim cunctis paene celebritatibus in annos currentibus vocem illam communem fecerit antiquitas, uti fusius infra demonstrabimus, haud committere tamen volnisse videtur, ut laetissimi ominis verbum aliquo infaustitatis sensu infuscaretur. At ubi ille tandem illuxît Natalis, quo Dei Verbum Aeternum nasci in carne dignatus est,

(a) Accedit lex de muner. *Si vir aut Natali die dedisset, uxori munus immodicum in Kalendis,*

est, ac Orbis divina sapientia edoctus, alterius vitae felicitati inhiare incoepit, tunc profecto primum Natalis ille vere dictus est dies, quo non ad vitam temporariam hanc, sed ad aeternam nascimur. Atque nolim haec ita accipias, ut si aevo Christiano vel primaria Natalis notio, vel mos genuinae nativitatis celebrandae desierit. Locupletissimus enim testis est Sanctus Augustinus, sua adhuc aetate impensissime veros celebratos Natales, a nobilibus viris praesertim. Cujus locum huc adferre eo magis praestat, ut cuivis constet, etiam apud Christianos aevo Augustiniano ita prorsus celebratum Natalem, ut apud ethnicos: *Quando aliquis*, inquit S. Pontifex (*Orat I. de Advent.*) *homo potens aut nobilis NATALEM suum, aut filii sui celebrare desiderat; quanto studio ante plures dies, quidquid in domo sua sordium invenerit, ordinet emundari; quidquid ineptum, et incongruum proiici; quidquid utile, et necessarium praecipit exhiberi? Domus etiam, si obscura fuerit, dealbatur; pavimenta scopis mundantur, et diversis respersa floribus adornantur; quidquid etiam ad laetitiam animi, et corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur.* Quid quod alter accedit Augustini locus insignis (*lib. de Ordin.*) quo Natalem suum convivio celebrasse testatur? ubi praesertim ingenium se periclitatum saepe adserit, *et praecipue in quadam disputatione non parvae rei, quam DIE NATALI MEO cum convivis habui, et in librum contuli* (a). Sed ut

(a) Haec illa disputatio est de beata vita, quam ipse Augustinus Lib. II. Retract. ex occasione Natalis sui ortam dicit.

ut quod res est, ingenue dicam, ne de omnibus quidem vocem istam usurpare primaevi Christiani sibi licitum putarunt, sed de illis tantum, quos per mortem in Christo ad vitam immortalem transisse certo tenebant. Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. IV. Cap. XXIV.* de Polycarpo scribit, *celebrare sese martyris illius* ἡμέραν γενέθλιον *diem natalem, tum ad memoriam eorum, qui certamen illud iam certarunt, tum ad eorum, qui idem certamen essent subituri, exercitationem, et praeparationem.* Nec certe anniversaria Martyrum festa alio nomine, quam Natalis, celebrari a fidelibus consuevisse adprime cum Canon ille LI. docet Concilii Laodiceni: *Quod non oporteat in quadragesima martyrum natalitia celebrari: sed eorum sancta commemoratio in diebus Sabbatorum, et Dominicorum fieri conveniat;* tum et vetustissima Ecclesiae Kalendaria (a), et martyrologia, et lapides aperte ostendunt. Veluti apud Reinesium *Inscr. Cl. XX. n.* 1. ABVNDANTIVS ACOL. REG. QVARTE (sic) TT. VESTINAE QVI VIXIT ANN. XXX. DEP. IN P. D. NATA. SCI MARCI MENSE OCTOB. IND. XII. ubi Acolythum istum vides in Pace Domini depositum Natali Sancti Marci. Et ap. Murat. *p. MCMXX.* 6. PASCASVS VIXIT PLVS MINVS ANNVS (sic) XXII. FECIT TATV III. IDVS OCTOBRIS VIII. ANTE NATALE DOMNI ASTERI DEPOSITVS IN PACE. Is est Aste-

(a) Vide tabulam marmoream Kalendarii vetustissimi ap. Murat. *Thes. Inscr. pag. MCMLXVI.* cui inscripta NOTICIA NATALICIORVM SANCTORVM HIC REQVIESCENTIVM.

Asterius Martyr Ostiensis, qui in Martyrol. Romano signatur. Atque vero Patres in primis huic instare video Natalis notioni. Audi Caesarium *Hom.* 1. *de S. Genesio*: *Martyrum passiones Natales vocamus dies, quando eos martyrii vita, et gloria fidei, dum ingerit morti, genuit aeternitati, et perpetua gaudia brevi dolore parturiit.* Nec minus egregie S. Augustinus eamdem urget rationem *Serm. X. de Sanctis*: *Digne natalem istorum colimus, quos beatius aeternae vitae mundus edidit, quam mundo maternorum viscerum partus effudit.* Et in Ps. XXXIX. *Mortes, in quas Pagani saevierunt, in illis hodie reficimur, Natalem martyrum celebramus, exempla martyrum nobis proponimus.* Et S. Paulinus *in Nat. S. Felicis:*

Venit festa dies caelo celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, et Christo superis est natus in astris,
Caelestem nactus sine sanguine martyr honorem.

Et Chrysologus *Serm. CXXIX. Natalem Sanctorum quem auditis, carissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terra de carne, sed illum, quo transeunt de terra in caelum, de labore in requiem, de cruciatibus ad delicias.* Superest Prudentius *Peri steph. Hymn. XI. de passion. Hippolyti.*

Iam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert.

Atque ut hoc addam, tanta Patrum in ea explicanda notione sedulitas cui bono, si obvia ea fuisset, et profanis usitata? Proinde nec Mazochio adsentiar, qui, quam suo semel animo concepit opinionem, perpetuo tenens, adfir-

 mare

mare haud veritus est Christianos a gentilitate notionem illam mutuatos p. 225. *Dum veteres Christiani diem passionis martyrum γενέθλιον natalem appellarunt, non novam ei vocabulo notionem subiecerunt, sed usitatam iam a gentilibus ipsis locutionem amplexi fuere.* Sed si ab ethnicis istam acceperint Christiani notionem, cur non omnibus mortuis, ut is de gentilibus sentit, communem fecerint, et passionibus tantum martyrnm reservaverint? Minus repugnaverim, si veterum morem eos sequntos dixisset, qui anniversariis festis omnibus Natalis vocem adpinxerunt. Sed absque dubio alia fuit mens veterum Christianorum, ut intelligere est, cum a Patribus iam supra productis, tum ab Origene in primis Lib. III. *Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur; propterea et memoriam Sanctorum facimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis confirmationem in fide postulantes.* Atque eo prorsus pacto Natalis laeta vox solis Martyrum emortualibus diebus aptata, quo et honor reliquiis tantnm eorumdem tributus, quos cum Christo vivere Christiana fides humanis mentibus suggerit. *Pro legis iudaicae ritu*, inquit Basilius, *si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: Contra, mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosae censentur reliquiae Sanctorum eius.*

CAP. VIII.

CAPVT VIII.

Natalis vox ad quamcumque anniversariam celebritatem traducta. Plura de Natali Deorum, Imperii, Vrbium, Coloniarum, Signorum. Item apud Christianos Natalis Calicis, Ordinationis, Cathedrae, Templi.

Quum autem Natalis non tam ipsam nativitatem, qua quis primum in lucem editur, quam diem natalem recurrentem notet, eo res evasit, ut omne id quod quotannis recurrit Graecis γενέθλια, γενέσια, γενέθλιον, Latinis *Natalis*, *Natale*, *Natalitium* vocaretur. Hinc NATALIS DEORVM is dies dictus, quo numinis alicuius dedicatum est templum; veluti NATALIS DEI PATRI in lapide Neapolitano ad S. Ioan. Maior. *C. Heratio A. F. Pal. Severiano Equiti Rom. Cur. Reip. Tegianensium* cet. *praeposito amore patriae et honorem aedilitatis laudabiliter administravit*, et DIEM FELICISSIMAM III. IDVS IANVARI NATALI DEI PATRI cet. Et *Natalis Salutis* apud Tullium *Lib. IV. ad Attic. Ep.* 1. dies scilicet, quo Salutis Aedes dedicata est Romae in colle Quirinali. Eodem modo *Natalis Mercurii*, ad quem alludit Martialis *Lib. XII. Ep. LXVIII.*

Maiae Mercurium creastis idus.

Vt enim Festus monet, *Idibus Maiis mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii aedes esset dedicata.* Item Γενέθλιον Σεραπιδος Natalis Serapidis in Actis Graecis S. Marci Evangelistae, quae edidit Henschenius. Et Γενέθλιον Επιφανους apud Clementem Alexandrinum. Inquit enim de Ce-

Cephalenis: *Και συνιοντες εις το ιερον κατα νουμηνιην Γενεθλιον αποθεωσιν θυουσι Επιφανους*, *Et cum nova est luna, convenientes Natalem Epiphanis celebrant, quo relatus est inter Deos.* Atque multos huiusmodi Natales habes in Kalendario, quod Constantini aevo conditum est apud Bucherium *De doctrin. Temp. p.* 288. Ibi inter ceteros notabilis dies est VIII. KAL. IAN. N. INVICTI. C. M. XXIV. idest *Octavo Kalendas Ianuarias Natalis Invicti* (Mithrae) *Circenses*, *Missus XXIV.* (a) Notabile, inquam, id. Vides enim Natalem Solis invicti Mithrae eo quidem die a paganis statutum, quo Christi Domini, qui verus est Sol iustitiae, Natalis fuit, ac celebritate omnium solemniori singulis annis in Ecclesia colitur. Nimirum illud demum pertentasse diabolum ediscimus, quod peregrinis fere omnibus Romam inlatis superstitionibus, falsum postremo Persarum numen Mithram CHRISTO IESV VERO DEO opponeret (b), ut profanis impiisque Mithrae mysteriis ad imitamentum sanctiorum Christianae Religionis Sacramentorum compositis, veluti aemulatione aliqua Christianae fidei miram sisteret propagationem (c). Nimirum ea

(a) Adamussim ludos eo die in honorem invicti Mithrae actos docet Iulianus Imp. Orat. IV. » Itaque statim » exacto ultimo mense, qui Saturno » dicatus est, ante initium anni ma» gnificentissimos ludos in honorem » Solis committimus, quos Invicto Soli » nuncupamus ". Quo autem pacto in hunc diem VIII. Kal. Ian. plane ludi isti incidant, pluribus explicat Cl. Petavius ad hunc Iuliani locum.

(b) Zoroaster (teste Porphyrio in lib. de antr. Nymph.) » Primus omnium » in montibus Persidis vicinis antrum in » honorem creatoris, patrisque omnium » Mithrae consecravit ".

(c) Qua primum aetate Sacra Mithriaca Romae recepta, non ita facile constitues. Sane Plutarchus in vit. Pomp. auctor est, Mithrae Mysteria haud Romanis monstrata, nisi post debellatos a Pompeio piratas, post annum nempe V. C. DCLXXXVII. Id autem de prima cultus notitia accipiendum. Nec scio, an Sacra publica Romae ante Commodum obtinuerint, de quo Lampridius

ea fuit impii impia mens, qui homicida fuit ab initio, ut in uno effingendo Deo, quae Christi erant propria, symbola omnia conglobans, uno impetu totum redemptionis nostrae Sacramentum invaderet. Hinc leonina facie is deus repraesentabatur, quemadmodum a Luctatio, Statii interprete, ad primum Thebaidos scimus; nimirum quod scriptum est de Christo: *vicit leo de tribu Iuda.* Mysteria autem Mithriaca non aliud, quam ignem respexisse Firmicus docet *de Error. prof. Relig.* (a), scilicet ut occuparent, quod Christus edixerat: *ignem veni mittere in terram.* Porro quum Christus Sol iustitiae sit dictus, hinc Mithra idem ac Sol habitus, teste Hesychio, Suida, Strabone *Lib. XV.* et lapidibus, ut apud Grut. *p. XXXIV.* 5. DEO SOLI INVICTO MITHRAE FL. SEPTIMIVS ZOSIMVS SPELEVM CONSTITVIT. Et ibid. n. 7. SOLI INVICTO MITHRAE TIBERIVS CLAVDIVS THERMODORVS SPELEVM CVM SIGNIS DEDIT. Et Cumis *p.XXXIII.*

pridius ait: *Sacra Mithriaca homicidio vero polluisse.* Nam lapides certe, iique sat frequentes ante Commodi aevum nonnisi privatum numinis cultum commonstrant. Nemo at insaniori religione Mythram est prosequutus, quam qui a vero Sole Christo Deo desciverat Iulianus Imperator, ut ex eius Orat. (vide et lib. de Caesar.). Id autem mirari haud desinam, quod etiam quum Crucis signum Caesarum diademati praefulgeret, Mithrae sacra Romae celebrarentur. Constat id ex lapide ap. Murat. p. CCCLXXXVII. 2. ubi *Rufius Cejonius* PATER SACRORVM MITHRAE dicitur GRATIANO, ET MEROBAVDE COSS. qui Consules processerunt anno Christi CCCLXXVII. Nec finis fabulae fuit, nisi, ut certe teneo, anno sequenti. Testem habeo locupletissimum S. Hieronymum Epist. VII. ad Laetam: » Ante paucos annos » propinquus vester Gracchus, quum » Praefecturam gereret Urbanam; nonne Spelaeum Mithrae, et omnia » portentosa simulacra, quibus Corax, » Gryphos, Miles, Leo, Perses, He» lios, Bromius Pater initiantur, sub» vertit, fregit, excussit? At quo anno Praefecturam Urbanam Gracchus iste gesserit, opportune intelliges ex L. unic. C. Theod. *Ne quis in sua caus.* data ad Gracchum Praefectum Urbi Kal. Dec. Valente VI. et Valentiniano II. Coss. anno nempe CCCLXXVIII. Qui fuit Mithrae, eiusque cultus vere emortualis.

(a) Vide Q. Curtium *Lib. IV. Cap. L.* ubi de Dario.

p. XXXIII. 6. SPELEVM RESTITVTVM D. S. I. M. Et in ara Musaei Aquilani SPELEVM SOLI INVICTO CONSVMAVER. Antra vero, et spelaea ei dedicata, in quibus templorum vice sacra peragebantur, nonnisi ut ad Bethlemiticam specum alluderent, in quo natus est Christns (a). Docebant item de petra natum Mithram (b), siquidem Christus lapis de monte excisus, et lapis in fundamento conlocatus dicitur. Quid si et lavacra in iisdem mysteriis adhibita, ut baptismi adumbraretur Sacramentum? Tertulliani verbis utor *de Praescr. Cap. XL.* (c): *Tingit et ipse diabolus quosdam, utique credentes, et fideles suos, expiationem delictorum de lavacro repromittit, et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis oblationem, et imaginem resurrectionis induit.* Quo loco vides et Eucharistiae imaginem ingeri. Sed non panem tantum, sed et poculum etiam in impiis mysteriis oblatum, *verbis quibusdam additis*, Iustinus auctor est *Apolog.* 2. *pro Christ.* (d). En quibus nefandis ceremoniis, et scelestis mysteriis, pollutisque sacramentis sacra et initia Mithrae perficiebantur (e). Sed

tan-

(a) Vid. Commodiani carmina poetae Christiani, qui Constantini M. aevo floruit, edita a Rigaltio an. 1650. S. Hieronym. lib. I. adv. Iovinian. Iustinum Dial. cum Tryphone. Iul. Firmicum lib. I. de error. Prof. Relig.

(b) Vide Tertullianum de Coron. Milit. in fin. Iustinum Mart. in Dialog. cum Tryphone Iudaeo; Iulium Firmicum loc. cit. S. Hieronym. Epist. VII. ad Laetam, et S. Paulinum inter Opera a Cl. Muratorio edita.

(c) Vide Tertullianum rursus de ea re conquerentem lib. de Baptism.

(d) Accedit quod eius Mystae milites dicebantur, et martyrii etiam mimum agere gestiebant, dum corona, qua in martyriis donabantur, e capite in humerum reiecta, suam coronam Mithram esse testabantur, ut Tertullianus auctor est lib. de Coron. milit.

(e) Hinc Mithram, seu Solem passim *Dominum ac Regem.* adpellat Iulianus Orat. IV. Et Porphyrio *Creator, et pater omnium* dicitur; et *Sanctissimus* in lapide ap. Grut. p. XXXVI. 1. Sed et *Omnipotens* demum in veteri cippo Neapoli:

OMNI-

tandem ut fabulam omnem clauderet diabolus, eo prorsus die VIII. Kal. Ianuarias Mithrae Natalem ludis, et circensibus celebrandum intrusit, quo Dei Verbum in tempore nasci dignatus est. Unum addam, insignem nempe Io. Chrysostomi locum hanc in rem, sive quisquis sit antiquissimus Homiliae auctor in S. Lucam *de Nativ. Io. Bapt. Sed et INVICTI NATALEM adpellant. Quis utique tam invictus, nisi Dominus Noster? qui mortem subactam devicit. Vel quod dicant SOLIS NATALEM esse: ipse est Sol iustitiae, de quo Malachias Propheta dixit: Orietur vobis timentibus nomen ipsius Sol iustitiae, et sanitas est in pennis eius* (a).

At e diverticulo in viam; nec tamen data occasione longius abiisse poenitet. Patet itaque et Deos suos habuisse Natales in ethnicae superstitionis stoliditate. Quo faciunt frequentes Patrum primaevae illius aetatis querelae, obiurgationesque. *Telluris Natalis est*, inquit Arnobius *lib. VII. Dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies laetos, quibus eis adscriptum est auram usurpare vitalem.* Et Minucius Felix in Octav. *Omitto vetera, quae multa sunt, et de deorum Natalibus, donis, muneribus.* Tertullianus item de Idolol. Cap. X. *Idem fit Idoli Natali, omni diaboli pompa frequentatur.* Demum Lactantius Lib. VI. Cap. XX. *Nam ludorum celebrationes deorum festa sunt; siquidem ob Natales eorum, vel templorum novorum*

OMNIPOTENTI
DEO MITHRAE
APPIVS CLAVDIVS
TERRONIVS DEXTER
V. C. DICAT

(a) Videsis Homil. hanc tom. II. Oper. Chrysostomi Edit. Venetiis an. 1583. quam certe antiquissimam esse ipse fatetur Caveus De Script. Eccles. p. 186.

rum dedicationes sunt constituti. Et mox : *Si quis igitur spectaculis interest, ad quae religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales, et festa celebravit.*

Nec vero ratione praeditis tantum, sed cuicumque rei, eventibusque, quorum in annos recurrebat memoria, tributam Natalis vocem passim videmus. Hinc NATALIS IMPERII (a), apud Herodotum lib. IX. *Xerxes diem, quo Rex dictus fuit, tamquam imperii Natalem singulis annis insignem celebravit, quo coenam etiam proceribus suis dabat.* Et de Herode Rege Iosephus Heb. lib. IX. Cap. ult. *Quum occurrisset templi dedicatio, Regisque Natalis dies, quo principatum assumpserat, insignis est celebrata festivitas.* Et Spartianus in Hadrian. Cap. IV. *III. Id. Aug. Natalem Imperii instituit celebrandum.* Sed praeter Imperii Natalem (b), et NATALIS ADOPTIONIS meminit Spartianus idem : *Quincto Id. Augusti*

(a) Natalem Imperii Augusti habes in Narbonensi ap. Grut. p. CCXXIX. : *VII. Idus Ianuar. qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est, thure, vino supplicent, et hostias simul immolent, et colonis incolisque thus, vinum ea die praestent.* De eo Tacitus Lib. II. Hist. *Is primus principatus dies in posterum celebratus.* Et in Vespasiano Suetonius Cap. VI. *Tiberius Alexander Praefectus Aegypti primus in verba Vespasiani legiones adegit, Kal Iul. qui principatus dies in posterum observatus est.* Et Capitolinus in Pertinace: *Circenses, et imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt.*

(b) Sequiori aetate dies quo Imp. lucem adspexit, *Natalis genuinus* dictus ad discrimen *Natalis imperii*. Atque ita passim in LL. Codicis Theodosiani. Nec nisi *Natalium* voce hi duo Natales veniunt, ut ex L. II. lib. XV. Tit. V. de Spectat. *Nullus omnino iudicum, aut theatralibus ludis, aut circensium certaminibus, aut ferarum cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel imperii sumus sceptra sortiti.* Qui dies feriati ambo erant ut ex L. II. de feriis : *Parem necesse est haberi reverentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus imperii protulerunt.* Unde et NATALIVM FESTIVITAS adpellantur L. 30. de Praetorib. *Nam et scenicae voluptates populo praebitae, et Circenses editi.* Unde CIRCVS NATALITIVM Paullo Diacono dictus lib. XX.

gusti Legatus Syriae litteras adoptionis accepit, quando et NATALEM adoptionis celebrari iussit. Quo facit Hadriani nummus: IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. P. F. AVG. GERM. DAC. PARTHIC. DIVI. TRAIANI. AVG. F. P. M. TR. P. COS. P. P. ADOPTIO (a). NATALIS ORBIS dies Aegyptiis dicebatur, quo creatus est mundus, quem et solemni memoria Kalendis Augusti, ac die Sabbati quidem quotannis celebrant. De eo praeter Solinum haec ex Philone Iudaeo habemus Lib. III. de vita Mosis: *Intellexit hunc esse MVNDI NATALEM, coelo terraeque festum, et omnibus terrestribus exhilarantem cuncta concinnissimo septenario. Hanc ob rem ille maximus Moses aequum censuit, ut omnes adscripti eius civitatibus celebrarent hunc diem otio, festisque hilaritatibus, intermissis laboribus, et opificiis quaestuariis, negotiisque victum parantibus; ablegata etiam tantisper ceu per inducias sollicitudine anxia.*

Praeterea NATALIS VRBIS dictus anniversaria diei celebratio, qua primum condita urbs est, vel cum primo illi impositum est nomen. Ac de Natali Vrbis Romae Hadriani numus exstat apud Waillantium Tom. I. in quo mulier humi iacens cum rota, ac pone ipsam obelisci tres cum inscriptione: ANN. D. C. C. C. LXXIIII. NAT. VRBIS. P. CIR. CON. S. C. Idest *Natali Vrbis populo circenses constituit Senatus Consulto.* De eo Tullius Divinat. lib. II. Cap. XLVII. *L. Tarutius Firmanus*

Yy

(a) Vide Eumenium in Paneg. IX. et Lactantium de mort. persecutor. Cap. XLVI. tum et Laterculum Sylvii apud Cangium, ubi *Natalis Valentiniani Purpurae.*

manus familiaris noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, Vrbis etiam nostrae Natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus. Vnde Palilia quotannis in Natali Romae celebrata (a), quibus alludit Ovidius Fast. lib. IV.

Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos,
Quod fit Natali nunc quoque, Roma, tuo.

Sed haud praetereundus locus alter Tullii pro Flacco: *O nonae illae Decembres, quae me Consule fuistis; quem ego diem vere Natalem huius Vrbis, aut certe salutarem adpellare possum.* Porro huc facit Lex 2. Cod. Theod. *de feriis*, qua Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Imp. iubent feriatos esse *Natalitios dies urbium maximarum, Romae, et Constantinopolis, quibus debent iura deferre, quia et ab ipsis quoque nata sunt.* Sed de Natali Constantinopolis haec a Codino accipimus in Orig. C.polit. Τῃ επαυριον το Γενεθλιον της πολεως γεγονε, και μεγα ἱπποδρομιον, ὁτε ἡ πολις ωνομασθη Κωνσταντινοπολις. *Postero die celebratus fuit Natalis Vrbis, et ludus circensis sàtis amplus, quando Vrbs vocata fuit Constantinopolis* (b). Paria habet Eusebius de Constantino in Epist. Temp. Εποιησεν εορτην μεγαλην, κελευσας τῃ αυτῃ ἡμε-
ρᾳ

(a) Atque Palilia ista, id est Natalis Romae XI. Kal. Maias signatus tum in veterum Kalendariis, tum apud Plinium Lib. XVIII. Cap. XXVI. Solinum Cap. 2. Eutropium lib. I. De eo Plutarchus in Romulo: ἐκτισε ὡς ἡμερᾳ γενοιτο τῃ προς ενδεκα Καλανδων Μαιων ὁμολογειται, και την ἡμεραν ταυτην εορταζουσι Ῥωμαιοι γενεθλιον πατριδος ὀνομαζοντες. *Urbem igitur ad XII. Kal. Maii coeptam aedificari, opinione omnium satis constat: eumque diem festum Romani agunt,* NATALEM PATRIAE *nuncupantes.* Qui dies etiam sub Christianis Caesaribus celebratus, ut ex Sozomeno, et Symmacho lib. VI. Ep. 40. Immo et circenses exhibiti, ut ex Cassiodori Chronico sub Philippo Imp.

(b) Constantinopolis Natalis celebratus V. idus Maias, ut ex Marcellino Comite, Cassiodoro, Cedreno, Zonara, et Chronico Alexandrino.

ρᾳ επιτελεισθαι το Γενεθλιον της πολεως αυτου, *Magnum celebravit festum*, *iussitque eo ipso die urbis suae Natalem celebrari* (a).

Eodem modo NATALIS COLONIAE obtinuit, quo nimirum die deducta aliquo est colonia. Lapidem Beneventanum habes apud Devita *Antiq. Ben.* p. 86. n. 2. in quo L. Sontius Pancius, MVNERARIVS NATALIS COLONIAE dicitur. Tullius *Orat. pro Sextio Cap. LXIII. Quum ipsis nonis sextil. idem dies adventus mei fuisset, qui reditus, NATALIS idem carissimae filiae, quam ex gravissimo tunc primum desiderio, luctuque conspexi; idem (NATALIS) etiam ipsius coloniae Brundusinae erat.* Et iterum Lib. IV. ad Attic. Ep. 1. *Brundusium veni nonis sextilibus: Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto Natali suo ipso die, qui casu idem Natalis erat et Brundusinae coloniae, et tuae vicinae Salutis. Quae res animadversa a multitudine, summa Brundusinorum gratulatione confecta est.* Ubi uno loco et Natalem Tulliolae, et Natalem deae Salutis, et coloniae Natalem habes. Quid quod adeo recursus omnis rerum suarum Natalis Tullio habebatur, ut Natalem reditus sui eum adpellaverit diem, quo est ab exilio revocatus Lib. III. ad eumd. Ep. 20? *Ad quae recuperanda per fortunas incumbe, ut facis, diemque NATALEM REDITVS mei cura, ut in tuis aedibus amoenissimis agam tecum, et cum meis.* Nimirum uti exilium pro civili morte habetur, ita et finis exilii quaedam nova nativitas est.

* Na-

(a) Meminit Natalis civitatum S. Augustinus in Ps. XXXIX. *Noli ergo numerare turbas hominum incedentes, latas vias implentes, crastinum circum CIVITATIS NATALEM clamando celebrantes, civitatem ipsam male vivendo turbantes.*

Natalis item Collegii in veteri cippo apud Grut. p. CLXXI. 8. *Ti. Claudius Chresimus ob honorem quinquennalitatis Collegio Dendrophorum Romanorum quibus ex Senatus Consulto coire licet argenti pondo X. et HS. X. millia nummum reddidit* QVAE DIVISA SVNT POPVLO PER GRADVS K. AVG. COLLEGI NATALI. Et apud Fabrettum p. 724. ITEM PL. PR. NON. NOV. N. COLLEGI DIVIDERENT; idest placuit pridie nonas Novembres Natali Collegii. Et demum in Doniano lapide *Insc. ant. Cl. III. n.* 44.

L. SEPTIMI GETAE
SAECVLARIA
SAECVLI FELICITAS
P. PETRONIVS. FAVSTVS AVGVR
KAL. AVG. N. COLLEGI
NVMMIO ALBINO FVLVIO AEMILIANO COS.

Quem vel ideo produxi, ne quis a clarissimo Muratorio decipiatur, qui haec in lapidem adspersit p. CCCLII. 2. *Nomine Collegii dicata fuit haec inscriptio.* Omnino male; ibi enim τὸ *N. COLLEGI* non *nomine Collegii*, sed *NATALI COLLEGI* legendum.

Pari sensu NATALIS NAVIGATIONIS is anni dies salutabatur, quo post menses hibernos navigationem veteres auspicabantur. De eo Apuleius Met. p. 365. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, aeterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hibernis tempestatibus, et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili iam pelago, rudem dedicantes*

cantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes. Et Vegetius IV. 39. *Post Natalem, ut ita dicam, navigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratus.* At qui proprie is dies fuerit, pronum est ex eodem intelligere: *Ex die III. iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur.*

Demum NATALIS AQVILAE in marmore apud Murator. p. CCCXXXV. n. 1. O. M. PRO SALVTE M. AVRELII ANTONINI ET AVRELII VERI AVGVSTORVM OB NATALE AQVILAE VEXILLARIOR. LEG. VII. Et iterum n. 3. OB NATALE AQVILAE VEXILLARIOR. quod ad annum Christi pertinet CLXXXIV. Eo enim anno sub impp. M. Aurelio, et L. Vero processerunt Consules Marullus, et Aelianus in votiva tabula signati. Nec nisi ita supplendus lapis alter ap. eumdem p. VII. OB NATALE...... LEG. 7. nimirum *ob Natale Aquilae* (vel mavis *Signorum*) *legionis VII.* ut expresse ibid. p. CCCXXXVI. 3. OB NATALES. SIGNOR. VEXILLARIOR. COH. III. CELTIB. L. Aelio Aurelio Vero III. et Quadrato Coss. nempe an. Chr. CLXVII.

Porro inducto semel more, ut quaevis anniversaria celebritas NATALIS diceretur, pronum fuit ut vox eadem eodem sensu in Ecclesia invaluerit. Nam NATALIS CALICIS dies Coenae Domini passim adpellatus (a), ut ex Eligio Novicomensi Episcopo ediscimus Hom. X. *Vocatur haec dies Coena Domini, vocatur et Natalis Calicis.* *Et*

(a) Natalis Eucharistiae Landulpho dicitur.

Et merito talibus praefulget miraculis, quia hac eadem die Mysterium Paschae Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta Corporis, et Sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis initium fecit. Et Ratramus Corbiensis Lib. IV. contr. Graec. Cap. III. *Natalem Calicis similiter, ut diem dominicum habere debemus, in quo sacrificium Domini Corporis, et divini Sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit initium* (a).

Praeterea NATALIS ORDINATIONIS pro anniversaria diei celebritate, quo quis primum Pontificatu est inauguratus, passim Patribus dictus. Hinc *Natalis Felicis Comensis* apud Ambrosium in suis Epistolis, *quo ille susceperat gubernacula summi Sacerdotii.* Et in Martyrol. Rom. Natalis Ordinationis S. Ambrosii Episc. Mediolanensis (b). Item Natalis Aurelii Episcopi Carthaginiensis apud Augustinum Serm. XXXIII. de Sanct. (c). Porro de Natali Anastasii Pontificis ita Paulinus adhuc Presbyter Ep. XVI. ad Delphinum: *Ad Natalem suum, quod Consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est.* De Natali suo Leo Magnus Serm. III. *Illi ergo* (Beato Petro) *hunc servitutis nostrae natalitium diem, illi adscribamus hoc festum, cuius patrocinio sedis ipsius meruimus esse consortes.* De Natali suo Xystus Pontifex Epist. ad Ioannem Episcopum Antiochen: *Audivit universa fraternitas, quae*

(a) Vide Homiliae fragmenta *in Natalem Calicis*, quae ex Avito Viennensi habemus

(b) Quem diem Graeci etiam reverentur; ut ex Menologio.

(c) Vide et Augustini *Hom. XXIV.* et seq. *de suae Ordinationis Natali.*

quae ad Natalis mei convenerat diem (a). Et Hilarus Papa Epist. ad Ascanium, et ceteros Episcopos Tarraconensis Provinciae: *Lectis ergo in conventu fratrum, quos Natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris.* Et in Praefat. ad libel. precum Marcellini, et Faustini de Damaso Pontifice: *Quos etiam quum ad Natale suum solemniter invitasset.* Et Anastasius in Vit. Hadrian. I. *Constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum Pharum accenderent, id est in Nativitate Domini, in Paschate, in Natali Apostolorum, et in Natali Pontificis.*

Adhaec NATALIS CATHEDRAE in Laterculo Bucheriano signatur, quod medio quarto aevo conditum fuit. Ibi VIII. KAL. MART. NATALE PETRI DE CATHEDRA. De quo et Augustinus Serm. XV. de Sanct. *Institutio solemnitatis hodiernae a senioribus nostris Cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo Ecclesiae Natalem sedis eius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit. Quod Natalis ergo Cathedrae hodie colitur, sacerdotale honoratur officium.*

Succedit NATALIS TEMPLI: de eo Sacramentarium vetustissimum, quod edidit Iosephus Blanchinius tom. IV. Anastasii p. XXXIX. NATALE BASILICAE ANGELI IN SALARIA, id est festum Dedicationis Basilicae.

Sed quid plura? Sane festis omnibus id vides tributum nomen. Nam et dies translationis reliquiarum Natalis dictus

(a) Vid. Eiusd. Epist. ad Cyrillum Alexandrin. an. CCCCXXX. quo *venerabilem Synodum se die Natali suo congregasse* testatur.

ctus in Martyrologio Hieronymiano: *IV. Non. Aug. in Antiochia NATALIS RELIQVIARUM Stephani Protomartyris, et Diaconi.* Quid quod Pascha, et Pentecoste, et Festum Sanctorum omnium Natales dicti? Ita profecto in charta quadam Pontii Episcopi Atrebatensis apud Cangium: *Singulis annis viginti solidos cursalis monetae reddere tenebitur quatuor Natalibus, scilicet quinque in festo omnium Sanctorum, quinque in Natali Domini, quinque in Pascha, et reliquos quinque solidos in Pentecoste.* Demum et annuus supplicationum recursus, quae ab Alexandrinis quotannis XII. Kal. August. Deo Opt. Max. agebantur ob urbem ab ingenti motu terrae, ac inundatione maris servatam, Γενεσια του Σεισμου, *Natalis terraemotus* Sozomeno adpellatur *Hist. Eccl. Lib. VI. Cap.* 2. Sed manum de tabula.

Finis Schediasmatis de Die Natali Veterum.

CAP. XVII.

CAPVT XVII.

Sulmonem quo anno colonia deducta. Frontinus conciliatur. Eius calamitas in civili discordia. Sulmonenses inscriptiones illustrantur.

QVOD . SI . DIE . PRAESTITVTO . CONDICIONI . PARITVM . NON . FVERIT . TVNC . EIVS . DIEI . DIVISIO . AD . SVLMONENSIVM . CIVITATEM . PERTINERE . DEBEBIT.

Videant Sulmonenses iamdiu tempus advenisse, ut Mammianum legatum a Corfiniensibus una cum divisionibus iamdudum non perceptis repetant, quandoquidem legator cavit, *quod si die praestituto condicioni paritum non fuerit, tunc eius diei divisio ad Sulmonensium civitatem pertinere debebit.* Sed adversus quos agent?

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aevi
Paullatim lenta consumitis omnia morte.

Porro Sulmo vetus Pelignorum oppidum, Ptolemaeo *Σουλμων*, itemque Straboni Lib. V. antiquo adhuc salutatur nomine. Oppidani *Sulmonenses* passim apud Scriptores audiunt. Hinc Iuvenalis *Sat. VI. v.* 158. *De Sulmonensi mera Cecropis?* At *Sulmonii* etiam in veteri pulcherrima inscriptione novo quidem vocabulo praedicantur, quae in pavimento Templi S. Clementis, a Teatina Vrbe duodenis lapidibus dissiti extat:

SVLMONII . PRIMVS . ET . FORTVNATVS
PONDERARIVM . PAGI . INTERPROMI . VI
TERRAEMOTVS . DILAPSVM . A . SOLO
SVA . PECVNIA . RESTITVERVNT

Hem quanta inscriptio! cuius ope bina Latio nunc primum redduntur vocabula SVLMONII, et PONDERARIVM.

In Inscriptionem Pagi Ioterbromii
Nonoulla adsperguntur.

SVLMONII.) Vrbs ipsa medio aevo *Sulmonium adpellata* io Chronico Cassiuensi ap. Murator. Rer. Italic. Script. Tom. XI. PONDERARIVM) hoc est aodificium, ubi publica pondera adservarentur, et nbi veoditorum statera, pondera, ac mensurae auotoritate publica exigerentur. Vox diu lexicographis ignorata, cuius tamen latinam integritatem prodont oum lapis isto, tum Grnterianus p. MXXVI. 10. quem et Donius adtulit Clas. II. n. 67. C. CAESIVS. C. F. OVF. SILVESTER P. P. PONDERARIVM S. P. P. S. F. ET CHARISTIONEM AVREVM POS. Cuius (non enim Scaligerum, vel quemvis alinm hic moror) planissima est lectio: C. CAESIVS C. FILIVS OVFENTINA SILVESTER PRAEFECTVS PONDERIBVS PONDERARIVM SVA PECVNIA PONDERIBVS SIGNANDIS FECIT, ET CHARISTIONEM AVREVM POSVIT. Memini enim in Herculanensi marmore, quod in Museo Regis servatur, legisse PONDERA EXACTA A PRAEFECTIS. Porro quod hic Ponderarium est, alibi Poodarale dicitur in veteri inscriptione, quam ex Capacio Reinesius dedit *Clas. VII. n. 15. ubi Marcos Memmios Rufos patrem et filium Duumviros iterum* PONDERALE. ET. CHALCIDICVM. ET. SCHOLAM. SECVNDVM. MVNICIPI. SPLENDOREM. FECISSE. HErcolanei ediscimus.

PAGI. INTERPROMI. VI. TERRAEMOTVS.) Sic integri lapidis integra lectio. Exscriptorum enim ioscitia factum, ut quum INTERPROMINI legerint, decurtatum contineo edixerint titulum. Nihil itaque supplendum. Porro Interpromium, vel Interbrominm (VICVS expresse in Antoini Itinerario a Mediolano per Piconum, et Campaniam ad Columoam ox constanti lectione Codicis Blandiniani, Longoliani, et Neapolitani; PAGVS voro in epigrapha nostra) in Marrucinis erat inter Teate, et Corfinium, quemadmodum io eodem Itinerario signatur ab Vrbe Hadriam per Valeriam viam

TIBVRI	M.P. XX.
CARSEOLIS	M.P. XXII.
ALBA FVCENTIA	M.P. XXV.
CERFENNIA	M.P. XXIII.
CORFINIO	M.P. XVII.
INTERBROMIO	M.P. XI.
TEATE MARRVCINO	M.P. XVII.

Qui pagus tametsi looge ab Antonini Itinerario intervallorum numeris discrepet, coovenit tamen in situ inter Teate, et Corfioium. Nisi quod ubi potius in puncto constiterit, haud aliunde, quam ex uno itiaeris ductu arguere licet ad Aterni ripam stetisse, ac fortasse ad viciniam Pagi, qui *Sanctus Valentinus* hodie dicitor.

RIVM. Coloniam porro in hanc urbem deductam fuisse, apertissime testatur Frontinus pag. 126. *Sulmona*, ait, *ea lege est adsignata, qua et ager Aeserniae.* De Aesernia vero haec habet ibidem: *Aesernia oppidum muro ductum iussu Neronis est deductum.* Ex quo luculenter adparet, Neronis aetate Sulmonem evasisse Coloniam. Valde vero me turbat, quod idem *p.* 145. scribit: *Colonia Sulmontina, ea lege est adsignata, qua et Corfinius ager*, qui quidem ager lege Sempronia est adsignatus, ut supra ex Frontino ostendi; cui igitur fides praestanda? si modo ut Aeserninus, modo ut Corfinius ager, Sulmonem adsignatam ait? Inter has quidem rei ambages, libentissime mihi persuadeo, facilem fieri medelam, si credatur bis coloniam in hanc urbem deductam, et primam quidem Sempronia lege, sub Neronis alteram principatu; ni enim ambos Frontini locos hac intelliges ratione, qua eos concilies arte?

Ingentem praeterea calamitatem passam esse Sulmonem civilium dissensionum tempore inter Marium, et Syllam, narrat Florus *Lib. III. cap.* 21. hisce verbis: *positis singulorum nominum fere poenis municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Florentia. Nam Sulmonem vetus oppidum, socium, atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obsides iure belli, et modo morte damnati duci iubentur, sic damnatam civitatem iussit Sylla deleri.* Et in civili discordia inter Caesarem, et Pompeium hanc urbem Pompeii partes sequutam esse, ipsemet testatur Caesar; qui tamen quum eo M. Antonium cum legio-

nis XIII. cohortibus V. quo eam expugnaret, misisset, *Sulmonenses* non tantum *portas aperuerunt, sed universique et oppidani, et milites obviam gratulabundi Antonio exierunt.* Multoties praeterea hanc urbem funditus fuisse subversam diligentissime posteris mandavit Phoebonius *in histôr. Marsor.* qui plerasque etiam alias huius urbis calamitates fusius persequitur. At haec omnia, siquidem ab instituto nostro aliena, missa facio. Age veniamus ad litterata antiquae Vrbis marmora, haud multa licet, quae ad nostram supersunt aetatem (a). Atque Deorum in primis heic essent memoriae producendae, nisi temporum vicibus, ac edacitate suis ipsae fuissent tenebris restitutae. Vix unam Venerem Peregrinam Reinesius ex Holsteniano marmore apud Sulmonem protulit, quod subiiciam.

I.

VENERI . PEREGRINAE
Q . VOLVSEIVS . RABIRIAN
VS . ET . VOLVSEIA . MA
TRONA . OPVS . TECT . S . P
RESTITVERE

Reinesius Clas. I. n. 94.

VE-

(a) Potius mirari subest adhuc superesse in urbe aliquot prisci splendoris testes lapides post Syllae furorem, quo funditus est eversa, post innumeras vices per sequiorem aetatem, ac frequentissimas terrae concussiones demum, quibus haud vice simplici ferme solo aequata est, anno potissimum MDCCVI. quo vix urbem in urbe quaesiisses.

VENERI PEREGRINAE). Hospitam alibi dictam Venerem memini, Graecis Ξείνην, quod quum in Aegypto peregrinaretur, apud Proteum diversata fuerit. Vide Herodotum Lib. II. Porro templum illi positum in urbe probe ex eo quisquis intelliget, quod Voluseius Rabirianus, et Voluseia uxor opus tectorium sua pecunia restituerint. Lapidem Salernitanum supra habes, in quo T. Tittienus Felix ad exornandam aedem Pomonis, fecit fastigium inauratum, podium, pavimenta marmorea, OPVS TECTORIVM. Meminit et Veneris Sulmonensis, tum Cereris insuper vetus fragmentum ad Aedem S. Pamphili: CAEIDIA...... SACERDOS CERERIS ET VENERIS.

Atque vero Angitiam quoque Sulmone cultam, magisteriumque matronarum, quae sacra illius curarent, obtinuisse ibidem, nunc primum ex Sulmonensi lapide datur eruere, quem omnium primus edidit Muratorius multis tametsi deturpatum mendis.

II.

FVFICIA
C . FVFICII
AMANDI
F . IVSTA
MAG
ANGITIAE
D . D

Muratorius Thes. Inscr. p. CXIII. sed vers. 6. pro ANGITIAE legit ANCITIIS.

MA-

MAGISTRA ANGITIAE. De feminarum magisterio dixi alibi. Addo inscriptionem Corensem ex Fabretto Cap. IV. n. 527. PAVL . TOVTIA . M . F . ET . CONSVPLICATRICES . CERVARIA . SP . F . FORTVNATA . MAGISTRA . MATRI . MATVTAE . D . D. tum et lapidem Aquileiensem, quo Muratoriana lectio (a) corrigatur: ANINIA . M . F . MAGNA . ET . SEIA . IONIS . ET . CORNELIA . EPHYRE . MAGISTRAE . B . D . PORTICVM . RESTITVERVNT . ET . AEDICVLAM . FONIONIS.

Scilicet porro non in Marsis tantum, et Marrucinis, sed et apud reliquos quoque Angitiae cultum invaluisse, hinc primum palam fit. Celebris illius erat lucus ad Fucinum lacum, cuius meminit Virgilius Aeneid. VIII. v. 759.

Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda
Te liquidi flevere lacus.

Nemus metri caussa Maro dixit, sed lucum adpellavit vetustas, cuius incolae *Lucenses* Plinio dicti, nomenque adhuc integrum pago inest, qui *Luco* communi vocabulo adpellatur. Ibi, dum haec praelo subiiciebantur, detectus lapis, quem illico mecum communicavit Kalendis Iuliis huius anni MDCCCVIII. amicissimus Antonius Musca, qui talis est:

SEX.

(a) Murat. p. CXXXIII. 5. pro SEIA *Sciaionis*. IONIS legit contra marmoris fidem

SEX . PACCIVS
ET . SEX . PACCIVS . P
QVINQ . MVRVM . VET
CONSVMTVM . A . SOLO . RESTI
EX . PR . ANGISTIAE

Cur vero ad Fucini viciniam Angitiae positus lucus, adprime Silius Italicus prodit Lib. VIII. v. 499.

Aeetae prolem Angitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt, tactuque domare venena,
Et lunam excussissę polo, stridoribus omnes
Frenantem, ac silvis montem nudasse vocatis.

Nimirum Medeam Angitiae nomine venire Silius auctor est, quam relictis Colchis ad Fucini viciniam constitisse fabulantur (a). Atque in primis consentit Servius in Virgilium : *Hi ergo populi Marsi Medeam Angitiam nominaverunt ab eo, quod eius carminibus serpentes angerent.* Sed more suo ludit hic Servius, ab angendo dictam Angitiam venditans. Atqui cur non potius ab anguibus (sive abs Graeco Εχις inserto *n*), quos edomare noverat Εχητις Angitia? Profecto hinc et Ancitii Dii conficti, quorum vetus lapis meminit in agro Carapellis ad viam Capistrani (b).

III.

(a) Solinus vero Lib. VIII. unam ex tribus Aeetae filiabus Angitiam dicit; ac non Medeam ipsam, sed Circes, et Medeae sororem, quae cum vicina Fucino occupasset, salubrique scientia adversus morbos inclaruisset, Dea habita.

(b) Muratorius p. CXIV. 2. pessime affectam protulit: in latere pro EX VOTO legit SEX AVO; in facie adversa v. 2. legit VSVTRANORVM.

III.

EX . VO	DIIS . ANCITIBVS SV . TRINORVM Q . PONTIVS . SEVERVS PRO . SALVTE . SVA . ET Q . PONTI . NEPOTIS V . M . L . S

Quid si ut Dii, sic et Marsi ipsi Angitii, et Anguitii dicti, i. e. serpentarii? Memini quid tale apud Coelium Rhodiginum in Lect. antiq. legisse, sed nunc menti excidit locus. Quam ob rem non est, cur longius et fabulae, et cultus originem quaeramus, quam in ipsa Marsorum regione anguium feracissima. Quid pronius enim, quam quod populi fascino, ac incantationibus nullibi non scitissimi (a) Anguitiae sibi confinxerint numen?

Atqui

(a) Istam incantandi artem Sacerdotibus Marsis in primis adsignat Virgilius VII. Aened. v. 750.

Quin et Marrubia venit de gente Sacerdos
Fronde super galeam, et felici comptus oliva
Archippi regis missu, fortissimus Vmbro:
Vipereo generi, et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos, cantuque, manuque solebat
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.

Sed ante Maronem Ennius cantabat:

Non habeo denique nauci Marsium augurem.

Lampridius quoque huiusmodi Sacerdotum expresse meminit in Heliogabalo:

Serpentes per Marsicae gentis Sacerdotes collegisse fertur, eosque subito ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse, multosque afflictos morsu, et fuga.

Sed Marsorum gentem universam hac arte inclaruisse ex veterum auctoritate constat. Horatius Epod. V. in Canidiam.

......nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.

Ovidius Lib. VI. Metamorph. 2.

Nec mediae Marsis findantur cantibus angues.

Luci-

Atqui oportebat porro, ut ex paganicae superstitionis more, exquisitiori adparatu convestiretur fabula. Hinc noviter cusae Angitiae antiquior veneficae Medeae fabula adplicita, quam Apollonius Lib. IV. v. 147. Argonauticων Ηδειη ενοπη θελξαι τερας suavi voce mulsisse monstrum refert. Sed quis sanus talia non irrideat? vel cui et ipsum Medeae nomen omnino in rem eam fictum non olet? Est enim a Μεδω *rego, consilium do* belle traductum, quod ipsa Iasonem edocuerit, qua arte draconem pervigilem sopiret, ac vellus aureum raperet. Vide an in Hercule mortuo (Iasonis comite) potius Mosis mortem non agnoscas,

Lucilius apud Nonium III. 69.
........*Marsum coluber*
Distendit cantu, venas cum extenderit omnes.

Silius Lib. VIII.
Haec bellare acies norant, ac Marsica pubes,
Et bellare manu, et chelydris cantare soporem.
Vipereumque herbis hebetare, et carmine dentem.

Quid vero reliquos moror? Atque Patrum etiam hanc in rem conradere testimonia haud fortasse importunum. Arnobius Lib. II. *Adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus remedia saepe conquirimus, et protegimus nos laminis Marsis, et Psyllis vendentibus*; alii legunt *labiis Marsis, Psyllisve dentibus.* Hieronymus in Ps. LVII. *Ille homo qui incantat, Marsus dicitur, et trahit eos de tenebris ad lumen.* Augustinus Lib. XI. de Genes. ad lit. Cap. 28. *Putantur audire, et intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus, prosiliant plerumque de latebris.* Et Lib. Quaest. QQ. 44. *Ut de antris ad verba Marsorum exeant, permittente Deo, coguntur a diabolo.* Hilarius in Psal. LXIII. *Neque hic Marsorum cantus, aut consopita viperarum sibila memorat.* Isidorus Orig. Lib. IX. Cap. 4. *Marsos* scribit *illaesos esse carminum maleficiis.*

Sed autem, si vera resis, quae de Marsis produntur, naturae potius illius gentis, quam virtuti magicae tribuisse Plinius videtur Lib. VII cap. 2. de Psyllis. *Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cuius odore sopirent eas.......Simile in Italica Marsorum gente durat, quos a Circes filio ortos ferunt, et ideo inesse iis vim naturalem eam.* Tum et A. Gellius Lib. XVI. Cap. XI. *Gens in Italia Marsorum orta fertur esse a Circes filio Marso: propterea Marsis hominibus, quorum dumtaxat familiae cum externis cognationibus nondum etiam permixtae corruptaeque sunt, vi quadam genitali datum, ut serpentium virulentarum domitores sint, et incantationibus, herbarumque succis faciant medelarum miracula.* Sed plura habentur apud Clariss. Bochartum in Hierozoic. Lib. III. Cap. VI. de aspide surda.

atque in Iasonis compellatione, quo duce, Argiva pubes aureo vellere potita est, Iosuam offendas, cui datum est populum Dei in Palaestinam inducere, atque regione illa potiri.

Sed tenebricoso Angitiae luco educti ad reliqua veteris urbis marmora redeamus, quae praecipue municipalem ostentant magistratum. In primis vero Ovidio Nasoni, qui celebritatis plurimum in patriam contulit, quique ipse de se cecinit Pont. Lib. IV. Eleg. XIV.

Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo.

et Trist. Lib. IV. Eleg. IX.

Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis (a), id dabo, libens ut Ovidiae gentis lapidem primo huc transferam (b).

IV.

(a) Nimirum inter duorum amnium confluentes posita est Vrbs, qui uno hinc alveo in Aternum defluunt. Fontes ipsi uberrimi quidem, ac gelidissimi; alter paullo longius in Apennini iugis, altar propius in Maiella monte ipsam perlabuntur planiciem. Hinc *Sulmonem aquosum* adpellat idem Ovidius Amor. Eleg. ult. et *Sulmonem gelidum* Fast. Eleg. 16. v. 81.

(b) Apud Donium *Inscr. antiq. Clas. V. n.* 228. At Muratorius p. MCXV. 7. Puteolis ponit, ac praeter pravitates alias pro SER. (idest *Sergia* tribu) VENTRIONI legit SEPTENTRIONI. ohe! Gudius p. CXXXIV. diverso linearum ductu, sed ad fidem nostri exemplaris ex schedis Franc. Redii exhibuit in Castro Interaqua in agro Sulmonensi.

IV.

L . OVIDIO . L . F . SER
VENTRIONI . TR . MIL . PRAEF
FABRVM . IIII . VIR . I . D . IIII
VIR . QVINQ . PRIMA . L . DE
SVO . FECIT . HVNC . PRIMVM
OMNIS . ORDO . MVNICIPVM
IN . LOCVM . PVBLICVM . INTVLIT
ET . SEPELIENDVM . CVRAVIT

L . OVIDIO . L . F . SER) idest *Sergia Tribu*, in quam Peligni adscripti. Dignus qui hanc in rem interponatur Tullii locus Orat. in Vatinium. *Ob hasce res scias, te severissimorum hominum Sabinorum, fortissimorum Marsorum, et* PELIGNORVM *tribulium tuorum iudicio notatum, nec post Romam conditam praeter te tribulem quemquam TRIBVM SERGIAM perdidisse.*

HVNC PRIMVM OMNIS ORDO) Clausularum omnium honorificentissima, et insignibus quidem inscripta tumulis, quae de sepultura publica admoneret. Scilicet Romano plane more, iisdem honoribus, quibus in urbe imperante, claros cives municipia prosequebantur. Lapis ap. Fabret. p. 167. n. 314. *Q. Septimio Q. F. Sca. Primo Praef. Fab. Aed. II. Vir. Pont. Huic publice D. D. funus locusque sepulturae datus.* Et in Opuscul. Matth. Aegyptii p. 31. *Decreto Decurion. locus sepulturae publice datus L. Ausidio L. F. Hor. MONTan. Comiti C. CalvIsI SabInI.* Porro in Sulmonensi OMNIS ORDO MVNICIPVM idem est, ac ORDO POPVLVSQVE SVLMONEN-

* SIS,

SIS; nam sive funeris publici (a), sive sepulturae publicae honor, quemadmodum Romae ex Senatusconsulto, sic in municipiis ex decreto Ordinis, populique consensu, sive iussu decernebatur. Lapis apud Montfauconium Tom. V. p. 126. C. POBLICIO L. F. BIBVLO AED. PL. HONORIS VIRTVTISQVE CAVSA SENATVS CONSVLTO POPVLIQVE IVSSV LOCVS MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQVE EIVS INFERRENTVR PVBLICE DATVS EST.

Sed qui pote, ut nullus ante L. Ovidium Ventrionem eo apud Sulmonenses honore fuerit dignatus? Video formulam talem ΜΟΝΟΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΟ *solus et primus* in marmore, apud Reinesium Clas. V. n. 20. quam quovis sensu potius accipies, quam verbo tenus. Iterum et in Neapolitano marmore, quod adhuc in S. Maria Liberorum prostat, de M. Bassaeo Axio dicitur: *HIC PRIMVS, ET SOLVS victores Campaniae pretio, et aestim. paria gladiat. edidit,* quum certe multo ante Bassaei aetatem (sub Caesaribus vixit) exhibiti fuerint. Sed ne longius peregre abeam, locupletissimum in hac ipsa Pelignorum regione habeo exemplum in inscriptione Superaquana. *Q. Vario Gemino* cet. *IS PRIMVS OMNIVM PELIGNOR. SENATOR FACTVS EST ET EOS HONORES GESSIT* cet. Qui enim intelliges, ut hic primus

(a) Funus publicum a Decurionibus Teatinis decretum in inscriptione habes Teate ap. Fabr. p. 463. n. 92. M. BAEBIO . M . F . Q . N . AM . SVETRIO . MARCELLO . cet. HVIC DECVRIONES . FVNVS . PVBLICVM . STATVAM . EQVESTREM . CLIPEVM . ARGENTEVM . LOCVM . SEPVLTVRAE . DECREVERVNT . ET . VRBANI . STATVAM . PEDESTREM.

mus omnium Senator factus sit Pelignorum, ut primus omnium eos honores gesserit? nemo igitur ante Q. Varium *Legatus D. Augusti, II, Proconsul, Praetor, Tribunus Plebis, Quaestor, Quaesitor, Iudex, Praefectus frumento dando, Quindecemvir Stlitibus judicandis, Curator aedium sacrarum, monumentorumque publicorum tuendorum?* Cedam mavis. Sed video equidem in huiusmodi formulis SOLVS ET PRIMVS, PRIMVS OMNIVM, adclamationem potius quamdam, quam verborum veritatem. Quam in sententiam me prorsus video coniectum ex lapide altero Superaquano Vibii Severi, ubi: HIC . PRIMVS . HVIC . LOCO . VENATIONEM . EDIDIT (a). Atque meminisse hic iuvat patrii sermonis, Neapolitani scilicet, in sensum istum effusissimi: sed redeo ad Sulmonensis magistratus monumenta, cuiusmodi est hoc recens detectum in fundo, oppidanis *Ponte della Torre.*

V.

P . AELIO . AGAPETO
IIII . VIRO . AEDILI . IIII. VIRO . I . D
QVI . VIXIT . ANN . XXXII . INNOCENTSS
RVFINA . QVINTA . MARITO
B . M . P

De

(a) Huc facit et lapis Casiae Sapinae ap. Marinium Marm. Alban. Clas. IV. n. 47. *HAEC SOLA omnium feminarum matribus C. Vir. et sororibus et filiab.* cet. Et in fragmento Sulpiciae cuiusdam, quod edidit Episcopus Cyrenensis del Vestarario p. 45. QVOD . SOLA . NOVO . EXEMPLO cet.

De Quatuorviratu Aedilicio, ac Quatuorviratu Iuri Dicundo dixi alibi abunde. Vides interim Quatuorviros summum Sulmonensium magistratum fuisse, quo pertinent et quae sequuntur.

VI.

Q . SEVERIO . Q . F
PAL . SEVERO . AED
IIII . VIR . I . D . PRAEF . PRAE
SIDIORUM . ET . MONTIS . BERONICES
(sic)
SCRIBE . QVESTORIO
DECIMA . PROPOSIS . MARITO.
OPTIMO

Exscripsit Canonicus Guerrerius Sulmonensis; sed pro Q. SEVERIO legerat D. SEVERIO contra lapidis fidem.

PRAEF . PRAESIDIOR . ET MONTIS . BERONICES . Eodem modo pro Berenicide *Beronicen* habet Antonini Itinerarium: CAENON . HYDREVMA . M . P . XXVII . BERONICEN . M . P . XVIII. Sed rectius Berenicidem lapis Romanus ap. Grut. p. CXXX. 1. ubi M. Artorius Priscus PRAEF . MONTIS . BERENICIDIS ; Et Atripaldae in agro Abellinati (a); L . PINARIO . C . F. GAL. NATTAE . AED . II . VIR . Q . TR . MIL . III . LEG . III . PRAEFECTO . BERENICIDIS M . BIVELLIVS . C . F . GAL . Vrbem *Hesperidem* primitus dictam Stephanus prodit Εσπερις πολις Λιβυης, η νυν βερε-

(a) Vide nostrum Iter Venusinum pag. 65. n. XVII.

βερενικη; quam de nomine suo Berenice Ptolemaei III uxor Berenicen dixit. De ea Solinus Cap. XXVII. *Circa extimum syrtium cornu Berenicen civitatem alluit Lethon amnis. Hanc Berenice munivit, quae Ptolemaeo tertio fuit nupta, et in maiori syrti locavit.*

SCRIBAE . QVAESTORIO. Suos cuique magistratui fuisse scribas, nemo ignorat. *Scribam Aedilitium* Tullius adpellat Orat. pro Cluent. qui aedilium decreta publicis tabulis consignabat. *Scriba ad Aerarium* eidem memoratur Orat. in Pison. n. 49. Sed nullibi abundantius, quam in antiquis inscriptionibus produntur. SCRIBAM QVAESTORIVM habes ap. Maffeium Mus. Ver. pag. CCLXXXVI. 10. et Reines. Clas. XI. n. 14. 18. Et Fabrettum Cap. X. 404. Sed male apud Grut. p. DCXXVII. 3. SER . LIBR . QVAESTORII. pro SCR. quo modo ibid. p. CLXXIV. 5. *L . Aemilius. SCRIBA . QVAESTORIVS . SCRIBA . AEDILITIVS . Civis . adlectus. OB . HO . AEDILITATIS,* in quo vides Aemilium tum scribam quaestorium, tum scribam Aedilitium, et Aedilem; cuius modi exemplum in Neapolitano marmore occurrit ap. Reines. Cl. VI . n. 85. *C. Septimius. C . F . Libo. AED . SCR . AED.* Et Alliphis in Campania. L . OPPIUS . C . F . TER . PRISCUS . SCRIBA . AEDIL.

VII.

VII.

L . AVILLIO . L . F . SER . GRASSO
ANNORVM . XIII
L . AVILLIVS . SEX . F . SER . GRASSVS
IIII . VIR . I . D . PATER . FILIO . ET
VETTIAE . L . F . SECVNDAE . VXORI

Misit Guerrerius ex schedis Matteianis.

Extat et alterum eiusdem gentis Vettiae elegans marmor Sulmone in aedibus Dominici Corbi ad ianuam parvam Ecclesiae Sancti Petri Apostoli.

VIII.

SCOPENI
ANN . XI
VETTIA . NATALIS
VETTIA . PRIMA
P
FATO . CRVDELI . SI . QVA . EST
EREPTA . PVELLA . CERTE
EGO . QVAE . DOMINAE
CARA . PVELLA . FVI
QVAE . ME . OMNES . ARTES
DOCVIT . DOCTISSIMA . CVM
ESSEM . RAPTA . SCOPE . NVNC
LEGOR . HOC . TITVLO

Vettiam hic gentem habes; celebrem quidem apud Pelignos. Eccui enim non notus socialis belli dux Vettius Cato, qui Insteius Cato Paterculo dicitur *Lib. II.* Appiano autem Εμφυλ. *p.* 375. Ουετιος Κατων Vetius Cato; tum et P. Vettius Cato Tullio *Philip. XII.* 11. T. Vettius Eutropio, ac C. Vettius demum Senecae *Lib. III. de benef. cap. XXIII?*

IX.

IX.

D . M . S
P . OCTAVIO . P . L . PARDO . SEVIR .
AVG . ET . P . OCTAVIO . ATTICIANO
FILIO . PIENTISSIMO . OCTAVIA
ATTICILLA . ET . SIBI . P . OCTAVIO
P . F . EVTVCIANO . SCRI . SVL . P

Ex Donio Clas. V. n. 162. Sulmone ad portam vulgo *de' buoni uomini.*

Sevirûm Augustalium Collegium Sulmone habes. De Seviris libertinae conditionis dicam infra.

SCRI . SVL . *Scribae Sulmonensium.* Municipiis, ac Coloniis publici erant scribae, qui publicas rationes in tabellas, leges vero, et acta in commentarios redigebant. Hinc Festus: *Scribae nunc dicuntur librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis.* Porro hi scriptum facere, pro scribae munus exercere dicebantur, ut Livius testatur IX. 46. *Invenio*, ait, *in quibusdam annalibus, quum adpareret Aedilibus, fierique se pro tribu Aedilem videret C. Flavius: neque accipi nomen, quod SCRIPTVM FACERET; tabulam posuisse, et iurasse, se SCRIPTVM NON FACTVRVM, quem aliquanto antea desiisse SCRIPTVM FACERE arguit Macer Licinius.* Scribarum praeterea ordo apud Romanos vilis erat, ut ex Cornelio Nepote didici in *vit. Eum.* 1. 5. *Habuit eum ad manum scribae loco, quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos: nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existi-*

mantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide, et industria cognita; quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Verum mox honestiore loco hunc ordinem habitum Tullius testatur *Ver. III.* 79. *Ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae, periculaque magistratuum committuntur.* Quos tandem in decurias descriptos Suetonius monet *Claud.* c. 1. *n.* 6. *Corpus eius municipiorum, coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad urbem devectum est.* Vides igitur ex his ecquod P. Octavii Eutuciani munus fuerit in civitate Sulmonensi. Sed haec satis.

X.

SEX . CERVIO
CERVIA . ES . PSY
CHES . L . IVCVND
DO . PHOTA
CERVIA . ES . PSY
CHES . VILICVS
NVTRICIO
SVO
P

Apud Donium Clas. VII. n. 19. Sed nullo habito linearum ordine. Nec in saxo sunt notae D. M. S. Exemplar emendatissimum humanitati Francisci Gasparri Parochi Sulmonensis debeo.

CER-

CERVIO). Servilem conditionem haec nomina redolent. Cervorum nomen servis inditum ad pernicitatem exprimendam. Cursores suos Aelius Verus Imp. ventorum nomine vocitavit: Boream alium, alium Notum, tum et Aquilonem, aut Circium. V. Spartian. in Ael. cap. V.

VILICVS). Rectius in lapidibus duplici LL legitur. Integra legitur vox in marmore, non ut Donius habet VILIC. Hi servilis erant conditionis, et operi rustico universo praeerant. Hinc Varro lib. I. de Re Rust. Cap. II. *Villicus*, inquit, *agri colendi caussa constitutus, atque adpellatus a villa.* Unde et *agriculturae principem* mox vocat. Consentit Columella Lib. XI. et Nonius, apud quem *villicari* idem est, ac villae praeesse. Poetis tamen villici sunt quilibet praefecti, ut Iuvenali Sat. IV.

Pegasus attonitae positus modo villicus urbi.

Tibullus quoque praefectum aerario villicum dicit IV. 14. 1.

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli.

Sed porro generatim video vocem usurpatam ad dispensationem, procurationemque significandam. Mitto Tullii lusum *Orat. pro Plancio: Sic populus Romanus diligit magistratus, quasi Reipublicae villicos;* id est procuratores. Nam ap. Grut. p. DCII. 3. VILICVS . HORTORVM . et p. MLXVII. 8. VILICVS . PRAEDIORVM, et p. MXXXIII. 9. VILICVS . AB . ALIMENTIS occurrit, et in lapide Campano ap. eum p. DCXL. VILICVS . A . PLVMBO id est qui rationes omnes plumbi, quod pro castellis, fistulis, canalibus ab aerario praefectis erogari solebat, administrabat. Et ap. Fabrettum p. 3. n. 13.

* VI-

VILICVS . AMPHITHEATRI . Frontino praeterea *De aquaeduct.* villicus est qui in aquarum castellis calices, ac fistulas deducendis aquis aptabat.

NVTRICIO) Sane miror, cur Popma de *op. Serv. p.* 29. adseruerit, nutricios eos servos dictos, *qui Caesaris, et equitum pueros a iuventute educabant, et instruebant.* Quod ut magis confirmaret, multa scriptorum testimonia congerit. Sed contrarium omnino suadet inscriptio nostra, ubi *Cervia es Psyches Vilicus nutricio suo* monumentum ponit. An non villicus servilis est conditionis? cur igitur nutricium habet? Fatendum igitur est, vel hac vindice inscriptione, nutricios cuiuscumque generis pueros educasse.

XI.

D . M . S
LVCERINO
VIX . ANN . XV . MENS . IIII
D. III. RHETVS. ET. LVCERIN
FILIO . PIENTISSIMO
ET . SEP . TIMIO . F . VIX .
AÑIS . IX
P

Apud Donium Inscr. antiqu. Clas. VII. n. 19.

XII.

D . M . S
L . PACCIO . . . . .
CENIA
VIX . ANN . XXV
SEX. BRITTIVS
SENIS. ET
BRITTIA. QVARTA
FIL. PIENTISSIMO
P

Misit Guerrerius e schedis Matteianis collatis.

XIII.

PRIMILLAE . FIL . PIEN
LEO. PATER. ET. FELICIA
MATER . B . M. ET. SIBI.

Murat. p. MCCV.

XIV.

XIV.

C. MAI. C. F. SER
GAVIANI

Sulmone ad murum domus Tabossiorum.

XV.

annosa quercus, quam iuxta ursus tribus canibus impetitus, quem venator hastatus ferit.

T . ANNAVO . T . L
PRIMO
ORENTILIA . BAEBIAE
P

XVI.

Bini hirci currum trahentes in medio duorum pastorum

HOMINES . EGO . MONEO . NI . QVEI . DIFFIDAT
SIBI

Sulmone ex Codice Farnesiano MS. Regiae Bibliothecae Neapolitanae. Muratorius tamen p. CDXCII. 10. nonnisi solam inscriptionem producit, ac Reate prostare ait, legitque e schedis Ambrosianis NE QVEIS.

Non desunt huiusmodi cupediae in priscis marmoribus, cuiusmodi est Romanum in Monast. S. Crucis apud Ficoronium cum inscriptione: ANIMAL . INGRATIVS . HOMINE . NVLLVM . EST. et apud amicissimum Marinium Marm. Alban. Cl. IV. n. CXXII. FORTVNA . SPONDET . MVLTA . MVLTIS . PRAESTAT . NEMINI et Florentiae apud Gorium in Heliotropio Musei Medicei hinc convivium, illinc inscriptio: VNI . AM-

AMBROSIA . VENENVM . CETERIS. Atque haec sunt Ethnicae urbis antiqua monumenta. Qua autem aetate in Christi fidem venerit, omnino inter spississimas quaquaversus tenebras incertum. Non enim hic fabulis locus, quas imperitissimi homines, utinam non impune venditant. Attamen si quid divinando coniicere in re obscura mihi liberum foret, haud equidem dubitarem, vel ipso primo aevo tum Corfinium urbem splendidissimam, tum Sulmonem importatam Evangelicam Christi Salvatoris legem adserere. Sed non id nunc ago; ac tantum paucula haec praefata volebam, quibus viam mihi quamdam sternerem ad Christianam Sulmonensem inscriptionem, quae unice ex communi superest fato.

A · ☧ · Ω ·
Q . PETICIO . HABEN
TIO . NEOFITO . Q . PE
TICIVS . NAVICIVS
PATER . FILIO . DVLCISSIMO
VIXIT . ANNOS . XXIII, DEP . III . ID . SEPT

Produxit lapidem Gudius p. CCCLXX. 1. et certe ad marmoris fidem; nisi quod id de suo posuit, ut sex lineas in solas tres contraxerit. Donius etiam dedit Clss. XX. n. 82. Prostat nunc lapis Sulmone in domo Sticchinorum.

Q . PETICIO . HABENTIO . NEOFITO). Sive styli elegantiam spectes, sive nitidos characteres, omnino pretiosissimum cimelium: antiquitate vero tanta, ut vix paucos eo maiores natu invenias Christianos lapides; nam vel altero inclinante, vel ad plurimum ineunte tertio Christianae Reli-

Religionis aevo suasissimum habeo natum esse. Quid autem sibi velit *Neofitum* esse, ab ipsis fontibus hauriendum. Νεοφυτον in Ep. 1. ad Timoth. vertit Chrysostomus *νεοκατηχητον*, *nuper in fide institutum.* Et in Cap. III. Isaiae *τον νεωστι φυτευθεντα, τουτεςι κατηχηθεντα nuper plantatum, idest in religione institutum.* Theodoretus *τον ευθυς πεπιςευκοτα qui nuper credidit.* Balsamon *νεοφωτιςον*, *recens baptizatum.* Zonaras *τον αρτι εξ αγριελαιου της απιςιας προς καλλιελαιον μετεγκεντρισθεντα, την πιςιν την ορθοδοξον, qui nuper ex oleastro incredulitatis in veram oleam, fidem scilicet orthodoxam insitus est.* Nimirum est is, qui latinis *Novitius.* Neophytos huiusmodi, qui nuperrime ex ethnico grege in Christianam militiam venerunt, passim Christiani lapides memorant. CONSTANTIVS . NEOPHITVS occurrit ap. Grut. p. MLI. 3. Et SYLVINVS . NEOPHYTVS ibidem p. MLXI. 3. quos temere Scaliger inter cognominum indices recensuit. Praeter hos Leonem Rufillum habes ex Reinesio Cl. XX. 21. Romanum ex Passioneo Cl. XII. 82. Viminatem Victorinum ex Maffeio Mus. Veron. p. CLXXX. 3.

DEP. III. ID. SEPT). Expressam depositionis diem Christianorum marmorum διοριςικον Clarissimi Fontaninius *in S. Columbae epitaph.* et Fabrettus Cap. II. p. 112. censuere. Neque ego certe abnuerem, nisi marmora pleraque apud Gruterum, Reinesium, Muratorium, et quod magis est apud ipsum Fabrettum me ab ea sententia revocarent. Potius ego Kalendarum notationem verosimilem Christianismi tesseram dicam, quam certissimam. Videsis doctissimum Lupium ad S. Severae Epitaph. p. 76. qui rem fusius est persequutus. CA-

CAPVT XVIII.

Augustales quo anno instituti. Eorum ordo in Municipiis, et Coloniis parallelus equitibus Romae. An Sacerdotes fuerint, Velserus notatur. Reinesius eos magistratus esse arbitratus a Norisio reprehenditur.

ITEM . DEDIT . DECVRIONIBVS . ET . LIBERIS . EORVM . SINGVL . ✠ S . XXX . NVMMOS . SEVIR . AVGVSTAL . VESCENT . SINGVL . ✠ S . XX . NVMM . PLEBEI . VNIVERSAE . EPVLANTIBVS . SINGVLIS . ✠ S . VIII . NVMMOS . L . D . D . D ,

Praeter pecuniae summam Decurionibus, et universo populo superius oblatam, singulis etiam Decurionibus, et liberis eorum, Seviris Augustalibus singulis, et plebi universae singulis aliam summam Mammius contulit, ita tamen, ut prioribus XXX. sestertios nummos; Seviris Augustalibus XX. Plebi vero VIII. quo nihil frequentius in veteribus monumentis, nempe ut Decurionibus opimior summa, minor Augustalibus, minima plebi detur. Quod praeter innumeras alias inscriptiones, apertissime patet ex epigraphe Reinesiana cl. VI. n. 22. ubi Titus Catinius coenam populo dedit, certam vero pecuniae summam Decurionibus, aliquanto minorem Augustalibus, postremo per gradus (a). Porro quid aliud in nostra, aeque ac in Reinesiana

(a) Hinc panis gradilis dictus, qui in graduum edito, seu tabulato dividebatur, ubi annona seu panis repositus, iique aderant, qui panem singulis e po-

nesiana epigraphe, divisio haec est, nisi sportulae, quarum loco coenae rectae extremis Reipublicae temporibus, vel sub Caesaribus primum coeptae, deinde vero et pecunia, quae sportula etiam audiebat? Sed haec longius persequutus sum cap. X. Illud tandem remanet, ut de Seviris Augustalibus nonnulla attingam.

Augustales institutos ex Tacito habemus sub initium principatus Tiberii anno V. C. DCCLXVII. *Idem annus*, inquit, *novas caeremonias accepit, addito sodalium Augustalium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris Sodales Tatios instituerat, sorte ducti ex primoribus civitatis unus, et viginti. Tiberius, Drususque, et Claudius, et Germanicus adiiciuntur.* Augustalibus igitur post Augusti mortem Romae primum institutis, in coloniis dein, ac municipiis, quae in cunctis fere rebus ad imperantis urbis exemplum sese comparare

populo viritim, palam, at per gradus adscendentibus dividerent, uti saepius in veteribus nummis vidisse memini. At gradus hi nihil commune habent cum amphiteatri gradibus, uti perperam plerique opinati sunt. Scimus enim in huiusmodi gradibus, nempe amphitheatri divisiones huiusmodi non nisi sparsas, atque a populo extra ordinem constituto exceptas, quod longe alienum est a panis gradilis divisionibus, quae non spargebantur, sed dispendebantur, atque de manu in manum in edito graduum viritim erogabantur, uti pluribus ostendit Cl. Gothofredus *Cod. Theod. lib. XIV. tit. XVII.* Turbat me vero Reinesius, qui τὸ PER GRAD. explicat *PEReGRinis ADvenis.* Sed aberrasse hac in re Reinesium vel ipsa marmora clamant, ubi τὸ PER GRAD. expresse PER GRADVS legitur. En tibi Gruteriana inscriptio *pag. CLXXV.* 8. DI . CLAVDIVS . CHRESIMVS . OB . HON . QVINQVENNALITATIS. COLLEGIO . DENDROPHOR . ROMANOR . QVIBVS . QVIBVS . EX. SC . COIRE . LICET . ARGENTI . P. X. ET. H. S. X. MIL. N. REDDIDIT. QVAE. DIVISA. SVNT. POPVLO . PER . GRADVS . X . AVG. COLLEGI . N. NVMMIO . ALBINO. ET. FVL. AEMILIO. COS. (Consules ad an. Christi 208. pertinent). Quid quod apud Donium Cl. IX. n. 10. PANE. ET. VINO. SING. CCC. XII. PER. GRAD. DIVIS? Videat igitur Reinesius illud PER. GRAD. non *Peregrinis advenis*, sed PER. GRADus iudicare.

studebant, audiri passim coeperunt (a), ex quibus sex primi Seviri Augustales dicebantur. Porro, ut Romae secundum locum inter Senatores nempe, et populum Equites constituebant, ita in municipiis, ac coloniis, post Augusti tempora medium ordinem, ac equitibus παραλληλον, inter decuriones sc. et plebem Augustales tenebant. Atque hac metatura quidem conlocatos in Corfiniensi inscriptione vides, in qua primum Decuriones, hinc Seviri Augustales, demum Plebs nominatur. Quo modo et in marmore T. Chresimi Sucssae in Campania: ORDO . DECVRIONVM. ET . AVGVSTALIVM . ET . PLEBS . VNIVERSA; cui similis est expressis verbis Praenestinus Q. Verrii Flacci apud Fabrettum Cap. V. n. 162. Et Calatiae item in Campania e schedis meis: DECVRIONES . ET . AVGVSTALES . ET . POPVLVS . CALATINVS. Tum et in inscriptione Antinati apud Marsos: DECVRIONIBVS . EPVLANTIBVS . SIG . S. -+ VIII . N . SEVIRIS . AVGV . EPVLANTIBVS . SIG . S. -+ XXII . IV . PLEBI . VRBANAE . EPVL . SIG . -+ IIII . N. Sic apud Gruter. p. CCXL. I. DECVRIONES . AVGVSTALES . ET . MVNICIPES et pag. CCCXLIV. 3. 6. DEC . VI . VIR . PLEBS . VRB . (b). Au-

(a) Haud me praeterit, Augusto adhuc vivo ab Italiae oppidis divinum cultum delatum vel ab anno urbis DCCX. quum Sex Pompeio ex Sicilia fugato, ac Lepido in Triumviratu adhue collega in ordinem redacto, bellisque civilibus sublatis, quae tot annos Italiam miserandis cladibus divexarant, pacem is toti Italiae reddiderit. Rem Appianus Εμφυλ. Lib. V. memoriae tradidit: *Oppidatim inter deos tutelares consecratus est*. Atque eam quidem assentationem tunc maxime crevisse, quum superato Antonio, Romanum orbem occupavit, Philo testatur *de Legat. ad Caium*. *Totus Orbis coelestes Augusto honores decrevit, templa, fana, lucos, porticus, ut his nulla pulchriora visantur in urbibus, vel vetera, vel nova*. Et mox: *non quod probaret, sed quia videbatur hoc postulare amplitudo imperii, cui veneratio quaedam his artibus parabatur.*

(b) Quamvis vero magistri Augustales Seviri passim ubique obtinuerint, alicubi tamen plures, quam seni in antiquis

Augustales vero Sacerdotes fuisse, qui post mortem Augusti veluti numinis sacra curarent, vetusta in primis marmora docent, in quibus saepissime SODALES, vel FLAMINES adpellitantur. Hinc in veteri marmore inedito, quod dum haec typis mandantur, in Atrio Ecclesiae Sancti Prisci ad veterem Capuam est effossum, cuius exemplar mecum communicavit vir profundae eruditionis, ac veteri necessitudine mihi maxime omnium coniunctissimus Franciscus Danielius:

T . CLODIO . M . F . FAL
EPRIO . MARCELLO
COS . II . AVGVRI
CVRIONI . MAXIMO
SODALI . AVGVSTALI
PR . PER . PROCOS
ASIAE . III .
PROVINCIA . CYPROS

Quemadmodum et apud Grut. p. CCCLXXXI. 1. C. CAESONIVS . MACER . SODALIS . AVGVSTALIS dicitur; et p. CDLIII. TIBERIVS . PLAVTIVS . SILVANVS . SODAL . AVG. et p. CDXV. -+ S . C . SALLIVS . ARISTAENETVS . SODALIS . AVGVSTALIS. Quam rem et Tacitus ipse monet in loco iam recitato, et Suetonius in

* *Claud.*

tiquis cippis non raro recensentur. Sic Firmanus lapis ap. Fabret. Cap. V. n. 298. C. Fusicio. C. L. GENIALI. VIII. VIR. AVG. FIRMI. Ex adverso in non magnis oppidis tres tantum creari consueverant, et Treviri Augustales dicti, quemadmodum Amiterni, et Peltuini; de quibus videsis amicissimum Vitum Iuvenatium *Dissert. di Aveja p.* 129.

Claud. cap. VII. Senatus, ait, *quoque, ut ad numerum Sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adiicerentur, censuit.*

Atque de flaminatu vero antiquissimam fortasse omnium heic adponam inscriptionem ex Pompeianis effossionibus, quae nunc in museo Regis servatur; nimirum ad Germanicum pertinet, primum certe omnium, qui Romae Flamen Augustalis fuerit:

GERMANICO . CAESARI . TI . F . DIVI . AVGVSTI . N
DIVI . IVLI . PRO . NEPOTI . FLAMINI . AVGVSTALI . COS . II . IMP . II
L . MAMMIVS . MAXIMVS . P . S

Atque ex eo marmore non tantum Taciti locus Annal. Lib. I. Cap. LXII. illustratur, ubi *Auguratu, et vetustissimis caeremoniis praeditum* Germanicum prodit; sed et commodum mihi insuper est Gruterianum fragmentum p. CCXXXVI. 4. in integrum restituere:

g ERMANICO
CAISARI
ti . AVGVSTI F
d IƎI . AVGVSTI . N
d IƎI . IVLII . PRO N
a VGVRI . FLAM . AVG
COS . II . IMP . II

Atque uti Senatus Consulto cautum (de quo Tacitus idem Lib. II. cap. LXXXIII. *Ne quis Flamen, aut Augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliae crearetur*),

tur), eo defuncto Flaminatum Nero suscepit, cuius vetus inscriptio meminit ap. Gruterum p. CCXXXVII.

NERONI . CAESARI
GERMANICI . F
TI . AVGVSTI . N . DIVI . AVG
PRON . FLAMINI . AVGVSTALI
SODALI . AVGVSTALI

Quid quod Sacerdotum nomine quandoque donantur? ut in inscript. Grut. p. CCCLXXII. 7. ubi L . AVRELIVS. VICTOR . SACER . PRIM . CORP . AVGVSTALIVM dicitur; et apud Tacitum. *Lib. II. ut nomen eius saliari carmine caneretur, sedes curules SACERDOTVM AVGVSTALIVM locis, superque eas querceae coronae statuerentur.* Ac vero flaminatum Augustalem, et Sacerdotium unàm eamdemque rem esse absque ambage ulla luculentissime ex binis litteratis saxis quisquis intelliget, quae ex iisdem Pompeianis effossionibus in lucem prodierunt. In altero enim quod ad Theatri sedile extabat, M. Holconius Rufus *Flamen Augustalis* dicitur, in altero inter eiusdem theatri ruinas *Sacerdos Augusti.* Utrumque exhibeam:

M . HOLCONIO . V . F . RVFO	M. HOLCONIO. RVFO. D. V. I. D.
II . V . I . D . QVINQVIENS	IIII . QVINQ.
ITER . QVINQ . TRIB . MIL . A . P.	TRIB . MIL . A . POPVLO.
FLAMINI. AVG. PATR. COLO. D. D	AVGVSTI
	SACERDOTI . EX . D . D.

Ex quibus omnibus vel tu vide, quam frustra sit Velserus *Lib. V. Rer. Aug. Vindelic. p.* 103. qui quominus

nus Augustales Sacerdotes esse credantur, *vetare*, inquit, *lapides, in quibus sodalium nomen nunquam additum.*

Sed veniamus nunc ad praeclarissimum virum Reinesium. Is in *Epist.* 31. *de Augustalibus* adfirmat, *Augustales fuisse magistratus municipales, ex eisdem duumviris eligi solitos, ipsos a Praesidibus etiam Provinciae Augustalitate decoratos; unde Augustalium adpellatio, tamquam Augustorum iussione in Colonia nominati, quia genere, meritis, et patrimonii amplitudine potiores:* ex quo iam facile per se quivis intelliget, quantum a vero Cl. Reinesius aberrarit. Eius tamen oscitantiam hac in re pluribus ostendit Clarissimus Norisius *Dis.* 1. *cap. VI. ad Cen. Pis.* qui omnibus Reinesiani huiusce loci convellendis partibus mirum quanta eruditione immoratur. Videtur interea Reinesius suam opinionem solido quidem fulcro fulsisse, inscriptionem enim Alcantarenam apud Grut. p. CCCCXX. 7. obiicit, quae sibi favere ad speciem videtur; ibi enim C . IVLIVS . CAPITO dicitur AVG . I . D. CVR . ANNONAE, ex qua magistratus fuisse Augustales, nedum iurisdictionem etiam habuisse, probare conatur. Sed abs Reinesiani lapidis impedimento facile se se liberavit Cl. Norisius, quandoquidem post verbum AVG. notam PR. constituere maluit, quasi *Augustalis Praefectus iuri dicundo*, quam extra omne exemplum iurisdictionem Augustalibus tribuere. Quin amplius alteram ex Grutero epigraphen p. CCXV. 2. Reinesio inobservatam in medium ponit, ex qua haud parum fastidii creabatur, ubi *M. MECONIVS pecuniam, ac fundum testamento legat pro candelabris,*

et

et lucernis bilychnibus *ARBITRIO AVGVSTALIVM QVO FACILIVS STRATIC. IVS PVB. OBIRE POSSINT;* dictionem illam *IVS PVB. OBIRE* ita vir doctissimus interpretatur, ut quidquid iuris ad sacra tantum, quae ad eorum adtinebant collegium, coarctarit. Sed ne quid dissimulem, profecto ea se libens abstinuisset medicina summus Norisius, si Petelinam hanc inscriptionem emendatiorem apud Gualtherum observasset *Antiq. Tab. n.* 391. Non enim in marmore scalptum IVS PVB. sed NIBVS PVBLICIS. Rem sane viderat diligentissimus Fabrettus *Inscr. Dom. p.* 405. Sed inquit: *Nibus Publicis, nescio quo sensu legitur initio nonae lineae.* Attamen rem ego planam esse video, atque firmata demum vera voculae lectione, quovis deposito pignore certo, deperditas in marmore litteras non alias, neque plures esse, quam CENIS. OM. legendumque versum integrum: QVO FACILIVS STRATI CENIS OMNIBVS PVB. OBIRE, POSSINT. Atque hanc omnino tenendam lectionem, vel obstinatissimus quisquis ex Veientana tabula convincetur ap. Fabr. Cap. III. n. 324. C. Iulii Geloti, cui honor decretus VT AVGVSTALIVM NVMERO HABEATVR *aeque ac si eo honore usus sit liceatque ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio* INTER AVGVSTALES CONSIDERE CENISQVE OMNIBVS PVBLICIS INTER CENTVMVIROS INTERESSE. Sed accedit amplius, quod hunc, non alium sensum ipse prorsus clamet Petelinus lapis. Ibi M. Meconius Leo sestertium decem millia nummum, et vineam caedicianam cum

cum parte fundi Pompeiani legat Reipublicae Petelinorum, ut ex usuris semissibus illius summae velit *comparari Augustalium nomine* AD INSTRVMENTVM TRICLINIORVM DVVM QVOD EIS ME VIBO TRADIDI CANDELABRA ET LVCERNAS BILYCHNES ARBITRIO AVGVSTALIVM QVO FACILIS STRATI *Cenis om*NIBVS PVBLICIS OBIRE POSSINT (a). QVOD IPSVM AD VTILITATEM REIP. N. PERTINERE EXISTIMAVI FACILIVS SVBITVRIS ONVS AVGVSTALITATIS DVM HOC COMMODVM ANTE OCVLOS HABENT. Et infra: VINVM VSIBVS VESTRIS DVMTAXAT QVVM PVBLICE EPULAS EXERCEBITIS HABERE POSSITIS. Vide igitur non de Iure publico, sed de coenis publicis ibi esse sermonem, ubi a summo ad imum et triclinia, et epulae, et candelabra ad nocturnas coenas memorantur. Atque demum vero *coenas obire* dixit Tullius Lib. IX. ad Attic. *Quas eos COENAS et facere, et OBIRE quam lautas.* Sed satis haec, quibus quidquid Reinesiani aedificii est, corruisse arbitror.

Porro his missis, ubi primum Tiberius Collegium Augustalium Sacerdotum Iuliae genti (b) Romae sacravit, coloniae etiam vel aemulationis, vel ambitionis sensu certatim

(a) CENIS . PUBLICIS pro *cenas publicas* adposuit Epigrammatographus; cui nihil ad grammatices regulas exactum, passim ex integro lapide vides, ubi CVM PARTEM FVNDI pro *cum parte;* et mox QVO FACILIVS AVTEM NOTA SIT CORPORI VESTRO HAEC ERGA VOS VOLVNTATEM pro *voluntas*. Et sexcenta huiusmodi.

(b) Atque Romae quidem Tiberius *e primoribus Civitatis* Augustalium Collegium composuit; at in municipiis liberti quoque in Augustalitatem adlecti, ut vides in lapide Forosemproniensi ap. Grut. p. CI. 1. quem suae fidei restituit Fabrettus Cap. V. n. 316. ubi tredecim Seviri Augustales liberti omnes recitantur. Sed rei ex vetustis titulis passim firmatissimae non immoror.

tatim eadem corpora instituerunt (a), in quibus *Seviri Augustales* ii audiebant, qui nempe Ordinis magisterium adtigerant; unde et *Magistri Augustales* non raro in antiquis monumentis adpellati. Huiusmodi est tabula marmorea in hortis Ecclesiae Cathedralis Urbis Castellanae in Faliscis ap. Gruter. p. CXLIX. 5. MAGISTRI . AVGVSTALES . C . EGNATIVS . C . L . GLYCO . C . EGNATIVS . C . L . MVSICVS . C . IVLIVS . CAESAR . ISOCHRYSVS . Q . FLORONIVS . Q . L . PRINCEPS . VIAM . AVGVSTAM . AB . VIA . ANNIA . EXTRA . PORTAM . AD . CERERIS . SILICE . STERNENDAM . CVRARVNT . PECVNIA . SVA . PRO . LVDIS. Atque Sevirûm quidem mentio passim in litteratis Corfinii saxis occurrit, cuiusmodi est, praeter id, cuius opportunitate haec scribimus, alterum C. Pontii Fidelis, quod supra dedimus, et alterum hoc ad turrim campanariam Ecclesiae Valvensis (b):

(a) Brevi in tantum Romae excrevit Augustalium numerus, ut eodem Tacito teste, per omnes domos in modum collegiorum haberentur. Pari aemulatione extra Romam, plura una in urbe alicubi collegia Augustalium obtinuerunt, quibus diversi etiam praeerant Seviri. Vide Clar. Fontaninium Antiq. Hort. Lib. 1. Cap. 2. Accedit quod et inter decurias dispertitos aliquando videmus, ut ap. Grut. p. MLXXXVIII. 12. *Claudiae Rufinae Iuli Heraclae allectae ab Ordine IN DEC. AVGVSTAL.*

(b) In marmoris lectione mire discrepant Gudius, Fabrettus, Foebonius, Postremum non moror, quo neminem in legendis inscriptionibus imperitiorem omnes norunt. Gudius vero p. CCXXXI. 1. vers. 11. pro IA legit LILIA; non repugnarem, si ita in marmore. Fabrettus Cap. IV. n. 186. vers. 9. pro FRATER habet PATER; rem at ipsa clamat inscriptio, in qua vers. 5. 6. et 7. parentes adpositi.

I.

Q . CAECILIO
Q . F . PAL . OPTATO
VIXIT . AN . II . ME . VI
Q . CAECILIVS . Q . ET .). L
HERMES . SEVIR . AVG
ET . LICINIA . REPENTINA
PARENTES . PIISSIMI . POSVER . ET
Q . CAECILIVS . Q . F . PAL
PAELINUS . FRATER
HIC . IACET . OPTATVS . PIETATIS . NOBILIS . INFAS
CVI. PRECOR. VT. CINERES. SINT. IA. SINTQVE. ROSAE
TERRAQVE. QVAE. MATER. NVNC. EST. SIBI. SIT. LEVIS. ORO
NAMQVE . GRAVIS . NVLLI . VITA . FVIT . PVERI
ERGO . QUOD . MISERI . POSSVNT . PRAESTARE . PARENTES
HVNC . TITVLVM . NATO . CONSTITVERE . SVO

Cui et titulus item Corfiniensis accedit C. Lucceii Caprii Seviri Augustalis, quem nolo hoc loco praeterire, ut Gudiana item emendetur lectio.

II.

LVCCEIAE . C. L . FORTVNATAE
C . LVCCEIVS . C . L . CAPRIVS
SEVIR . AVG . CONIVGI
B . M . F

Protulit Gudius p. CXXIX. 9. sed pro SEVIR perperam legit SVAEVIR.

Atque vero coetus universus vel *Corpus Augustalium* adpellabatur, ut ap. Grut. p. CDXXXVII. 6. HOC . AMPLIVS . AB . HEREDIBVS . MEIS . VOLO PRAESTARI .

STARI . CORPORI . AVGVSTALIVM; aut *Collegium Augustalium*, ut in marmore Venafrano (a).

C . MANILIVS . FORTIS . AVGVSTALIS
PATRONVS . COLLEGI . ET . LVCVLLANA
SPECIES

aut demum splendidiori vocabulo *Ordo Augustalium*, ut in tabula Ostiensi apud amicissimum Caietanum Marinium Marm. Alb. Cl. III. n. 45. *L. Licinio L. F. Pal. Herodi* cet. ORDO . AVGVSTAL . OPTIMO . CIVI . OB . MERITA cet. et in Corfiniensi lapide (b):

III.

G . RVTILIO . C . F . PAL . GALLICO
ORDO . AVGVSTAL . PATRONO
OB . MERITA . PATRIS . ET . IPSIVS

OB . MERITA . PATRIS . Nimirum iste est C. Rutilii Gallici viri praeclarissimi filius, cuius grazia Statius *Soteria* scripsit *Lib. I. Silv.* 4. summis laudibus ab eloquentia, ab rei militaris scientia, ab gestis magistratibus, et ab humanitate eumdem commendans. Maximeque id memoria dignum, quod inter gratulationes edicit Statius, erubuisse nimirum fortunam tanto ministro Imperium Domitiani spoliare.

* Vides

(a) Ap. Murator. p. DXI. 5.
(b) Detectum marmor in agro Corfiniensi, non vero in finibus Marsorum, ut male habet Muratorius p. CCIII. n. 8.

Vides interim Augustalium corpus Ordinem hic audire, ac suos habuisse etiam patronos, non secus ac Decurionum ordinem, ac cetera corpora, collegiave. Hinc in saxo altero in agro Corfiniensi Rutilia Paulina eiusdem C. Rutilii Gallici filia, patrona Sevirûm Augustalium nominatur.

IV.

RVTILIAE . C . F .
PAVLINAE . SEVIR
AVGVST . PATRONAE
OB . MERITA . PATRIS . ET
IPSIVS . P

Ap. Gudium p. CXXXVIII. 3. et Donium Clas. V. n. 123. Et Murator. p. CCCIII. 7. Vide et lapidem Miniciae Paetinae uxoris C. Rutilii Gallici ap. Maffeium *Mus. Veronens.* p. CCXXII. n. 6.

Quod sane alibi non rarum; ac praeter Venafranum, lapidesque Corfinienses, Forosemproniensem supra dedimus: M. SILIO EPAPHRODITO PATRONO SEVIRVM AVG. Quibus Gudianum addo p. CXIX. 1. C. CALVINIVS . PATRONVS . VI. AVG. Iterum vero merita Patris hic memorantur. Merito scilicet Rutilius Gallicus *genus ipse suis* dicitur Statio loc. cit. v. 68. quando et merita ipsius iterum iterumque filiis suis profuere. Atque ex eo licet intelligere non iis dumtaxat, qui bene de re publica meriti, sed filiis quoque, posterisque eorum honores a municipalibus habitos. In marmore Gabino apud Ennium Quirinum Vi-

Visconte (a) *FL . T . FIL . VARIANAE . OB . MERITA . CRESCENTIS . PATRIS . EIVS . QVI . OMNES . HONORES . MVNICIPI . N . DELATOS . SIBI . SINCERA . FIDE . GESSIT' . DEC . POPVLVSQ* . Nec obliviscenda Laodicena inscriptio ap. Murat. p. MLXXXI. 6. in qua Tatia Nicostratis honoratur ΔΙΑ . ΤΕ . ΤΑΣ . ΤΟΥ . ΠΑΤΡΟΣ . ΑΥΤΗΣ . ΑΡΧΑΣ . ΤΕ . ΚΑΙ . ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ ΚΑΙ . ΕΡΓΟΣΤΑΣΙΑΣ *ob magistratus, et munera publica, quibus functus erat Pater, et ob opera publica ab eodem absoluta.*

Sed ut ab Augustales redeam, id modo omnium maxime statuendum puto, eos quotquot nonnisi ab Decurionum Ordine creatos, sive Seviri fuerint ac magistri Augustalium, ut apud Grut. p. CCCCIX. FAVSTVS . VI . VIR . ET . AVGVST . QVI . INTER . PRIMOS . AVGVSTALES . A . DECVRIONIBVS . AVGVSTALIS . FACTVS . EST; sive qui aut pecunia erogata, aut opere aliquo publico exstructo Augustalitatem obtinuerint, quorum frequens in antiquis inscriptionibus mentio, ut ap. Smetium p. LXXIV. 4. HIC . PRO . SEVIRATV . IN . REM . P . DEDIT . HS . ∞ . ∞ . sive qui honoris caussa Augustales creati, ingenui scilicet et digniores, quos *Augustales gratuitos* proinde nuncupatos offendimus (b) ap. Fabr. Cap. V. n. 305. C . IVLIO . PAVLINO . ANDRAGATHO . VI . VIR . AVGVST . GRATVIT . vel

(a) Monumenti Gabini della Villa Pinciana descritti da Ennio Quirino Visconte.

(b) Vid. Grut. p. CLXXII. 13. p. CCCCXXXII. 3. et p. CCCCLIV. 7.

vel *Augustales gratis creatos*, ut ap. eumdem Cap. X. n. 530. TI . CLAVDIO . SALVIANO . HERCVLANO . AVG . GRATIS . CREATO unde et honor Augustalitatis gratuitus in inscriptione Campana, quam parum exactam dedit Gruterus p. CCCCLIV. 7. Mazochius autem ad marmoris fidem Amph. Campan. p. 173. Q . ANNIO . IANVARIO . cet. HVIC . ORDO . DECVRIONVM . OB . MERITA . EIVS . HONOREM . AVGVSTALITATIS . GRATVITVM . DECREVIT; sive demum qui Augustales supra numerum adlecti, quorum lapis item meminit ap. Fabret. Cap. V. n. 297. T . PETIDIO . T . F . FAB . CESSINO . VIII . VIRO . AEDILICIAE . POTESTATIS . cet. ADLECTO . SVPRA . NVMER . SEVIRVM . AVGVSTALIVM.

Porro Augustalitas temporarium Sacerdotium erat, ac nonnisi annale; unde iterum ac tertium quosdam creatos habemus in antiquis titulis, ut ap. Maffeium Mus. Veron. p. CXIV. 3. L . AVFILLENVS . ASCANIVS . VI . VIR . II. et ap. Grut. pag. XIX. L. CANCRIVS. SEX. VIR . II. AVGVSTALIS. Et ibidem in fragmento Sutrio pag. CCCCXCIV. 2. VI. VIR . ITER . QVINQ . (a). At cave tamen hoc loco quinquennalitatem magisterio Augustalium adpingas, nam duos ibi duplicis dignitatis titulos Seviratus nempe, et Quinquennalitatis habes, de qua re fusius egisse alibi memini. Equidem haud ignoro in id offendiculum impegisse Clarissimum Fabrettum ad lapidem Ortanum Cap. V. n. 302. MAVORTI . VLTORI . Q . NIN-

(a) Et alibi ap. Grut. p. CDLXXIII. 2. p. CDLXXV. 3. p. CXIII. 2.

NINNIVS . Q . F . QVIR . PAETVS . II. VIR . COL. ORTANAE . AVG . ET . VI . VIR . AVGVSTAL . QVINQVEN . II. SACRVM . Sed lapidis veriloquium pronum summo viro erat tum ex Ortano altero eruere Cap. V. n. 344. M . PORCILIVS . GRATVS . VI . VIR . AVG . PATRONVS . COLON . ORTAN . IIII . VIR . QVINQVENN . ET. PRAEF . FABRVM . EIVS. COLONIAE ubi aperte Seviratus a Quinquennalitate dispescitur, tum ex Ostiensi Cap. V. n. 303. L . CARVLLI . FELICISSIMI . BIS . VI . AVG . IDEM . QQ . Atque si quid in re dilucidissima remaneat nubeculae, certe ex veteri inscriptione exsufflatur, quae ante hos paucos annos an. scilicet 1783. ad viciniam Ostiae est detecta (a), ubi C . SIMILVS . PHILOCYRIVS . SE . VIR . AVG . IDEM . QQ . MAGISTER . QVOQVE . COLLEGI . FABRVM. TIGNVARIOR . OST. LVSTRI . XXXVI . in qua C. Similus expresse Sevir Augustalis dicitur et item magister Quinquennalis (b) Collegii fabrum Tignariorum Ostiensium. Quod idem ordine praepostero eliquatissime habes apud Murat. p. DXXI. 3. L. AQVILIVS . Ɔ . L . MODESTVS . MAGISTER . QVINQVENNALIS . FABRVM . TIGNVARIORVM . OSTENTIVM . LVSTR . II. IDEM . AVGVSTALIS. Ex quibus omnibus vide, diversum esse Seviratum a magisterio Quinquen-

(a) Marini Inscriz. delle Ville, e de' palazzi Albani p. 232.

(b) De magisterio Quinquennali Collegiorum, quod quinquennio finiebatur, non est cur dicam. Passim enim isti Quinquennales Magistri in inscriptionibus occurrunt; non raro et lustri etiam adposito numero. Hinc Duumviri Magistri Quinquennales Collegii Pabulariorum Quinquennalitatem dedicasse dicuntur in lapide Romano, quem supra dedimus Cap. XIII. de Dedicat.

quennali collegiorum, quemadmodum et in lapide Aesernino e schedis meis:

C . SAVFEIO . C . L . CRESCENTI . SEX . VIR
AVG . QVINQ : COLLEGI . FABRVM

Antequam vero hinc abeam, unum addere necesse duco, tametsi Seviratus cura anualis fuerit, tamen honoris caussa perpetuo iis, qui semel eo fuerint magisterio honorati, nomen dumtaxat adhaesisse. Quod vel eo consilio monitum volo, ne cui fastidium inde creetur, quod nullatenus conciliari tanta Sevirorum una in urbe copia possit. Nimirum ex eo intelliges, Augustales, quorum frequens est in vetustis titulis mentio, modo ex iis esse, qui adhuc magisterio fungerentur, modo ex illis, qui iam functi erant.

Demum vero ne quid praeteriisse videar, de Augustalium muniis, tum et honore obiter saltem nonnihil adtingere e re foret. At ex his quae supra de eorum Sacerdotio diximus, satis superque patet, praeter controversiarum cognitionem, quae circa sacra vertebantur, nullum prope ius iis tributum. Quod et ex eo potissimum capite perspicuum fit, quod feminas etiam in Augustalitatem adlectas vetera exhibeant marmora, quibus profecto omnis interdicebatur iurisdictio (a). Quoad honores vero, quantum ex litteratis saxis ediscere licet, ex quibus quidquid adhuc de Augustalibus constat, unice accepimus, id tantum extra omnem dubitationis aleam est, locum in spe-

(a) Huiusmodi est inscriptio Claudiae Rufinae Augustalis Tibure ap. Grut. p. MLXXX. 12. Et Aureliae Iustae, ac Valeriae Communiae Romae ap. eund. n. 1. Et Philliae Victorinae ap. Fabret. Cap. V. n. 507.

spectaculis segregatum iis fuisse. Liquet id ex Veientana tabula C. Iulii Geloti, quam supra memoravimus: *Placuit universis honorem ei iustissimum decerni, VT AVGVSTALIVM NVMERO HABEATVR, aeque ac si honore usus sit.* LICEATQVE EI OMNIBVS SPECTACVLIS MVNICIPIO NOSTRO BISELLIO PROPRIO INTER AVGVSTALES CONSIDERE. Nimirum quemadmodum Romae in spectaculis sella curuli sedebant quicumque curulem gessissent magistratum, et seorsum a populo Ordo equester in quatuordecim spectabat, ita et in municipiis bisellio sedere non magistratibus tantum (a), sed et Seviris Augustalibus, sive illis post gestum magistratum, sive his post abdicatum magisterium (b). Atqui bisellio proprio considere idcirco in Veientano decreto dicitur, quia quum Augustales ceteri permixte in subselliis adsiderent; Seviris tantum dabatur, ut liceret bisellium proprium inferre, et ut seorsum in suo quisque spectaret.

 Idque

(a) Vid. Inscriptionem Q. Largenii Severi Aedil. Pis. ap. Fabret. Cap. III. n. 604. et Norisium Cenotaph. Pisan. Dissert. 1. p. 57. edit. Pis. Tametsi vero Bisellium Varroni lib. IV. L. L. Cap. XXVIII. aedes ea dicatur, quae duos caperet, uni tamen tributam fuisse, atque honoris caussa decretam, satis perspicue ex vetustis patet monumentis (male itaque Norisius ibid. *ita in coloniis Duumviri in eadem sella ius dicebant, quod duo in eadem sedebant*). Mazochio nostro potius adsentior, qui ad Tabb. Herael. p. 555. Varrone posthabito, a plicatili forma bisellium dictum censet, quod nempe plicaretur, et ubi opus, explicaretur, ut Graecis Διφρος, et Διφρια. Quam acutissimi viri sententiam neminem non amplexuram existimo, modo aenea bisellia duo prae oculis habeat, quae in Herculanensi Theatro effossa, nunc in Regio Museo servantur. Plura de bisellii honore qui volet, adeat Chimentellium *ad marmor. Pisan.* tum et Fresnium in *Glossar.*

(b) Patres etiam, sive Praepositos Corporum, Collegiorumque bisellis alicubi honoratos, nunc primum ex tabula Sarzanensi scitur ap. Murator. p. DXXII. ubi descripta sunt NOMINA. COLLEGI. FABRVM, expresseque habetur PATER. COLLEGI. BISELLEARIVS (sic); et in altera BISELL. DENDROPHOR. D. D.

Idque ex decreto Decurionum, uti probe est intelligere ex lapide in oppido Carapelle apud Aquilam: C. BETVTIO . EVTYCHETI . SEVIRO . AVGVST . HVIC . ORDO . DECVR . PELTVIN . OB . MERITA . EIVS . BISELLIVM . DECREVIT . Atque hinc lux magna inscriptioni Abellinae accedit ap. Gruter. p. MC. 2. PLAETORIVS . VI . VIR . AVGVSTALIS BISELLIARIVS honoratus ornamentis decurionalibus. Sed habeo et hanc in rem quantivis pretii vetus inscriptionis fragmentum Potentiae in Lucania, quod ad marmoris fidem exigere, tum et supplere praestat:

.... NVS . DEC . LIB . DIGNVS
ob ho NOREM . BISELLI . ET . AVG
Cuius de DICATIONE.DEDIT.DEC.SINGVL
h . s....AVG . H . S . XII . POPVLO
h.s....

Sane vix credibile est vers. 3. ita foedatum apud Muratorium exstare p. DXXIII. 2. ut pro deDICATIONE legatur ..DICAM MORE. Habes interim ex eo fragmento honorem bisellii, et Augustalitatis.

Gior-

Giornale de' letterati d'Italia Tom. XXXVIII. Modena 1787. presso la Società Tipografica. A pag. 300. sino a 302.

Michaelis Archangeli Lupuli in Mutilam Veterem Corfiniensem Inscriptionem Commentarius. Neapoli ex Typographia Raymundiana MDCCLXXXVI. in 8.°

Nel luogo ove era l' antica Città di Corfinio nell' Abruzzo Citeriore fu scoverto dieci anni sono un gran sasso con una antica iscrizione, di cui però per colpa degli scavatori perirono le prime parole. Essa fu poi trasportata alla vicina Città di Salmona, e 'l Signor Michele Arcangiolo Lupoli prende ora ad illustrarla. L' iscrizione è la seguente, avvertendo, che le parole segnate in carattere corsivo, son quelle che o in tutto, o in gran parte eran perite, e che il Nostro Autore con felicissima congettura ha restituite. « *D*.
» *M*. *P*. *Mammio P*. *F*. *Aufidio Priscino Corfiniensium Patrono*
» *Indulgentissimo Pontifici.* Curatori Kalendar. Rei. Public. Aedil.
» Praef. IIII. Vir. IIII. I. D. Hujus propter morum gravem patien-
» tiam maximamque verecundiam splendidissimus Ordo consentiente
» populo tabulas patrocinales aheneas liberisq: ejus offerri censue-
» runt. Qui accepto honore statim splendidissimum Ordinem, libe-
» rosq. et conjuges eorum, sed et populum publice epulantes maxi-
» mo cum gaudio exhilaravit. Hujus ob merita Ordo populusque Cor-
» finiensium remunerandam adfectionem quem in singulos univer-
» sosque cives suos exhibuit liberisque ejus equestris dignitatis pue-
» ris ex pecunia publica poni censuerunt. Cujus ob dedicationem
» obtulit decurionibus et universo populo +S L mil nummum quae
» mammiana vocentur, ex cujus summae usuris die natalis ejus VII.
» Idus Febrar. divisionem percipere possint. Quod si die praestituto

* » condi-

» condicioni paritum non fuerit, tunc ejus diei divisio ad Sulmonensium civitatem pertinere debebit : item dedit decurionibus discumbentibus et liberis eorum singul. +S XXX. nummos sevir. augustal. vescent. singul +S XX. numm. plebei universae epulantibus singulis +S VIII. nummos LDDD. »

Questa bella iscrizione si prende quì ad illustrare dal Nostro Autore, il quale dopo di aver dimostrato, ch' essa appartiene a un di presso a' tempi di Tiberio, dopo avern' esaminata l' Ortografia degna del buon secolo, e rilevato qualch' errore commesso dallo scarpellino, si fa a rischiararla parte a parte, ed a render dapprima ragione delle parole mancanti, e da lui sostituite, e quindi a spiegarne tutte le parole, e l' espressioni; nel che fare egli mostra grand' erudizione, e giusto criterio, senza cader nel difetto di alcuni antiquarii, che su ogni lettera d' un' antica iscrizione ci danno volumi più pesanti de' sassi stessi, in cui l' iscrizioni sono scolpite. Non meno pregevole è una breve dissertazione, che al fine si aggiugne su alcune antiche monete Corfiniensi in caratteri Etruschi. Sappiamo, che l' Autore è giovine, e da questo primo saggio, ch' ei ci dà de' suoi studj, possiamo sperarne successi sempre più lieti, e felici.

Gior-

Giornale de' letterati Tom. LXVII. Pisa MDCCLXXXVII. presso Luigi Raffaelli; artic. VIII. A pag. 221. sino a 227. in 8.°

Michaelis Archangeli Lupuli in Mutilam Veterem Corfiniensem Inscriptionem Commentarius. Neapoli ex Typographia Raymundiana MDCCLXXXVI. tomo uno in 8.°

È comparso alla luce un Commentario sopra un antica mancante iscrizione Corfiniese, lavoro del chiarissimo Signor Abate Michele Arcangelo Lupoli, degnissimo allievo del famoso Seminario Aversano, e nativo di Fratta Maggiore accosto le rovine dell' antica Avella. Oltre alla dedicatoria, vien preceduto il sopracennato commentario dalla prefazione, in cui dassi contezza di varie cose al mancante marmo appartenenti, e da una dissertazione sul tempo dello stesso marmo, divisa in quattro sezioni. Nella prima provasi ad evidenza, che l' iscrizione presa a commentare debb' essere onninamente al tempo di Augusto posteriore; nella seconda dimostrasi, ch' il tempo della medesima o ridur deesi all' età di Tiberio, od a tempi prossimi seguenti; nella terza fassi con saldissime ragioni vedere, che l' ortografia della stessa è ben degna del secolo d' oro dell' idioma latino; nella quarta alla fine rendesi all' incisore l' onor dovutogli per motivo di due sbagli scioccamente commessi.

Siegue il commentario compreso in venti capitoli, e due di questi in alcune sezioni: e giacchè per mala disgrazia nella suddetta iscrizione manca quella parte, che di colui, in onor del quale la stessa fu posta, faceva ricordo, l'Autore nel 1. Cap. con un altro marmo similmente Corfiniese fa con mano toccare, qual' era il nome del

del medesimo, giustificando in tal modo una porzione del supplemento. Perchè nel marmo contiensi un legato lasciato a Corfiniesi, con tal' occasione nel II. Cap. molte interessanti notizie intorno a Corfinio, ed a' Peligni, di cui tal città era metropoli, si uniscono. Nella prima sezione fassi vedere, ch' avanti alla legge Giulia Corfinio non potè alla vera dignità di Municipio pervenire, nella seconda sin' alla quinta parlasi di due Colonie nella Città soprammentovata dedotte, e varj enimmi degli scrittori agrarj si dilucidano. Nella sesta discorresi del tempo, in cui a Corfinio diedesi 'l nome d' Italica, ed agl' Italici fu la Romana cittadinanza concessa: accennansi d' ovvantaggio alcune medaglie Corfiniesi, di cui l' Autore si riserba nella fine a trattare: nella settima dopo diligente, e rigoroso esame conchiudesi, ch' i Corfiniesi ottennero la perfetta Cittadinanza Romana, con soggettarsi eziandio in tutto, e per tutto alle leggi della Romana Repubblica: nell' ottava investigasi 'l sito di Corfinio, e ponendosi ben mente alla differenza delle miglia degli antichi Romani dall' odierne Italiane, sulla scorta de' Signori Cassini, dell' Isle, la Martiniere, ed altri, ponsi 'l tutto felicemente in chiarezza; nella nona infine, che leggesi nell' aggiunte, trattasi dell' etimologia della voce *Peligni*, e dell' origine di *Sulmona*. Nel III. Cap. propongonsi le ragioni pel resto del supplemento della prima linea. Nel IV. Cap. molte cose alla religione de' Municipj, e delle colonie, e de' Corfiniesi soprattutto spettanti si espongono, e del supplemento del principio della seconda linea assegnasi la ragione. Nel V. trattasi dell' entrate de' Municipj, e delle Colonie. Nel VI. de' varj significati della parola *Respublica* negli antichi marmi, e scrittori. Nel VII. della giurisdizione degli Edili fuori di Roma, e se ne' Municipj, e nelle Colonie indifferentemente i Duumviri, e i Quatuorviri le loro cariche esercitavano. Nell' VIII. fassi 'l confronto tra' Senatori in Roma, ed i Decurioni nelle Provincie, ed a tal proposito due inedite iscrizioni veggonsi pubblicate. Nel IX. come per passaggio parlasi del modo tenuto dagli antichi nella scelta de' patroni. Nel X. (senza dal filo principale allontanarsi giammai) de'

publici

publici conviti degli antichi. Nell' XI. de' Cavalieri provinciali. Nel XII. si esamina, se i Corfiniesi al loro Patrono Mammio innalzaron' una statua, od un sepolcro, e l' Autore ragionevolmente seguita quest' ultimo sentimento. Nel XIII. discorresi delle dedicazioni, ed il medesimo tenendo col Signor Canonico Mazzocchi, riferisce due altri antichi marmi a lui sfuggiti, ne' quali la dedicazione dalla consecrazione chiaramente distinguesi. Nel XIV. de' Sesterzj; i quali paragonansi colla moneta del Regno di Napoli. Nel XV. delle varie significazioni alle voci *dies Natalis* dagli antichi annesse. Nel XVI. delle divisioni solite a percepirsi dal popolo. Nel XVII. de' legati *poenae nomine*, ed a questa materia, quasi da tutt' i leggisti agitata, e discussa dassi coll' ajuto dell' erudizione nuovo bellissimo lume. Nel XVIII. comprendonsi alcune notizie intorno alla città di Sulmona, ed alla famiglia Ovidia Sulmonese, ed alcune antiche iscrizioni della stessa città prendonsi ad illustrare. Nel XIX. parlasi della istituzione degli Augustali, fass' il parallelo tra l' ordine di questi ne' municipj, e nelle colonie, ed il Cavalleresco in Roma; e contro l' opinione del Velsero pruovasi ch' i medesimi godean dignità Sacerdotale. Nel XX. finalmente della punteggiatura della iscrizione brevemente favellasi. Terminato il commentario, havvi un' ingegnoso trattatello sopra tre medaglie Corfiniesi. Tutta l' opra di belle, e giudiziose annotazioni scorgesi corredata. Possiamo accertare, che l' Autore è di polso, e sa maneggiare l' erudizione: non restringe egli la sua fatica a spiegare solo qualche antico marmo, ma distendesi, secondo l' opportunità, ad illustrar molte leggi, delle quali 'l senso non era stato ancora per mancanza di profonda erudizione ben conosciuto; s' ingegna spesso di conciliar alcune apparenti contradizioni degli scrittori; nella varietà de' sentimenti, e nella scelta de' medesimi fa mostra di un raro discernimento. Se con questi pregi considerasi unita la somma chiarezza, e la purità dell' Idioma, in cui 'l sopranominato commentario scritto si osserva, se attendes' inoltre al numero delle inedite iscrizioni nel

medesimo

medesimo per la prima volta al pubblico comunicate, confessar deesi, che tal'opera gareggiar può colle primarie nel suo genere. Ce ne congratuliamo perciò coll' eruditissimo Autore, ed altre simili produzioni ci auguriamo dal suo felicissimo ingegno.

ONVPHRII GARGIVLI

ACADEMICI HERCVLANENSIS

ad Auctorem Εις τον ανδρα πολυμαθεστατον

Επιγραμμα.

Κορφινιου καθορων τις ερειπιον, αυτικα καιρω
    Αχθεται, ὃς κλειτην την δ' εδαμασσε πολιν·
Αλλ' αυτος μεγα θαυμαζει, μεγα χαιρετ', ἑλισσων
    Σας ακριβως γραπτας, ΛΟΥΠΟΛΕ, τας σελιδας.
Παντα συ γαρ σκοτιας, και ληθης μνηματα παντα
    Ἁρπαζεις, πασιν προστιθεν εστι φαος.
Νικησεν μεν τοι πολεας χρονος· αλλ' αρα μουνον
    Ουνομ' ἑον κρυψαι, και κλεος ου δυναται.

RAYMUNDI GUARINII

ACADEMICI HERCULANENSIS

AD AUCTOREM.

Tarpejae rupes, invisaque moenia Romae,
Et grave Romulidûm nomen in omne caput;
Non ego, non ferar Italiae regina per Urbes;
Non placet exemplis fama petita tuis:
Sed tandem vindex ego libertatis avitae
Incedam, Italici foederis atque caput;
Nam quid servitium memorem, turpesque catenas?
Servitum satis est, servitiique pudet;
Dixerat: Italiae ac totis subnixa lacertis
Corfinium Romae tristia fata canit.
Quid non exhaustum est hinc sanguinis, inde malorum.
Cum propior victis victor et ipse fuit?
Corfinium sed enim cessit. Sic fata ferebant.
Cessit, at in famam constitit illa suam.
Nam steterunt arces: steterunt et moenia: molisque
Amphitheatralis gloria tota stetit.

Aequataeque vices : aequataque foedera : victos ,
Victoremque inter , damna repensa satis.
Sistere quin magni potuisset Caesaris arma ,
Ni Dux militibus deerat ipse suis.
Quid tamen , heu miserum ! tantum exantlasse laborum
Profuit , ac tumidum tollere ad astra caput ?
Vis longe maior populis , atque urbibus instat ,
Quam nulla imminuant tela retorta manu.
Hora fugax , seclorum et ineluctabile pondus ,
Sera , sed humanis certa ruina bonis.
Nam quid Corfinii reliquum de nomine tanto
Annorum post tot millia , totque vices ?
Apparent rari , vasto velut aequore nantes ,
Diffracti lapides , relliquiae Titulûm .
Quantum vel sic thesauri , si magnus Alexis
Afforet , ac medicas tenderet hisce manus !
Queis Campana tumet moles , rediviva per orbem ,
Laetior , et nulla iam peritura die.
Fallor , an a laeva tonat ? En hic alter ab illo.
A laeva tonuit: surgite Pontifici.
Hic Lupulus *: iuvenem novi , et iuvenilibus annis*
Insertum doctis , Pieridumque choris.
Et Venusî *testatur* Iter ; *testantur et ausa*
Centum , quae volitant viva per ora virûm.
Dicite , io : lapsis animum succurrere rebus
Quandoquidem induxit , supposuitque humeros.
Et potuit iam tum felix , totumque videri ,
Et teres , et plenum daedaleae artis opus.

*

Non ita sed LUPULO *visum, quem plenior aura*
Implet, et a magnis ad meliora rapit.
Ergo quod faustum processit ab omine primo,
Plaudite, Pierides, ille retentat Opus.
Quantus hic adsurgit, quanto et molimine rerum!
Adgestis quantae iam cumulantur opes!
Nunc ego te paucis, Tibi nec sim vanus haruspex,
Cui viridi lauro tempora culta nitent.
Campani stet honos Tituli, stet fama per aevum:
Corfinii Titulus proximus insequitur.

NICOLAI LEARDI

ACADEMICI FLORENTINI

AD AUCTOREM.

Corfinii ab scriptis quae lux Tibi, LUPULE, adaucta est,
Inter quisque Tui quae monumenta stupet!
Dum novus ingrederis Christi Sacra Templa Sacerdos,
Nunc ea, nunc specie splendidiore micas.
Urbs ceu prisca suis dudum convulsa ruinis,
Ad lucem per Te nec moritura redit;
Sic si qui tenebris resident et mortis in umbra,
Quam bene Tu ad vitam pertrahis, inde patet.
Consilio Ipse doces, scriptis quae plurima prodis,
Raro, quo cunctos vincis, et eloquio.
Ardua res haec est, Sacer et Sophus esse profanus,
Uno utraque ut veniant concilianda modo.

DOMINICI ROSSII

AD AVCTOREM.

Te maior iam spernis humum, iam sidera tangis
Vertice, iamque novo mactus honore nites.
Quale opus adgressus! quali sed perficis ausu!
Cumque arte egregias commodus addis opes.

INDEX

CAPITUM, ET SECTIONUM.

SCHEDIASMA

DE DIE NATALI VETERUM.